BIBLIOTHECA
HAGANA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA,

AD

CONTINUATIONEM

BIBLIOTHECÆ BREMENSIS

NOVÆ

CONSTRUCTA.

CLASSIS TERTIÆ,

FASCICULUS PRIMUS

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.

Sumptibus Bibliopolarum

HENR. VIEROOT & JOA. LE MAIR,

MDCCLXX.

SYLLABUS CONTENTORUM FASCICULI PRIMI CLASSIS TERTIÆ.

IV.

(*) Nuper eheu! nam sententia Judicis civilis homo hic, multorum criminum reus, ex Frisia exterminatus, atrocissimorum scelerum suorum poenas per sexennium luit. Summo moerore adfectus hæc scribo, & dolent mecum omnes φιλανθρωποι, qui insignes in homine dotes, haud vulgarem ejus eruditionem & judicii limam, quæ vel ex hac *Visi Jacobæi interpretatione* constat, amaverunt. Verum exemplo suo docuit, quam parum aut nihil prosint sola eruditio aut præclaræ aliæ dotes, quo minus homo

homo, ſibi relictus, pronus in omne ſcelus ruat! Vovemus animitus, ut, gratia Spiritus Sancti, contrito revera corde agnoſcat, quam turpiter violatione legum tum Divinarum tum humanarum offenderit optimum Numen, & Eccleſiam & rempubl., ſeque omnibus poenis Divinis obnoxium reddiderit; abolitionem criminum ſuorum in ſanguine Servatoris imploret, & oſtendat deprecationem publice, coram Judice civili, factam fluxiſſe ex vera animi ſententia. Ceterum ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ. N. B.

I. VE-

I.

VENER. BASILEENSIS ORDINIS THEOLOGICI DECLARATIO,

De Novo Testamento Wesleniano, Anno 1757. *composita & hactenus inedita.*

Postquam & Sermonibus ac Epistolis multorum, & Diariorum litterariorum relationibus, & ipsius denique operis inspectione cognovimus, JOH. JACOBUM WETSTENIUM in Prolegomenis *Novi Testamenti Graeci*, quod *cum lectionibus Variantibus, nec non Commentario pleniore*, Amstelodami Ao. 1751. & 1752. duobus vastis Voluminibus edidit, impotentius in eos invehi, quorum opera olim prohibitus est, sanctissima Religionis Christianae dogmata, ipsamque sacrorum Librorum N. T. inte-

gritatem ac Θεοπνευςίαν, seu per cuniculos, seu aperta audacia, convellere; statueramus equidem primum, istis conviriis nihil respondere. Nostra enim recte factorum conscientia; fama integerrima Collegarum honoratissimorum, inde ab eo tempore, quo *Wetsteniana* causa maxime agebatur, ex hac vita evocatorum; Decreta luculenta Ampliss. Magistratus nostræ Civitatis; approbatio Ecclesiæ, quæ per Helvetiam est, Reformatæ, ut de aliis taceamus; abunde nos erigebant, putidas hominis impudentis calumnias ut contemnere possemus. Non enim in occulto gestum fuit omne illud negotium: sed in aperta Ecclesiæ luce. Libri in publicum emissi exstant, qui legentem quemvis edocent, quomodo Ampliss. Magistratu jubente cœptum, ipso cognoscente gestum, & tandem decernente finitum sit illud negotium. A°. 1730. prodierunt *Acta*, quibus errores & scandalosæ opiniones, quas *Joh. Jacobus Wetstenius* tradere Auditoribus conatus erat, demonstrantur. Continet illud Volumen non modo *Conventus Ecclesiastici Basiliensis* scripta, postulanti Ampliss. Magistratui Civitatis exhibita; sed & ipsius *Wetstenii Libellos Apologeticos*, & quæcunque, sui defendendi causa, ad illud usque tempus proferre ei lubuerat. Continet porro, *Quæstiones* illi Viro a *Conventu Eccles.*

pro-

propositas, una cum *Responsionibus* ejusdem, quæ ipso vidente ab Actuario exceptæ, & scripto consignatæ fuerunt. Continet *Excerpta* ex Schedis, quibus *Wetstenii* Auditores ejus expositiones N. T. Græci coram traditas, ipso plerumque haud inscio, adnotaverant. Continet solemni jurejurando confirmata *Testium* complurium de *Wetstenii* doctrinis effata. Continet denique Ampliss. Ordinis Politici deliberationes & *Senatus Consulta*, quibus omnis hæc causa fuit administrata & conclusa. Quid autem de *Epistolis* dicemus *Ecclesiarum Reform. in Helvetia*, ab illarum Antistitibus scriptis, quibus potissimum & urgentibus & approbantibus res est gesta? Numquid aliud requiri potest, quo fama *Conventus Ecclesiastici Basil.* in tuto collocetur? Sufficitne ad omnia hæc, quæ publice & in oculis totius Ecclesiæ ac Civitatis Basil. edita sunt, evertenda, si reus perfricta fronte neget vera esse; & effreni temeritate invehatur in vivos mortuosque? Cui potius credent pii omnes & boni? Judicet omnis Ecclesia, cui *Acta* innotuerunt; quæ quidem *Acta*, quandoquidem Vernacula nostra Lingua hactenus solummodo prostiterunt, in Latinam, cum opus erit, transferri, & supplementis augeri curabimus, ut & Batavi, Angli, Gallique, & omnes, quotquot ubique sunt, Ecclesiarum Christia-

narum Præsules ac Ministri cognoscere facilius queant. Nec tamen germanica haud legentibus scripta defuit hucusque, nec deerit, facultas, præcipuam rei gestæ historiam, cum documentis, quibus ea nititur, perspiciendi. Etenim A°. 1734. Patre & Filio, suis inconditis clamoribus *Conventum Ecclesiasticum*, & *Jac. Christophorum Iselium*, triennio post pie defunctum, eo adigentibus, edita sunt in lucem duo Schediasmata, latine concepta, quorum alterius hæc est ἐπιγραφή: „ Ordinis Theol. in Acad. Basil. „ *Epistola Apologetica* ad Ven. Fratres Helvetios, qua calumniæ in litteris Joh. Rod. „ Wetstenii, ædis Leonh. Basil. Parochi, „ iisdem Helv. Fratribus inscriptis, passim „ effusæ diluuntur, una cum Ecclesiarum „ Helv. responsis tam ad Ordinem Theol. „ Basil. quam ad *Joh. Rod. Wetstenium* „ datis, aliisque documentis caussam totam „ illustrantibus. " Hujus Libelli edendi quænam fuerit occasio ex inscriptione patet. Cæterum legenti cuivis & præfationem, & reliquas ejus partes, & ipsa tandem Senatus Ampl. decreta in fine adjecta, manifestum erit, id quod ex ipso quoque *Actorum* Volumine cumprimis liquet, nec a Theologis cœptam hanc causam, ut *Joh. Jac. Wetstenius* criminatur, nec occulte aut per cuniculos actam, nec inauditum *Wetstenium* aut

in-

indicta causa damnatum esse. Eodem anno, cum nescio quis, (ipse *Joh. Jac. Wetstenius* fuisse credebatur) in Diario Gallico, quod *Bibliotheque Raisonnée* inscribunt, & Amstelodami edunt ipsi cognomines & consanguinei Librarii, fama *Iselii* τοῦ πάνυ, petulanter lacesseretur, visum est ei Viro, haud sane proletario, ut *Wetstenius* in Proleg. N. T. eum falso apud imperitos traducere conatur; sed in Rep. literaria usque quaque claro, ac de patria Ecclesia atque Academia optime merito: visum, inquam, est ei Viro *Depulsionem Calumniarum*, *sibi impactarum*, in lucem emittere. Hac ille *Depulsione* non se modo ita defendit, ut quilibet æquus lector criminationum *Wetstenii* iniquitatem facile intelligeret; sed etiam *Wetsteniana* hæc causa omnibus legentibus apertior redderetur. Quapropter, nisi ingenium hominis notum nobis esset, mirum fuisset visum, quanam fronte, virum egregium, ante hos XVI. annos defunctum, nunc demum, cum *Depulsionem* novam edere, & hominem vivis coloribus depingere, aut edituro nomen ut ait pag. 25. *in tentatam actionem calumniæ in judicio* exsequi, nequit; haud novis quidem, sed ad nauseam repetitis & novo felle tinctis criminationibus proscindere, &, quod ajunt, mortuo insultare leoni, cum insigni sua infamia, ausus fuerit. Hoccine

est illud *moderamen inculpatæ tutelæ*, quod novo, & Doctoribus J. N. adhuc ignoto modo, *Wetstenius* in Prol.g. interpretatur?

Hi libri cum in publica Ecclesiæ & Reip. litterariæ luce versentur, atque etiam fidem *Actorum* publicorum illibatam habeant; quid opus est, ut cum homine contentioso in arenam descendamus, sine ulla pæne spe, eum ad meliorem mentem perducendi? Inepti enim essemus, famam *Conventus* nostri *Ecclesiastici* aut cujusquam eorum, quibus ille aut olim constabat, aut nunc constat, si ab improbi convitiatoris insania pendere existimaremus. Numquid ergo quemquam fore alicujus gravitatis Virum putabimus, qui *Wetstenio* furenti, & propriam eandemque desperatam causam coeco impetu agenti, potius credat, quam *Actis* & *Scriptis publicis*, quorum αὐθέντικα in Archivis Ecclesiarum Helveticarum, ipsiusque Civitatis Basil. prostant? Verum enim vero, dum ad docendam & a scandalis, quantum in nobis est, custodiendam Ecclesiam Dei vocatos nos esse sciamus, neque hæc nostræ vocationis officia negligere sine gravissimo scelere possimus; necessarium esse duximus, juniorum magis, qui res ante XXII. jam annos gestas haud cognoverunt; nec non eorum causa, qui, quid nunc de hac caussa sentiamus, univer-

sam

ſam Eccleſiam intelligere debere, cenſent: paucis mentem noſtram de *Prolegomenis*, & de *ipſa N. T. editione Wetſtenii* declarare. Sic enim animati ſunt communiter homines, ut qui criminationibus nihil reponit, reum ſe confiteri exiſtiment.

Primum quidem, quam indecorum illud, *imo* impium, omnibus piis & religioſis Chriſtianis videbitur, quod *Joh. Jac. Wetſtenius*, cui nullæ unquam ſui purgandi, ſi purgari poſſet, rationes non in promtu fuerunt, N. T. D. N. J. C. potiſſimum delegerit, in cujus *Prolegomenis* virus maledicentiæ & calumniarum effunderet? Converterant olim Judæi Domum Patris coeleſtis in emporium. Hic vero inſignis Vir veſtibulum Evangelii pacis atque caritatis in Theatrum furoris convertit. Quid igitur? Cum ait: ſeſe *doctrinam Evangelii pectori ſuo infixam habere*; Invenitne aliam in Evangelio doctrinam, quam Chriſtiani reliqui; an falſa de ſe jactat? Porro autem nemo unquam intelliget, cur in *Prolegomenis* ad N. T. tam acerbæ invectivæ in vivos mortuosque reperiantur; id quod & eruditi illi ſibi mirum fuiſſe viſum indicarunt, qui in Germania Diariis litterariis novæ illius Editionis recenſionem haud ſane malevolo in *Wetſtenium* animo confecerunt: unde & collegerunt, auctorem in his *Proleg. perpe-*

tuum edidisse *documentum animi in iras & vindictam accensi*, eaque protulisse, *quæ*, *si promi omnino debebant*, *poterant alio aptiori loco promi*. *V. N. Acta Erud. Jan.* 1752. p. 4. Nulla certe alia esse potuit caussa, cur *Proleg.* p. 135. postquam de *Erasmo Roterod.* actum erat, Virum Clariss. *Jac. Christophorum Iselium* adeo atris coloribus pingat, ut qui *Wetstenium* haud novit, Iselium credat & nullius judicii & modicæ eruditionis hominem fuisse? Non sic tamen notus orbi litterato *Iselius*; nec mirum tam petulanter traduci eum a *Wetstenio*, qui Virum ante hos XVI. annos defunctum non rescripturum esse noverat Cur non potius *Depulsioni Calumniarum* a. 1734. jam editæ respondit, si quid, quod responderet, habuit?

Falsa enim penitus est ratio, cur *Wetstenius*, quæ mente concepta in *Iselium* per XIX. pæne annos presserat, nunc demum effunderet. *Proleg.* pag. 141. ait: „ Licet „ Iselius vivere desierit, vivit tamen ad„ huc ejus socius, belli Theologico Critici „ mihi indicti, immo non indicti, sed illa„ ti, dux & concitor, qui unus & solus „ non coetu facto, & inconditis clamori„ bus, nec per cuniculos & homines subor„ natos agere; sed ratione, quæ scripsi & „ quæ mox adjiciam, si potest refellere,

„ etiam

„ etiam debet." Voluit *Wetſtenius* deſignare Ven. *Conventus Eccleſiaſtici* Seniorem, ſeptuagenario majorem, cujus eruditionem & ingenium non vulgare *Prolcg.* p. 192. ipſe quoque *Wetſtenius* commemorat, Candorem vero, pietatem, conſtantiam in vero & recto tuendo, moderationem animi in tolerandis infirmis, novit omnis Eccleſia; *Johannem Ludow. Frey.* Hic Vir ad alia omnia potius natus factusque, quam ad lites ferendas reciprocandasque, *refellere debet*, *quæ ſcripſit Wetſtenius*. Quid ergo *refellere* debet? Errores litterarios & παροράματα partim *Iſelii*, partim Typothetarum, quæ ex ſermonibus & ſcriptis *Iſelii* colligere placuit *Wetſtenio* Egregium ſcilicet officium Theologo ſeptuagenario imponit! Quid autem ad ea, quæ ad cauſſam Eccleſiæ pertinent, repoſiturus ſit Ven. noſter Senior, mox apparebit. Nam iſta defendere non magis illius eſt, quam cujusvis e *Conventu* noſtro. Ut adeo deceptus ſua opinione *Wetſtenius* fuerit, qui, aſtute ſane, maluit per XXII. annos exſpectare, dum ex Collegis VI. quibus ille Conventus conſtiterat, ut poſt exponetur, nemo præter ſenem valetudinarium, ſupereſſet. Hunc certe tutius ad reſcribendum provocari cenſebat, quam Viros olim vigentes ætate & in ſcribendo exercitatos. Porro autem,

cum ex *Prolegomenis* Wetstenii pateat, nullam aliam ob caussam tam atrocibus calumniis peti Virum Ven., quam quod fuit membrum, & est, non postremum *Conventus* illius *Ecclesiastici*, cui Conventui Wetstenii *doctrinam & N. T. jam tum ab eo propositam editionem* examinandi onus non ex vocationis tantum officio incumbebat; sed & peculiari decreto & jussu *Ampl. Senatus* impositum fuerat; nostrum est heic publice & coram omni Ecclesia declarare, temeritatem *Wetstenii*, in Collegam nostrum & Seniorem grassandi, omnem *Conventum* vehementissime, ita ut decet, afficere: cum ea objiciat *Wetstenius* Collegæ nostro, quæ vel vera non esse intelligimus, immo ne ipse quidem *Wetstenius ignorat*, vel talia, ut nonnisi a maledico homine reprehendi possint. Quid enim mali est in Professionis Extraordinariæ petitione? Si omnino petitio vocari debet, quod Ipsi Proceres Academiæ post finita Specimina pro Linguæ Græcæ vacante Professione, eidem plane nescienti ultro obtulerant, optione etiam facta vel Professionis Catecheticæ, vel Linguarum Orientalium; quæ tamen res ob difficultates nonnullas successu tum caruit; postea vero obtinuit, cum sua sponte Proceres Acad. locum eidem plane ignaro inter Professores assignarint, & Linguas Orientales,

tales, excepta Hebraica, docendi munus imposuerint? Quid mali est in editione Excerptorum Caraiticorum, quibus abusus Deista Anglus? Defensus autem a Rev. Episcopo *Chandlero* Cel. Frey fuit, non ex alio integriore MS., quale nec Rev. Episcopus, nec Clar. *Wolfius* habuit, sed ex hoc ipso Excerpto? Quid mali in Scholasticorum medii ævi contemtu, in Theologiæ natur. *S. Clarkii* expositione, quam falso commemorat *Wetstenius*, cum vix eo tempore nomen *Clarkii* in his oris innotuerit, & semper Cel. Frey, *H. Grotii* Lib. de V. R. Chr. in suis Lectionibus exposuerit; in refutatione nonnullorum *Ryssenii*, in prædestinationis sobria tractatione, in Libertate hominis, sine qua nulla est omnino Religio, adserenda? Quid mali est, quod *Wetstenium* habuit inter Auditores; quod ei juveni optimæ spei favit, quod diligentiorem N. T. lectionem commendavit, quod consilia petentem de ea adjuvit; quod Libros Clar. Virorum cum judicio legendos suasit; quod tales cum ex sua, tum ex publica Bibliotheca concessit utendos; quod cum illo a recta via aberrare incipiente disputavit; quod denique contra *Wetstenianam* hanc N. T. *editionem*, quam malo animo jam eum moliri intelligebat, multa, & longe plura, quam *Wetstenius* refert, est

cum

cum ipso locutus? Illud vero malitiose prorsus *Wetstenius* adjicit, quod Ludovicum aureum, (solutum ex lege, qua omnes, qui Librorum publicæ Bibliothecæ usum petunt, pro arbitrio aliquid in augmentum ejus conferendi, tenentur,) non reddiderit, cum *Wetstenii* fides suspecta esse coepisset, eaque de caussa *Gregorii Nazianzeni* MSStus Codex a Senatu Acad., quo inconsulto Libri MSSti nemini conceduntur, denegatus esset. Nam cæteris Libris uti potuit *Wetstenius*, quoties voluit, imo hoc ipso, sed præsente Bibliothecario. Hoc igitur fraudulenter lectoribus persuadere *Wetstenius* in animo habuit, Bibliothecarium pro se nummum accepisse, quem tamen in rationes publicas statim retulit, ut in rationario Bibliothecæ Theologicæ ad annum 1722. apud Facultatis nostræ Decanum videre cuilibet licet: num ergo nummum in rationes publicas relatum reddere ex suo debuit, postquam Senatus Academicus codicem MSStum publicæ Bibliothecæ *Wetstenio* non dandum esse censuit? Quid est maledicere, quid est calumniari, si hoc non est? Hæc, & alia ejusmodi cum neque ex vero sint a *Wetstenio* relata, nec ad causam quidquam faciant, vix digna erant, ut a nobis tangerentur. Illud gravius est, quod Ven. Collegam nostrum p.

193.

193. 207. 217. *Theologum latitudinarium* appellat. Eo autem nomine si *Wetstenius* talem designat hominem, cui parum interest, quam ipse Religionem profiteatur; qui adeo pauca & generalia creditu necessaria esse statuit, ut quarumvis Sectarum asseclas etiam *Arianos*, *Socinianos* & similes, in Ecclesia ferendos esse credat: oportet sane ut probet, talem esse Ven. *Frey*. Hoc utique capitale est. Neque enim nos talem admittere ad Ecclesiam nostram curandam possumus, nec ipse V. V., si talis esset, admitti ulterius postulat. Quid ergo probationis loco adfert *Wetstenius?* Quum ab A. civitatis Senatu Theologi & Pastores de *Formula Consensus* aliquando recepta consulerentur, cum omnibus cæteris censuit, non *opus* esse, ut ejus subscriptio exigeretur; *quæ* a nullo jam dudum, & a nemine ipsorum exacta fuerat unquam. Quum de scrupulosis quibusdam hominibus ageretur, quos vulgus *Pietistas* & *Separatistas* vocat, non censuit eos durius tractandos, quia conscientiæ scrupulis, inanibus quidem illis, nec tamen impiis, constrictos se teneri quiritabantur, quo minus coetibus nostris Ecclesiasticis interessent; Cum *Lexicon Historicum* ederetur, quosdam Viros claros, & in Religionis negotio moderatos, quos ut præcipua sua lumina Ecclesia Anglica vene-

veneratur, laudavit, aut laudes ab aliis datas non abolevit. Cetera, quæ de *Hymnis* in usum Ecclesiæ colligendis, de editione operum *H. Grotii*, de libello *Anonymi* Angli, commemorantur, falsa esse omnino asseverat V. V., immo mendacia ipsi Wetstenio rectius cognita. De *Grotio* videnda quæ *Depulsioni Cal:* in fine adjecta leguntur. Haec sunt illa scilicet, quibus Vener. Seniorem nostrum *Theologum Latitudinarium* esse, docere voluit *Wetstenius*. Egregiam vero probandi rationem vident omnes, cum aut falsa referantur, aut ea, quæ nemo probus vitio dederit! Ceterum, nonne Vener. *Frey* apertissime docuit, quantum curaret, ut gravissima Religionis Christ. dogmata, de *S. Trinitate*, *de Satisfactione Christi*, *de statu animarum post mortem*, *de Inspiratione Librorum S.* aliisque a *Wetstenio* sollicitatis capitibus, incorrupta serventur, quantumque adeo a *Latitudinarii* socordia absit; quum & officio sic postulante, & jubente A. Magistratu, Collegis in *Wetstenii* erroribus detegendis non defuit, nec quavis ope terreri se passus est? Et ne, ut postea *Wetstenius* nugatur, ingentem in ipso contigisse in Relig. dogmatibus mutationem caussetur, sciat, capitale illud Dogma de *S. Triade* dudum antea in Differt. Sententiam Mohammedis de J. C. exhibente,

te, cujus ipse *Wetstenius* mentionem facit, animose propugnatum fuisse. Sin autem in tolerandis infirmis, aut iis, qui circa doctrinas minus essentiales, modeste dissentiunt, nec pacem aut Ecclesiæ aut Reip. turbant, animi lenitatem reprehendit *Wetstenius*, hanc sibi reprehensionem laudi potius ducit non Vener. tantum *Senior* noster, sed omnis *Conventus Eccl.* Basiliensis: tantum abest, ut pro *Latitudinario* talis haberi possit. Quam parum vero sibi constet *Wetstenius*, inter alia multa ex hoc patet, quod ei, quem *Latitudinarium Theologum* appellat, id est, talem, qui non multum curet, quam doctrinam profiteatur, p. 202. *Proleg.* attribuit sententiam de Hæreticis puniendis, a qua cum alienissimus semper fuit, tum nemo videt, quomodo illa cum *Latitudinarii* indifferentia conciliari queat. Verba autem Libelli d. 5. Mai 1730. a Conventu exhibiti si integra *Wetstenius* adlegasset, cognovisset lector, cur ibi de *poena*, qua *Wetstenius* adficiendus esset, ageretur. Duæ enim adferuntur rationes, ob quas poena aliqua dignus *Wetstenius* videretur. 1. quod Ministerium Ecclesiæ Reformatæ cum gereret, non deseruerit modo temere ejus doctrinam; sed & audacter impugnaverit, & periculosa, noxia, Christo & Spiritui S. ignominiosa, auctoritati Scripturæ S. detra-

trahentia dogmata aperte tradiderit: 2. quod in omni hac caussa tam turpiter sese gesserit erga A. Magistratum, multis etiam fraudibus sit usus. Non ergo ob errores puniendum censuit quisquam; sed ob prævaricationes & improbe acta.

Præterimus alia, quæ aut falsa sunt aut inepta, crimina. Caput omnium est, quod bilem *Wetstenio* movit, unde omnia reliqua, tanquam ex uberrimo fonte emanarunt; quod Ven. *Frey*. pars fuit, & est, non postrema illius *Conventus Eccl.*, qui *Wetstenii* caussam tractavit, & *A. Senatui* interroganti de ea respondit. Mox autem patebit, quis *belli Theologico-Critici*, ut *Wetstenius* apellat, *dux & concitor* fuerit? quis *coetu facto & inconditis clamoribus*; quis denique per *cuniculos & homines subornatos* in hac caussa agere sit solitus Primum quidem a recta via penitus aberramus. si actum agere, & causam dudum conclusam, nec a nobis, sed ab *Ampl.* Civitatis nostræ *Senatu*, approbantibus *Ecclesiis Reformatis per Helvetiam*, conclusam, novæ disceptationi subjicere, post XXIII. annos, mortuis plerisque rerum illarum gnaris, vellemus. *Acta* superius commemorata, *Epistolam Apologeticam*, *Depulsionem Calumniarum*, nunc quidem non describemus, sed, cum opus videbitur, ut jam dictum, novæ omnium luci

expo-

exponemus. Si scire cupit, quid exteri ex illis Scriptis collegerint, & quam egregie & sapienter ipse dicat, *se nihil habere, quo se commendet, praeter Acta*; legat Historiam suae vitae, quam Germanus, nobis vix de nomine cognitus, in Libro, quo vitas eruditorum viventium complexus est, ex ipsis *Actis*, *Epist. Apol.* & *Depuls. Calumniarum* expressit. Legat, quae in *Actis Historico Eccles.* Vinariae editis *T. IV. p.* 863. 969. dicuntur. Interim ut appareat, quam fraudulenter *Wetstenius Acta* nostra alleget, & quam parum refellat, pauca ex *Prolegomenis* adferemus. *Pag.* 218. ait: *die* 17. *Sept.* anni scilicet 1729. effecit Ven. Frey, *ut res* de periculosis molitionibus *Wetstenii*, *per Consobrinum ejus ad Senatum deferretur*, *cui denique d.* 14. *Decemb. scriptum obtulit.* Sed quomodo id fieri potuit? Primus Libellus, quem *Actorum* Volumen lectorum oculis sistit, est ipsius *Wetstenii*, quem Ampl. Collegio XIII. Virorum d. 26. *Julii* 1729. obtulit. Solent autem apud nos graviora negotia, quaeque secretioribus consultationibus agitari interest, a Senatu ad hoc Collegium remitti, ut re diligentius perpensa Consultationem suam ad Senatum referat. Ad hoc ergo Collegium *Wetstenii* caussa est a Senatu remissa, postquam, medio mense *Junio*, in *Comitiis Helvetiorum Badensibus*,

 B ut

ut ipse in *Prooemio* Libelli ait *Wetstenius*, nostræ Civitatis Legati ab aliarum Reform. Civitatium Legatis de *Wetstenii* conatibus admoniti fuissent, illique redeuntes pro more Acta legationis exposuissent. Hoc dein Collegium *Wetstenio*, ut responderet, mandavit, illamque *Apologiam* Tigurinis Bernensibusque misit; quæ profecto duæ primariæ Helvetiorum Civitates, si hac contentæ esse potuissent, neque anguem in herba latentem animadvertissent, omnis res silentio fuisset involuta. Non solum enim *Wetstenius*, ut p. 218. *Proleg.* non sine fastu commemorat, ex nobilissima est familia; (*) sed & necessitudinibus & familiaritatibus potentiorum ita munitus, ut nemo alius

coetu

(*) Ab hac cur excludit *Wetstenius* Virum illustrem, *Joh. Rod. Wetstenium*, dum viveret, Civitatis nostræ Consulem optime meritum, Ao 1734. defunctum, cujus nobilissimi Filii ac Nepotes florent cum maxime? Non nimis nimirum favebat Vir Ampl. malæ caussæ, & aliquando in pleno Collegio XIII. Virorum, nobis etiam præsentibus, cum quæstionem de proposita N. T. Editione eidem proposuisset, levitatem, futilitatem & fraudes Ipse præses, *Wetstenio* ita graviter & severe exprobravit, ut totus ad silentium & ruborem daretur. Hinc illæ lacrymæ: hinc factum, ut inter agnatos non referretur Ampl. Consul, cujus tamen fratrem *Johannem* refert.

coetu facto & inconditis clamoribus, nec per *cuniculos & homines subornatos* efficere plura potuerit, quam ipse paterque ipsius. Quid igitur? Ampl. Collegium XIII. Virorum, & ipse dein Senatus jubet *Conventum Ecclesiasticum*, seu *pastores* & *Theologos*, negotium expendere, *Wetsteniumque* ad *Conventum* vocare, de doctrina, atque de N. T., quod edere vellet, interrogare, denique de omnibus ad Senatum referre. Ita primum negotium *Wetstenii* ad *Conventum* ab Ampl. Magistratu delatum est: ignaris plerisque membris *Conventus*, quid in Comitiis Arov., quid in Senatu, quid in Collegio XIII. cum *Wetstenio* actum fuisset. Examen itaque *Wetstenii* d. 9. Septembr. habitum; res Ampl. Senatui relata d. 14. Octobris. Illud *Actor.* p. V. Libellus autem *Conventus* Eccl. p. XV. ad XLI. exhibetur. Viden', quam evidenti calumnia Ven. Seniorem nostrum, i. e. *Conventum Ecclesiasticum* petas, cum dicis d. 17. Sept. *per illius Consobrinum* rem ad Senatum relatam, quam iste Ampl. Ordo jam mense Junio a Legatis acceptam, XIII. Viris expendendam demandaverat; quam ipse Tu *Apologia* d. 26. Julii male defenderas; quam Pastores ac Theologi tantum non reluctantes, iteratis ejusdem Ordinis mandatis adacti, susceperant, & ut *Acta publica* docent, non ut Tui *Adversarii*, multo mi-

nus ut *Accusatores*; sed ut ab Ampl. Magistratu in re ad Ecclesiam spectante, *consul.* gesserunt, nec Decretis suis confecerun sed Ampl Senatui decernendam reliquerun Vid. *Actor.* p. 343. & *Epist. Apolog.* p. 3. ubi bina S. C. referuntur. Neque tame Prudentissimus hic Ordo rem aliter tractav in fine, quam ab initio cœperat. Nam quamvis jam universa res liquida & perspi cua fuisset, ut tamen omnem calumniand prætextum hominibus tricarum amantibu eriperet Ampl. Ordo, idem XIII. Virorum Collegium, adjunctis *Pastoribus* & *Theologis*, quemadmodum in politicis caussis Jureconsulti advocari solent, consultare iterum, suaque consilia ad Senatum referre debuit, quibus auditis *Wetstenium* Senatus ab officio removit, ut locis citatis legi potest.

Quæ cum ita sint, manifestum est, qua fronte *Wetstenius* porro *Proleg.* p. 21. 128. 199. 213. *Conventum Eccles. Accusatores suos* appellare, seque ab iis *convitiis proscissum, calumniis appetitum, adhibitis Sophismatibus circumventum* adseverare; non *Conventum Eccl. sed factionem se oppugnantem, Conventiculum, Synodum* ληστρικὴν fuisse, calumniari audeat. Sunt ergo *Accusatores* illi, quibus *Ampl Magistratus* iteratis mandatis caussæ cognitionem demandavit? Sunt *Accusatores*,

quos

quos idem *A. Magistratus* suos, cum in hac re, tum in aliis Ecclesiasticis negotiis *Consiliarios* nominat? Subornavit Magistratus *factionem* ipsum oppugnantem; caussas gravissimas, quibus salus Ecclesiæ & Reip. continetur, *Conventiculo* & *Latronum concilio* discutiendas tradidit? Ubi est frons hominis? Ubi reverentia, Ampl. Magistratui debita, cujus indulgentiam & benignitatem incredibilem passim commemorat? Quid *Card. Quirinius*, quem pag. 214. Proleg. compellat, quid omnis Romana Ecclesia de Basiliensibus existimabit? quos ita traduci vident ab eo, qui tamen & civis & Ecclesiæ Basil. membrum haberi vult? Ut autem intelligatur, quem *Conventum*, quibus Viris tum quidem constantem, *Wetstenius* sit calumniatus, nomina eorum heic apponemus, prouti Libello d. 14. Octobr. 1729. exhibito, *Actor*. p. XLI. subscripta sunt. Fuerunt ergo, *Hieronymus Burcardus* S. Th. D. & Prof. Pastor & Antistes Ecclesiæ; *Samuel Werenfelsius*, S Th. D. & Prof. Ordinis Th. tum Senior; *Jac. Christophorus Iselius*, S. Th. D. & Prof., *Joh. Ludovicus Frey*, S. Th. D. & Prof. extraord., Facultatis Th. Decanus, *Joh. Henricus Gernlerus*, Pastor cœtus Petrini, *Johannes Stoecklinus*, Pastor minoris Basiliæ. Hi iidem (excepto postremo, qui *haud immutata sententia*, verum senectutis

 ex-

excusatione usus, inde ab eo tempore negotiis Ecclesiasticis pæne omnibus abstinuit,) scriptis reliquis A°. 1730. exhibitis subscripserunt, ut *Actor.* pag. 276. & 448. videre est. Quod postmodum Cel. *Werenfelsius*, eadem ætatis excusatione usus, immunis ab istis molestiis, & quotidianis eorum, qui *Wetstenio* favebant, vexationibus esse voluerit, id caussa finita, anno demum 1733. non ob *sententiæ immutationem*, sed *senio ingravescente*, factum esse ipse *Wetstenius* testatur *Proleg.* p. 216. His tum Viris constabat *Conventus* noster *Ecclesiasticus*, inde a Reformationis initio sic constitutus, ut ex primariis Urbis IV. *Pastoribus*, & S. Th. *Professoribus* III. componatur. Fuerunt autem omnes, ut notum non hic tantum, sed & apud exteros est, Viri in suo quisque genere præclari, neque indigent elogio nostro; ut pateat, nec eruditionem, nec sapientiam, nec constantiam, nec pietatem aut integritatem, nec denique auctoritatem munerum, quæ in Ecclesia gerebant, defuisse. Eat ergo *Wetstenius*, & *factionem* se *oppugnantem*, *Synodum latrocinalem* vocet, & apud Pontificios traducat *Collegium* illud, quod per annos jam ultra ducentos, Ecclesiæ Ministros examinare, ordinare, ad doctrinam moresque eorum attendere, &, ne quid Ecclesia in Urbe & extra Urbem

detri-

detrimenti capiat, videre debuit! Hoc certe *Collegium*, si rumore, de *Wetstenii* in Religione machinationibus, percepto, aut suspicionibus obortis, eum, qui tum erat Diaconus Ecclesiae, citatum de omni re ultro interrogasset, dein, postulante graviore necessitate, ad *Ampl.* Civitatis *Senatum* retulisset; nihil egisset, quod non officio ejus diserte contineretur. Quum vero fama & suspicionibus, quamvis haud vanis, in hominem potentem & factiosum agere, consultum non videretur; sed placeret, prius Patrem *Wetstenii* ea de re admonere; ecquid peccavit postea, cum Ampl. Magistratui, caussae cognitionem demandanti, paruit?

Sed audiamus porro *Wetstenium*. Illius enim *est* scilicet, indicare, a quo *Collegio* caussa ipsius cognosci debuerit. *Proleg.* pag. 211. ait: debuisse rem ad *Conventum omnium in Urbe Ministrorum* referri. Quidni ergo *Collegium* XIII. *Virorum*, & ipsum *Ampl. Senatum* accusat, qui non hos convocari, sed *Wetstenium* ad *Conventum Pastorum & Theologorum* citari, ab iisque consilia, pro more in talibus negotiis consueto, sibi dari jussit! Porro autem, ut ait: Vener. *Frey Conventum talem formavit, qualem voluit.* Eho! quam potentem nobis fingis *Theologum*, eo tempore *Extraordinarium!* Sed quid? An

 ipsi

ipsi tradiderat Ampl. Magistratus caussam *Wetstenii*, an *Pastoribus*, ac *Theologis?* Numquid Puer fuit illius *Conventus* Præses, Vir, si quis alius, dexteritate, prudentia, rerum agendarum peritia, auctoritate conspicuus? Numquid pueri fuere cæteri Collegæ, *Werenfelsius*, *Iselius*, &c. ut *Conventum* a Theologo extraordinario fingi, quem vellet, sinerent? Sed IV. *Delegatos*, quos Deputatos appellare solemus, politici Ordinis Viros, ex suo Corpore ab Ampl. Senatu *Conventui Eccles.*, nec non *Academico Senatui*, certorum negotiorum curandorum gratia, nonnunquam more majorum adjungi solitos; hos, inquam, *exclusit*. Atqui Ampl. *Magistratus*, quum *Conventum Eccles. Pastorum & Theologorum* negotium curare voluit, nec addit, nec addere opus habuit IV. politici Ordinis Delegatos. Et subscriptione nominum Libellis subjectorum facile intellexit, quinam hunc Conventum constituerint. Quare *Wetstenius* malam caussam pessime tutatur, cum ignaris rerum fraudulenter persuadere conaretur, quod & pag. 212. facere contendit, exclusis indeque iratis *Magistratibu*, negotium Ecclesiasticum a *Conventu* agitatum esse? Cur non ipsi in mentem rediit, quod audacissime pag. 200. scripserat; *ad Senatum istarum litium*, *quas ex controversia de N. T. proseminatas* ait, *cognitio-*

nem

tum non pertinuisse? Si non ad *Senatum*; quomodo ergo ad Ampl. Senatus *Delegatos?* Sed Ampl. *Senatus* jura, ut nos quidem defendamus, nihil est opus. Nec sane tolerabilis est *Wetstenii* temeritas, qui *Conventum Eccles.* cum politicis Magistratibus collidere, confictis caussis, confictis etiam S. C. conatur. Nunquam enim in universo hoc negotio usque ad *Wetstenii* exauctorationem, & deinceps, iratum sibi habuit *Conventus Eccles.* Ampl. Ordinem, nec a Gravissimis Delegatis dissedit. Alia fuit A°. 1731. quæstio, quæ, licet ex *Wetstenii* caussa exorta, atque ab ipsius clientela commota, non tamen ad illum spectabat, sed de *Candidatis* S. Ministerii agebat, & jam dudum, non S. C., quod prorsus fictitium *Wetstenius* pag. 212. adfert, sed amico Mosis & *Aäronis* consensu, ex veteri instituto decisa est; ut adeo stupenda prorsus hominis audacia, qui S. C. d 28 Apr. 1731. factum, quale nunquam factum, confingit.

Sed pergamus in criminibus, quæ Ven. *Seniori* nostro, ipsique *Conventui* impingit *Wetstenius. Proleg.* pag. 213. ait: *exclusum Conventu Eccles. fuisse Wetstenium Parentem*, Pastorem Leonhardinum. Esto! Quid hoc est mali criminis? Cum Ampl. Senatus *Filii* caussam a *Conventu Eccles.* cognosci juberet, æquumne erat, ut *Pater* deliberationibus

 adesset?

adesset? Quis hoc *Pater* unquam postulav
aut etiam, si licuisset, facere sustinuit,
in caussa *Filii* pertractanda *Collegio* adsidea
cui ea est demandata? sane impudens h
beatur jure, qui id fuerit ausus. Unde
Grav. XIII. Collegium super hac re consi
tum, re diligenter deliberata, in caus
Filii, *Patrem* non in *Conventum* vocandun
statuit. Neque tamen eo secius *Wetsteni*
Pater Conventus Eccles. pars esse perrexi
quamvis in caussa *Filii* adesse ei non licere
neque exclusus est a *Conventu*, usque du
ipse horribili *Epistola ad Ref. Helvetiæ* &
Confoederatarum Civitatium Ecclesias data
Conventum Ecclesiasticum ob ea, quæ in Fil
caussa acta sunt, est calumniatus, nec crim
na objecta, ad *Conventum* citatus, ullo mod
aut voluit aut potuit probare. Tum de
mum, dato aliquoties ad deliberandum tem
pore, cum nihil ad sui excusationem adfe
ret, *Conventu Eccles.* exclusus est, declara
tumque, illum pro *fratre* & *Collega* no
amplius habendum, qui *Collegium* tam pro
terve traduxisset, nec quidquam probar
aut excusare conaretur. Id factum est A.
1734. quadriennio fere a Filii caussa pe
remotionem ab Officio, quam Summus Ci
vitatis nostræ *Magistratus* decreverat, finita
Videatur *Epistola Apologetica*, sæpius jan
adlegata, quæ quidem Epistola, non a
Patri

Patris modo antiqua, sed & *Filii* ad nauseam repetita convitia, in *Conventum Eccles.* effusa, dudum respondit, ut nunc eo labore supersedere debeamus. Ut taceamus, hanc ipsam Patris a *Conventu* factam exclusionem cum vellet se ad suffragium ferendum in electione Ministri vi ingerere, ab *Ampl. Senatu Majore* postea solemniter fuisse comprobatam.

Videt candidus quilibet Lector, quam falsa sint omnia & inepta, quæ *Wetstenius* de *Conventu Ecclesiastico* nostro scribit. Sunt sane etiam contradictoria non pauca, quæ vix a sobrio & vigilante proficisci potuere. Ut ex multis unum attingamus: Primum quidem pag. 211. ait *Wetstenius: Joh. Ludov. Frey finxisse Conventum*, qualem scilicet voluit: dein pag. 213. addit: *ipsum, qui Conventus Eccles. membrum tunc non erat, in Conventum se intrusisse.* Quis hoc *Wetstenio* credet? Qui ipsum hunc *Wetstenium* antea in Ministerium una cum VV. Collegis receperat; Qui & ipsius, cum jam 10. in Conventu annum *Frey* egerat, Parentem in Conventum cum iisdem Collegis assumserat: Quis, inquimus, *Wetstenio* credet, Ven. *Frey* eo tempore *Conventus Eccles.* membrum non fuisse, qui & in Acad. Senatu & in Ecclesiastico dudum antea consederat, & eo anno, quo hæc gerebantur, Theologicæ Facul-

cultatis *Decanus* erat, & denique primo Libello *Ampl. Magistratui* de *Wetstenio* exhibito cum ceteris omnibus ante nominatis subscripserat? Vid. *Actor.* p. XLII. Passurusne *Ampl. Magistratus* fuisset, eum, qui non esset *Senator Ecclesiasticus*, *Conventui* interesse, ac nomen suum suo ordine adscribere? Aut quomodo is, qui in *Conventu* non erat, excludere, quos vellet; ceteros autem, *Werenfelsium*, *Iselium*, *Gernlerum*, *Stoecklinum*, ipsum denique Conventus Præsidem, Ven. Antistitem *Burcardum*, quem tamen suffragium non habuisse, & de jure IV. Delegatorum (de quo tamen in hac caussa nunquam ne verbum quidem factum fuerat) dissensisse fingit, *sibi socios adjungere* potuit? Quod si autem Ven. *Frey socios* habuit, quos indicavimus; ii jam pridem defuncti isti fuerint *Accusatores ejus omnes*; ut criminatur falso *Wetstenius*, quomodo ipse *unicus delator*, *accusator*, *testis*, *judex*, & alia, quæ adscribere pudet, appellari debuit? Hæ certe criminationes in omnem *Conventum Eccles.* cadunt, cujus non alia fuerunt, aut esse potuerunt, membra. Et eæ quidem criminationes, quam sint falsæ, & impudenter confictæ, ex ante dictis patet. Neque enim quisquam e *Conventu* nostro, nec ipse *Conventus*, aut *accusavit Wetstenium*, aut *detulit*, aut *testimonium dixit*,

aut

aut *judicavit*; sed ex *Comitiis Helvetiorum* adlata mentione Ampl. XIII. *Virorum* Collegium *Wetstenium* audiverat, dein Ampl. *Senatus* Civitatis *Conventui*, ut eum audiret, ac de omni re ad Senatum referret, mandaverat. Unde & intelligere potest *Wetstenius* nihil sibi profuisse, quod virus suum in *Conventum* nostrum *Basiliensem* effundere distulit, donec omnia membra ejus, uno excepto, vivere desiissent. Dum enim unus superest; non deerit, qui falsa, quæ narrat, redarguere possit. Immo vero si cautius egisset, ac hujus quoque Viri obitum exspectasset; superesset tamen idem *Conventus Ecclesiasticus*, qui *Wetstenium* docere potuisset, haudquaquam cum umbris sibi esse pugnandum. Aequumne est, ut tacite abiret hominis audacia, qui & *Collegium*, quod non solum ex officio, sed & ex mandato peculiari Summi *Magistratus* caussam pro conscientiæ ratione egit; & singulos, qui ejus Collegii pars fuerant, nec quidquam, nisi cum Collegio & nomine Collegii in hac caussa egere, calumniatur? Quid animi iis, quibus nunc Collegium constat, potest esse, cum videbunt illos, qui de *Collegii* sententia res gesserunt, immo ipsum *Collegium*, non criminationibus tantum, sed & convitiis proscindi? Quid animi erit unicuique *Collegii* cujusvis membro, si quæ *Collegium*, & ipse cum

cum *Collegio*, egerat, ceteris defunct solus defendere, atque ita contra pra homines fidem & pietatem *Collegii* sustin deberet?

. Eodem pertinet, ad *Conventum* scili omnem, quod *Wetstenius* per calumni addidit pag. 202, 213. Anno 1733. *col tionem cum ipso sæpius jussam defugisse*; *P tocollum*, quo scilicet Acta Examinum Deliberationum *Conventus Eccles.* consign sint, a *falsario totum fuisse postea confictu Acta sibi ipsis contradicere*, *& non bona f edita &c.* Quæ omnia falsa sunt, & in ip *Actis*, *Epist. Apolog.* & *Depulsione Columni rum* jam fuerunt refutata. Quis est aute ille *falsarius*, qui *Protocollum totum post confinxit?* Fuitne aliquis e *Conventu*, a *Actuarius Conventus Eccles.* Minister Ecclesi adhuc superstes; Vir pietate & eruditio insignis; quem calamo, sed brevissim excipientem Responsa *Wetstenii* ipse su oculis vidit? Fuitne horum aliquis ta pravus, ut sciente videnteque *Convent Protocollum totum postea confingere* auderet An ipse potius *Conventus Eccles.* est ille *fa sarius*, qui aut *Protocollum* confingi jussi aut confictum sibi supponi & Ampl. *Mag stratui* ex eo rem omnem referri passus est Quid autem de Ampl. XIII. *Virorum* & I *Delegatorum Collegio* judicabunt *Prolegomen*

ru

rum istorum Lectores, quod quidem *Collegium* audivit, ut ait *Wetstenius*, & cognovit omnia illa; *Protocollum confictum*, *Acta non bona fide edita*; nec tamen ea de re aut *Conventum Ecclesiasticum* interrogandum, aut, ut reum gravissimorum criminum, ad *Senatum* deferendum esse censuit? Quis talia *Wetstenio* adfirmanti credet; & non potius hominis impudentiam mirabitur, qui talia profert, quæ ne speciem quidem ullam probabilitatis habeant.

Interim non ea sola sunt, quibus *Wetstenius* ut omnium bonorum aut inimicus aut ἐμπαίκτης demonstratur. Quot sunt in *Proleg.* nominati ex nostratibus Viri, qui nec *Conventus* nostri pars fuerunt, nec quidquam cum *Wetstenii* causa negotii habuerunt; quos tamen nefandum in modum traduxit? Quibus certe insignis injuria infertur, cum aut ea, quæ privatim ad *Wetstenium* dixerunt scripseruntve, aut ea, quæ ipsis imprudentibus exciderunt, (si modo vera sunt, quæ narrat pag. 203-206.) in publicum profert, atque æternis litibus implicat. Qui quidem, si viverent, infamiam sibi inustam non sane æquo animo ferrent, præcipue innocentes qui sunt; quemadmodum & qui ex illis sunt superstites, alii inter fautores *Wetstenii* recenseri se non gaudent; alii *Wetstenio* invisi, errores, quos publice etiam

do-

docuisse eos criminatur. *Wetstenius*, editi: illis *Concionibus*, quas commemorat, falsc sibi imputatos docere poterunt, cum opus erit.

Sed quid mirum est, quod singulos Ecclesiæ nostræ *Ministros* criminatur, qui nec universæ *Ecclesiæ Basiliensi*, nec *Ecclesiis Helveticis*, nec *Ampl.* Civitatium *Magistratibus*, nec denique toti *Christianorum* Universitati parcit. Singula paucis adhuc tangemus.

1. *Basiliensi* nostræ *Ecclesiæ* objicit, p. 203. ad 266. *multos in ea & Personas S. S. Trinitatis & Naturas Servatoris confundere*; adeoque *Sabellianos* ac *Eutychianos* errores doceri; *monstrosum dogma*, & ipso dogmate Transsubstantiationis *monstrosius*, *portentosa dicta*, *monstrosam hæresin* prævaluisse, ejusque rei caussa cum *preces* publice recitatas, tum *sermones* habitos, tum denique *hymnum sacrum*, qui non in priscis modo Libris Ecclesiæ Basil. exstat, sed novæ Collectioni, auspiciis Ven. Antistitis nostri Ao. 1743. curatæ, p. 170. ex aliis publice in Ecclesia Evangelica receptis libris insertus est, pro argumento allegat. Quod si autem Orthodoxiam Ecclesiæ nostræ in dogmate de SS. *Trinitate* & de *Naturis divini Servatoris* nostri defendere susciperemus, nemo non id sine ulla necessitate fieri intelligeret. Non potest

enim

enim illam nostram doctrinam, quæ eadem est universæ Ecclesiæ Christianæ, *Sabellianismi* & *Eutychianismi* insimulare quisquam, nisi ipse *Arianus* sit, nec ullum medium inter *Sabellianismum* & *Tritheismum* admittat, prout de *Wetstenio* & probatum pridem est, & probabitur porro. Quapropter ille quidem ab *Arianismo* abhorrentes, *Sabellianos* & *Eutychianos* esse credit, egregie Orthodoxus, & *Basiliensi Confessioni* sincere addictus!

2. Quomodo autem sese gerat *Wetstenius* in *Ecclesias Ref. Helvetiæ*, quibus & auctoribus & approbantibus gesta est Basileæ, omnis ejus caussa, patebit ex sequentibus. Pag. 21. scribit, postquam se pro Religione *Martyrium passum* innuisset: *sibi justam esse suspicionem, Libertinos in Legionibus eorum militare, qui pro receptis vel Opinionibus vel Lectionibus pugnant: His enim, & quidem solis licere impune adhibere Sophismata, conviciis eos, quos oderunt, proscindere, audacter calumniari, & affectibus impotenter indulgere. Quid dico impune? Annon inveniunt, qui eos laudant, atque immodestiam eorum fiduciam bonæ caussæ, & Zelum pro caussa Dei appellare non verentur.* Primum quidem, quos impune talia facere dictitat, *Libertini*, sunt *Pastores* & *Theologi Basilienses*, id est, *Conventus Ecclesiasticus*. Qui vero talia facien-

tes *laudant*, *fiduciam bonæ caussæ*, *Zelum pro caussa Dei* appellant, sunt *Pastores* & *Theologi Ecclesiarum Helveticarum*. Vide quid *Tigurini* Fratres scribant, Actor. p. 325. quid *Bernenses*, pag. 333. quid *Schaffhusini* pag. 339. Vide porro quam constanter in sententia perseveraverint in *Epistolis*, quas, iidem trium Ecclesiarum Antistites & Pastores atque Theologi A. 1734. ad nostrum *Conventum* scripserunt; quæ Epistolæ cum aliis, *Epistolæ Apologeticæ*, sæpius commemoratæ, sunt adjectæ. Quibus nunc addi possunt eorundem *Epistolæ* A. 1744. ad *Conventum Eccles.* datæ, quo tempore *Wetstenius* cum Ecclesia nostra in gratiam se rediturum simulavit; sed de hoc post. Jactat equidem se *Wetstenius* epistolis a *Mulhusinis*, *Neocomensibus* atque *Genevensibus* exaratis; quas, incertum an valde probantibus illis, in suis edidit Prolegomenis *Wetstenius* pag. 207. Quid autem scribunt istarum Ecclesiarum Ministri? *Wetstenius* Pater ad illos quoque litteras illas virulentas die 7. Apr. 1733. dederat, quibus *Epistola Apologetica* respondetur; sperans forte, illos ægre laturos, quod a *Conventu Eccles.* Basiliensi non ipsi quoque in hac caussa consulti fuerint. Itaque callide commemorat, sparsum in urbe rumorem, quo illi Basilienses suasores & auctores exstiterint eorum,

quæ

quæ in *Wetstenianum* Filium acta fuerunt. Hæc illi dicunt rumorem falsum esse, ut enim ad se nihil a quoquam de ea re scriptum, nec etiam ut scriberetur, exspectasset quibus in rebus nihil nisi verissimum est. Nec enim id fieri solet apud nos, ut, quæ in una ex *Confœderatarum* Civitatum Ecclesiis fiunt, ad socias referantur; & nullus omnino fuit ille, qui memoratur, rumor. Reliqua autem, quæ addunt, ad nihil aliud pertinent, quam ut *patrem* de *Filii* calamitate lugentem consolentur; ipsam vero caussam nec tangunt nec tangere se velle testantur. Quid autem scripserunt Confœderati, *Tigurini*, *Bernenses*, *Schaffhusini*? Horum litteras producere non ausus est *Wetstenius*; quarum illas non in generalibus tantum comitatis officiis erga Patrem querulum substitisse, sed ipsam rem ingressos, aperteque significasse, *Filio nullam factam injuriam, ipsum sua protervia, & in sacris litteris vindicandis insolentia caussam justissimam, cur ab Ecclesiæ Ministerio removendi, præbuisse*. Noverat præterea *Wetstenius Epistolæ Apolog.* Basiliensium & illas additas litteras, quibus illarum trium Ecclesiarum Ministri atque Antistites *Wetstenio* Patri responderant. Has ergo tacitus præterire satius duxit. Ait tamen Proleg. pag. 210. *Paulo aliter se gesserunt Tigurini, Bernenses &*

Scaphusiani, *& ita quidem*, *ut significare se accusatori fidem habere*: *ut cum id f rint*, *nec re cognita*, *nec altera parte aud id mea certe culpa factum non esse*, *adeoque bi fraudi esse non debet*. Adlatis deinde n nullis ex privatis Cl. *Crameri* litteris, bus significatur, quam justa fuerit ca iis, quæ *Basiliensis Conventus* retulerat, dendi; addit noster: *Quæ si bene intell significant*, *non eo consilio eos ita scripsisse*, *me gravarent*; *sed potius*, *ut sibi laborem respondendo levarent*. *Facilis enim & expe est responsio*, *ubi prius ponitur*, *id quod est quæstione*. *At ridiculum & stultum esset*, *conditione posita vel quæstionem alicui propo re*, *vel consilium petere*. Judicent itaq æqui Lectores; immo vero ipsi Eccle rum Antistites & Ministri, aut eorum gnissimi Successores, quandoquidem ex i qui A. 1729. vixerant, complures pride obierunt: Isti judicent, & quid in *litt* mutuis sit scriptum, & quam impudent *Wetstenius* traducat Ven. Collegia, cum dicat facilem sibi reddidisse responsione *id ponendo*, *quod in quæstione erat*: id e Sophismate usa, seu fallacia, nemini co donanda. Si porro *ridiculum & stultum* e hac conditione alicui quæstionem propo re, & consilium expetere; *stultum* etiam & *ridiculum*, admissa ea conditione ad qu

sti

stionem respondere propositam: & consilium dare. Ex *Wetstenii* ergo mente sapientibus & ingenuis hominibus penitus indigna est ea ratio*, qua se *Ministeria Veneranda* gesserunt. Ubi est reverentia, si non Personis, tamen Muneribus debita, quæ in Ecclesia gerunt Viri insignes atque gesserunt? Quid vero illud est, quod Proleg. pag. 206. in Epistola *Schaffhusinorum* sigillatim reprehendit, cum *Christum* 'Αυλόθεον dicant, cum *Synesii* illud probant: Ύμνῶ σε Μονάς, ὑμνῶ σε Τριάς &c. cum Ecclesiam Basiliensem *provido Triunius Dei oculo* commendant? An etiam hoc displicet *Wetstenio*, quod S. S. *Trinitatis Mysterium*, quam *monstrosam heresin*, *portentosum dogma* paullo ante appellaverat, tam sedulo, ut salutis nostræ proram & puppim, inculcant? Et tamen audet ingeminare, in ipso redarguendo positum esse id, quod est in quæstione; caussam suam non esse cognitam, seque inauditum fuisse condemnatum. Ut autem nihil non se audere ostenderet, in calce Proleg. pag. 218. aliud agens addit: se didicisse, *quibus artibus Formula Consensus in Ecclesias Helveticas irrepsisset*. Si dixisset, quibus de caussis Antistites Ecclesiarum ejus temporis *Formulam* talem necessariam tum quidem duxissent, atque ut publice reciperetur, suasissent, dixisset, quod res est.

 Cum

Cum autem dicit, *irrepsisse Formulam*, & quidem *Artibus*, dubio procul inhonestis; aperte illudit omni *Ecclesiæ Helvetiæ*, quæ nec *artibus* inhonestis unquam est usa, & *Formulam* publice propositam, aperte publiceque receptam, quamdiu visum est necessarium, retinuit, & ex parte adhuc retinet. Quid quod hic iterum memoria hominem defecit! Qui enim pag. 212. scripserat, solemni *Senatus* Ampl. Basiliensis decreto *Formulam* fuisse probatam, suadentibus ita *Ministris Ecclesiæ*, quod item in ceteris Civitatibus ita factum esse novimus; ille nunc ait, eam *artibus* occultis furtim *irrepsisse*.

3. Hoc cum & in ipsos *Ampl. Magistratus* summopere injurium sit, qui, quod sic irrepserat, approbarunt, & sibi verba dari passi sunt; ducit nos eo, ut demonstremus, qualem se porro erga hos *Wetstenius* gerat. Non multis hoc verbis agemus. Jam enim indicavimus ex *Actis* & *Scriptis publicis*, nihil in tota hac caussa a *Conventu Ecclesiastico* aut susceptum aut gestum esse, nisi illo jubente, cognoscente, imo gratias agente, ac tandem post multam deliberationem decernente. V. *Actor.* pag. 343 & *Epist. Apologetica* pag. 35. ubi bina exstant S. C. Itaque verba tantum *Wetstenii* adferemus. Quoties clamat; *se inauditum & indicta causa*,

sa,

sa, *innocentem condemnatum esse?* *Condemnavit* autem Ampl. *Senatus:* nec *inauditum* condemnavit, nec *innocentem*. Illud enim *Acta* docent, quæ ipsas *Wetstenii Apologias* & *Examina* continent. Hoc partim eadem *Acta* cum ceteris Scriptis *Conventus Eccles.*, tum ipsa hæc *Prolegomena Wetstenii*, & *Adnotationes* ad N. T. comprobant; qua de re mox videbimus. Non est ergo *inauditus* & *sine caussæ cognitione*; id est *injustissime* condemnatus is, quem frequenter audivit Ampl. XIII. *Virorum Collegium*, audivit *Senatus* Ampl., audivit utroque volente jubenteque *Conventus Eccles.* non judex, sed ab Ampl. Magistratu *consultus*, qui Ampl. Magistratus hominem unanimi sententia pro convicto habuit. Nam, ut *Actor.* pag. 448: & *Epistolæ Apolog.* pag. 35: videre est, major pars censuit ab officio penitus *removendum*; minor vero, ad spem resipiscentiæ ad longum tempus *suspendendum*. Ex quibus sententiis prior obtinuit, & decreto d. 13. Maji 1730. sancita fuit. Egregium ergo Civem videmus, qui pravis adfectibus obcæcatus, ne legitimo quidem suo *Magistratui* parcit, eumque intolerandæ injustitiæ, quæ in Tyrannos solos cadit, ut homines scilicet *inauditos*, *indicta caussa*, condemnent, insimulat! Tacemus illa, quæ pag. 206. objicit: *Scribam Ampl. Senatus* d. 17.

 Dec.

Dec. 1729. in Examine ipsius scripsisse, *Deitatem Trinitatis & Christi*; id *approbatum* cum a *Proceribus politicis*, tum *Conventu Eccles.* quod cum penitus sit falsum, & scriba de errore calami confestim admonitus fuerit, novum est argumentum libidinis summos & infimos calumniandi. Similem impudentiam, ut nihil gravius dicamus, produnt illa, quæ 218. adduntur: *Nunquam, fateor, illas in me scriptas Actiones, aut illarum partem, legere potui, quin me & Actorum & Spectatorum puderet.* Quinam enim fuerunt totius caussæ *Actores* & *Spectatores*? An *Conventus Eccles. Basil*; an Ven. *Ecclesiarum Helveticarum Ministeria*; an *Ampl.* XIII. *Virorum Collegium*, & ipse Ampl. *Senatus*, quo jubente & decernente omnia sunt acta; an omnes denique simul? Judicent, qui sine pravis adfectibus judicare valent. Nostrum autem erat, non modo nostri *Conventus Eccles.* famam, sed & integritatem *Ecclesiarum Helvetic.* ipsamque *Ampl. Senatus* justitiam a *Libelli famosi* criminationibus defendere; cetera Deo O. M. & Ampl. *Magistratui* permittimus.

4. Sed, ne quis putet, in sua tantum patria *Wetstenium* invenire, quod oderit, quod reprehendat: Age, videamus, qualem se, erga omnem *Protestantium*, id est, *Reformatorum* & *Lutheranorum Ecclesiam*

præ-

præstet. Non tangimus, quæ in *Reformatores* nostros passim projicit dicteria: quæ animi depravatissimi haud dubia sunt argumenta. Illud autem, quod pag. 107. scribit, animum ab *Ecclesia Protestantium* penitus aversum indicat. Laudaverat ibi Editionem *Sixtinam* Bibliorum Latinorum, eaque occasione *Protestantes* multum infra Pontificios deprimit. „ Verba adscribemus. *Illud*
„ *vero*, inquit, cujusmodi sit adsequi ne-
„ queo, cur Itali —— nullis sumtibus
„ laboribusque pepercerint, ut editionem
„ illorum Librorum haberent quam emen-
„ datissimam; cum interim *Germani* atque
„ ceteri *Protestantes* —— unum illum *men-*
„ *dosum Codicem*, qui forte fortuna *primo*
„ *Editori* in manus venerat, quasi de cœlo
„ delapsum reliquis universis præferant, &
„ in hoc quasi *cæco adsensu* perseverent,
„ ut qui duobus sæculis elapsis, totque un-
„ dique oblatis adjumentis, *nihil omnino*
„ curarunt, ut sacer Textus emendatior
„ prodiret? Unde, quæso, isthæc partium
„ permutatio, ut *Pontificii* scilicet partes
„ *Protestantium*, & hi vicissim partes illo-
„ rum sustineant? " Hactenus ille. Nos autem fatemur, aut hominem dormitantem hæc scripsisse videri, aut iniquissimo in *Protestantium*, atque adeo *Reformatorum* pariter & Lutheranorum *Ecclesiam* animo.

Quam est egregie huic Ecclesiæ addictus ille homo, qui *Protestantes summæ incuriæ* circa S. Codicem incusat; qui eis *cæcum adsensum* objicit; qui eos cum *Pontificiis partes permutasse* dictitat? Ceterum, quam falso omnia hæc jactentur, ut constet cuivis, etiam rudiori (nam cæteri inde a prima ætate jam hæc didicerunt) non aliis opus est argumentis, præter illa, quæ ipsa *Prolegomena*, quasi per Saturam, congerunt. Nam dum *Editiones* N. T. græci *Wetstenius* commemorat, vix tres quatuorve refert *Pontificios*, qui in N. T. græco edendo laborarunt; inque his sunt V. Editiones *Erasmi*, quem Virum justius fere Ecclesia *Protestantium* sibi vindicat. Et horum quidem *Protestantium Editorum* decem referuntur. Quinquies edidit *Beza*, quater *R. Stephanus*; secuti sunt *Schmidius*, *Curcellæus*, *Fellus*, *Millius*, a *Mastricht*, *Kusterus*, *Bengelius*, *Bentlejus*, quamvis hujus labor in spongiam incubuit. Patet ergo *Germanos* atque *ceteros Protestantes* haudquaquam *nihil omnino curasse*, ut S. Textus emendatior prodiret: eos haudquaquam *cæco adsensu mendosum Codicem*, & *primum editorem* esse secutos. Nam recepta editio, ut ait *Wetstenius*, anno 1624. demum prodiit. Novies ergo antea, & sæpius, a *primo editore Protestantes* abierunt. Quod autem recep-

tam

tam editionem sequentes retinuerunt; non factum est animo reluctante, ut *Wetstenius* fecit; sed consilio sapiente, ne Textum S. Scripturæ non satis gravibus de caussis sæpius immutando Ecclesiam perturbarent. Interim tamen haud cessarunt *Protestantes* in S. *Textu* cum Codicibus MStis conferendo, & variis Lectionibus excutiendis, eorumque labores tanto majoris sunt faciendi, quod eruditioni ac diligentiæ singulari addiderunt integritatem animi & Religionis Evangelicæ conservandæ studium; quæ si in *Wetstenio* fuissent eadem, non hæc prodiissent *Prolegomena*, nec talis *Commentarius*, nec alia non pauca scripta ab eo essent, quæ nemo bonus probaverit. Jam autem inter eruditos constat, nulla prorsus pudoris specie *Wetstenium* sese jactare, quod solus, inter *Protestantes* scilicet, *curaverit ut S. Textus emendatior prodiret*. Præterea & illud facile perspicietur, *Fellii*, *Millii*, *Masträchtii*, *Kusteri*, *Bengelii* labores, huic *Wetstenii* editioni jure meritoque anteferri, quandoquidem quod a *Wetstenio* adfertur verum in Lectionibus varietatis, nec in illis adnotatum, si tamen alicujus momenti est atque usus, paucis paginis comprehendi potuisset.

Talis cum sit *Wetstenius*, talemque erga omnes cum sese gerat; mirum non est, quod & in patria & apud exteros

multi,

multi, Ecclesiæ ædificationi prospicientes, sint inventi, qui ejus conatibus sese opposuerint, & opponant adhuc. Quibus de caussis factum quoque fuit, ut hæc *N. T. accuratissima scilicet editio*, non in *nonum*, ut ajunt, sed in vigesimum tertium annum *premeretur*, cum *Prolegomena*, verum ab his; quæ excutimus, in plurimis diversa, jam anno 1730 prodierunt. Ceterum, effectum quidem sic est, ut nonnulla ex pestiferis consiliis Editoris eliderentur; alia vero haud paulo deteriora succederent, quæ nunc tandem, instar torrentis aliquamdiu cohibiti eruperunt. Nec tamen defuerunt, ut ait *Wetstenius*, qui ei faverent. Recenset hos, & veluti triumphans ostentat in extrema *Proleg.* parte. Nostrum autem non est, aut num ex vero jactet *Wetstenius* eos sibi amicos; aut quænam singulis fuerint privatæ rationes, cur ei faverint, disquirere? Id tantum observamus, nonnullos ideo in eum proniores fuisse, quod ipsi gravissimorum errorum convicto, quosdam etiam confitenti, neque eo secius innocentem se esse clamitanti, fidem cæcam haberent. Ceterum favorem *Remonstrantium*, de quo pag. 214. non moramur. Qui enim horum favorem jactat, ille non nimis orthodoxum se esse demonstrat. Nam licet coetum *Remonstrantium* non esse eorundem omnium

cum

cum *Wetstenio* errorum participem credamus; id tamen merito reprehendit in illo Ecclesia *Protestantium*, quod in suam Communionem quosvis admittat, qui modo generali formula sese Christianos esse profitentur, aut N. T. voculis sonisque potius, quam sensui subscribere parati sunt. Unde & fit, ut ex *Remonstrantium* coetu pro Ecclesiæ *Reformatæ* membro habeatur nemo..

Quæ porro pag. 215. commemorat *Wetstenius* de *Ampl. Magistratus Basil.* animo sibi placato, ea omni ex parte vera non sunt. Quomodo enim dici potest, *Ampl. Senatum Decretum prius*, de remotione *Wetstenii* factum, *rescidisse*, cum nec in integrum restitutus unquam sit, nec S. Ministerio iterum admotus. Certe nemo *Vocationem divinam* appellabit, quod a solo Patre ad Sacra post remotionem admissus, cum gravissimo totius coetus scandalo, fuerit. Sed cur dissimulat *Wetstenius Ampl. Senatus* decreta, d. 20. 23. & 27. Maji 1738. facta, quo Patris Conscripti censuere, Libellum calumniosum *Wetstenii*, quo & Politicos Proceres; & Ecclesiæ Pastores & Theologos impudenter perstrinxerat, ipso coram lacerandum, ad pedes projiciendum, ipsumque auctorem gravi Censura, audiente omni Senatu, adficiendum? Cujus qui-

quidem sententiæ executionem non aliter evitavit *Wetstenius*, quam cum pridie ejus diei, quo in Senatu comparere debebat, Urbe excessisset, nec rediisset, nisi anno 1744; de quo mox dicemus.

Animi mutationem, quam factam jactat in *Stoeckhlino*, olim *Conventus Eccles.* membro nullam fuisse docuimus. Is certe publice & apud Collegas nihil tale unquam indicavit. Si commendatitias, quas *Wetstenius* refert, dedit, postquam d. 25. Jun. 1732. subscripsit Libello *Conventus Ecclesf.*, qui *Depulsi Calumn.* pag. 23. est editus; oportet eo tempore dederit, quo ob decrepitam senectutem a functionibus Sacris omnibus, adeoque & a Conventibus publicis abstinuit.

De Cel. *Werenfelsio* quid rei sit, etiam supra indicavimus. Fuit idem indicatum, ipso adhuc superstite, in *Depulsf. Calumn.* pag. 10. Scilicet Virum insignem non sententiæ mutatione, sed litium tædio, & quod penitus desineret domo exire, his atque ceteris quoque negotiis manum ultra admovere noluisse. Adscribemus heic, quæ ejusdem *Depulsf. Calumn.* pag. 25. exstant:
„ Ad pl. Ven. *Werenfelsium*, inquiunt Pa-
„ stores & Theologi, misimus V. V. ex
„ Conventu nostro, qui sententiam ejus
„ requireret. Is clare adseveravit, majo-
„ rem

„ rem calamitatem & detrimentum Eccle-
„ siæ nostræ non posse adferri, quam si
„ idem *Wetstenius* iterum ad Ministerium
„ admitteretur: quo acrius rem expendat,
„ eo sese firmius sequi Collegarum senten-
„ tiam: sese jam omnibus in prioribus
„ *Actis* nomine addito subscripsisse, in hac
„ se sententia acquiescere & permanere:
„ sese nunquam a *Conventu* hoc seorsim
„ abiisse, nunquam id in posterum factu-
„ rum." Patet ergo Cel. *Werenfelsium* in hoc negotio non aliter a Collegis discessisse, quam quod omnem his laborem & molestiam solis exhauriendam reliquit; sibi vero animi tranquillitatem, & otium ad meliora meditanda retinuit.

Quæ postmodum de admissione sua ad petitionem Professionum Philologicarum in Patria scribit *Wetstenius*, ea talia sunt, ut nostrum *Conventum* nostramque *Ecclesiam* non tangant. Si hæc probarent, *Wetstenio* injuriam antea fuisse factam, credi oporteret, Mohammedanum hominem, si ad docendam Linguam Arabicam, aut Judæum, si ad Hebraicam, in Academia admissus esset, pro Christiano habendum. Ceterum callide *Wetstenius*, ut ubique ostendat, ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτός, callide, inquam, dissimulavit, qua conditione adjecta ad petitionem

nem, sit admissus, quanam deinde ratione sit *Professor Ling. Græcæ* electus. Ut enim hoc prius exponamus; non Senatus Academicus, sed duo tantum Senatores, quorum alter ex veteribus familiaribus fuit, suffragati sunt, eaque suffragia sortis apud nos receptæ beneficio, supra reliqua XII. aut XIII. suffragia prævaluerant. Illud vero, de conditione adjecta, adeo non ignorat *Wetstenius*, ut etiam ante de ea saltem quoad speciem externam, implenda cogitaverit, quam ea ab ipso *Ampl. Senatu* Civitatis decreta fuit. Eapropter d. 19. Jun. 1744. litteras ad *Conventum Ecclesiasticum* dedit, quibus post factam aliquam brevem & generaliorem errorum antea admissorum Confessionem, adseverat: se *doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum ac Confessioni Basiliensi unice* assentiri. Sed cum hæc vetus esset *Wetstenii* cantilena, qui semper nomine *Confessionis Basil.* & *Symboli Apost.* se tutari studuit, interim eas formulas suo modo intelligens, & suis sensibus accomodans, ut plerique omnium temporum ἑτερόδοξοι facere fuerunt soliti; *Conventus Ecclesiasticus* d. 14. Julii respondit, *se paratum esse ad eum in numerum Fratrum recipiendum, si modo ingenua delicti agnitione, & sinceræ veritatis professione, adeoque mentis in melius mutatæ declaratione uti vellet*. Desiderari autem ab

eo,

eo, ut sententiam dicat animi sui, *de S. S. Trinitatis Mysterio*, *de S Servatoris nostri & Spiritus S. divinitate*, *de S. Scripturæ auctoritate*, *de statu animarum post mortem*, *de possessis a Dæmonio*, *de vero sensu historiæ tentationis Christi*; *& si quæ sunt alia graviora Capita*, *in quibus olim dissenserit*: additis aliis, quæ ad rem facere videbantur. Rescripsit *Wetstenius*, d. 14. Aug.: *Duas esse in Ecclesia hominum Classes*, *alteram docentium*, *alteram audientium*: *Se si docere in Ecclesia vellet*, *haud diffiteri*, *quod a Conventu Ecclesiastico* Pastorum & Professorum S. Theologiæ, *quorum sit Ministros ordinare*, *prius non esset admittendus*, *quam aut ab Ecclesia aliqua Reform. probatus*, *aut ab ipso Conventu accuratissime exploratus*: *Non autem sese hoc*; *sed illud tantum petere*, *ut*, *Audientium instar*, *sub generalibus terminis Confessionis Basil.*, *in gremio Ecclesiæ latere liceat*: *id etiam atque etiam petere*: *Ceterum se tum plenissime satisfacturum*, *cum eos coram adloqui datum fuerit*. Apparet itaque, *Wetstenium* de *Capitibus* illis *gravissimis*, quæ ipsi proposita fuerant, mentem aperire noluisse, eum sub *generalibus terminis latere* constituisse, eum non negare *Jus ordinandi Ministros* in Pastorum ac Professorum Theologiæ *Conventu* residere, quod tamen in *Prolegomenis* tam impudenter oppugnat; se ad *pleniorem*

satisfactionem coram dandam teneri. Et h
quidem fuit conditio, qua *Ampl. Sena*
Civitatis Academico Senatui *Wetstenii ra*
nem habere permiserat, ut, si forte s
& suffragia nonnulla faverent, *Conven*
Eccles. de doctrina & religione, *plenis*
satisfaceret. Decretum in Archivis Civi
tis & Academiæ legendum, & Decreto
quoque Academico inscriptum, factum
10. Octobr. 1744. Hæc est illa *condit*
ut priusquam ulli muneri admoveretu
Conventui de gravissimis illis Religionis C
pitibus, plene satisfaceret: absque hac n
gavit Ampl. Magistratus vel Philos. a
Philolog. Professionem in Acad. administr
re posse. Huic tamen nunquam satisfec
Wetstenius; nunquam satisfacere in anim
habuit: hanc perpetuo, ubi de hoc S.
verba facit, omittit & strenue dissimula
tam parum hæc S. C. adjecta Conditio pl
cuit, ut non sine caussa multi crediderint
hanc præcipue ob rationem Illum fort
ferente electum, invitis fere omnibus, Pro
fessorem, ad munus capessendum venir
noluisse. Certe cum anno sequente suos hi
adiisset, ne verbum quidem unum de *pleni*
re satisfactione, quam scribens promiserat
aut *Conventui* nostro, aut cuiquam *Theologo*
rum, quorum alter humanitatis officium in
ædibus, alter in via publica, ubi eum

præ

præsente amico, obvium habuit, præstitesi, fecit. Quilibet ergo hinc videt, non innocentiam Viri testari ea, quæ circa Græcæ linguæ Professionem gesta sunt; sed eum potius tum per decretum *Ampl. Magistratus*, tum per propriam confessionem, se *sub generalibus terminis Confessionis Basil.* latere velle, reum facere.

Quæ cum ita sint; cum *Wetstenius* in illis suis *Prolegomenis*, quæ tanquam præparationem ad lectionem ac meditationem S. Evangelii præfixit; in Viros, optime de Ecclesia meritos, in Conventum Eccles. Basiliensem, in Ecclesiam nostram, reliquasque Helveticas, in universam Ecclesiam Protestantium, in Ampl. denique Civitatis Magistratus tam proterve grassetur: non possumus non heic publice in conspectu totius orbis Christiani declarare; nobis istam proterviam homine, in quo vel tenuissimi pietatis igniculi supersint, penitus indignam videri. Eat nunc, & se *innocentem, indicta caussa, inauditum, condemnatum, calumniis & factionibus oppressum esse*, clamitet! Quamvis per *Prolegomena* sua ita diffuderit & confuderit suas criminationes, ut patientissimo quoque Lectori vix tolerabile sit; quamvis plurima penitus falsa narraverit, vera, quæ contraria esse videbat, omiserit: non dubitamus tamen, quemlibet fere a præjudiciis & partium stu-

dio immunem Lectorem, qui tædium legendi ea, quæ ad N. T., cui Introductionis gratia præmittuntur, nihil pertinent, vincere constituit, facile deprehensurum, quid rei sit. Nimirum si nulla edita essent *Acta Conventus Eccles.*, nulla *Epistola Apolog.*, nulla *Depulsio Calumniarum*; si denique ne hæc quidem edita a nobis esset *Declaratio*; ipsa tamen *Prolegomena*, auctorem minime innocentem, minime indicta caussa, aut inauditum fuisse condemnatum, minime calumniis & factionibus oppressum; minime tandem ab erroribus, quos docuisse demonstrabatur, immunem satis superque ostenderent.

Quid autem de ipsa *N. T. editione* dicemus? Nonne ipsa Libri inspectio docet, qualis sit editor? Quid alii judicaverint apud exteros Viri clari, ex Diariis eruditorum cum Latinis tum Germanicis patet. Quamvis nonnulli larga manu laudes effundant; ea tamen mox speciminis loco adlegant & adnotant, quæ *Wetstenii* ingenium, ad novas & periculosas res in Religione moliendas natum, aperte produnt. Nos tantum paucis, quid sentiamus, & quid ad rem maxime faciat, aperiemus.

Primum quidem istud aut ab animi ingenuitate, aut a recte judicandi facultate alienum est, quod *Wetstenius*, cum *Prolegomena*, 222. paginarum conscriberet, nusquam di-

ferte indicare voluit, quid sibi fuisset in nova hac N. T. *editione* propositum, quid spectasset, quid consilii habuisset, quam rationem, quos codices, quos Auctores potissimum secutus esset, quid suum, quid ab aliis mutuo sumtum, quid in *Textu*, quid in *variis Lectionibus*, quid denique in *Commentario* præstare studuisset. Quæ uno verbo ad calcem secundi voluminis adjecta, (quæ ibi certe nemo, in *Proleg.* omnes requirent) de iis postea aliquid dicemus. Interim invitus veluti coactus fuit *Wetstenius* aliquid de ratione suæ editionis *Prolegomenis* inserere, postquam scilicet paginas 194, non Lectorem de instituto suo docendi, sed nos criminandi studio implesset. Ibi enim incipit perstringere *Conventus Eccles.* nostri Responsum, de *Novo Test. Wetstenii* Ampl. Proceribus petentibus datum, quod Actor. pag XV. ad XXIV. exstat. Eo responso sententiam suam exposuerant *Theologi* & *Pastores*, de consilio N. T. edendi, quale *Wetstenius* in Examine antea cum ipso habito *Actor.* pag. XIII., post multas tergiversationes, tandem professus erat. Verba hæc sunt: „ se edere *Codicem Alexandrinum*; Le-
„ ctiones ejus singulares ex aliis MStis
„ Codd. item Versionibus antiquis & citt.
„ Patrum confirmare; ubi Codex sit muti-
„ lus supplere; librariorum errata corrige-

 „ re;

„ re; non curare, si aliquammulta loca
„ Divinitatem J. C. probantia, aboleantur
„ cetera se Theologis agenda relinquere.
Hoc est illud N. T., quod anno 1729. d. 9
Sept. ajebat se non editurum; sed *edere*
& aliquid eo pertinens jam suis cognat
Amstelodamum *misisse*. De hoc etiam tu
d. 14. Octobr. sententiam dicebat *Conventi*
Eccles. Summa hæc est: *Editionem quidem*
hanc in communem omnium usum curari; se
tenuem & nullius magni operis laborem, ne
valde necessarium; sed periculosum & Antitri
nitariis faventem, ut Ampl. Proceres Helvetii
suspicati erant. Omnia argumentis firmata
Quid reponat *Wetstenius* in *Proleg. l. c.* leg
potest. In quo certe nihil penitus est ver
aut solidi, si unum excipias, quod infim
p. 197. exhibet: *se Textum communem ex*
primere constituisse; quod certe antea not
constituerat; nec, nisi Magistratu Amste
lod. jubente constituit. V. *Act. Erudit.* Ita
que abijt aliquantulum ab instituto *Wetste*
nius. Sed non nunc demum consilium suum
de *editione* N. T. necessario mutavit. Ante
hac jam id sponte sua mutaverat; nisi potius
jussu *Ampl. Senatus* interrogantibus Theolo
gis & Pastoribus, consilium aliud, ac ha
bebat, narravit. Nam cum mandatum ei
ab *Ampl. Senatu* esset, ut exhiberet, quid
quid ad Typographos misisset aut mittere

in

in animo haberet, exhibuit tandem menſe *Febr.* 1730. IV. folia manu ſua ſcripta, inſerta poſtea Actis p. 309. De iis foliis *Conventus Eccleſ.* reſpondit, quæ leguntur *Abr.* p. 48. ad 58. Summa hæc eſt: *Cum alia omnia hactenus & Conventui & politicis Proceribus de Editione N. T. reſponderit Wetſtenius, nunc tandem ex ſpecimine apparere: quod Textum Græcum pro arbitrio modo ex hoc, modo ex alio MSto conſtituat; quod ſuas Lectiones ceteris omnibus præferat; quod nullum certum Codicem ſequatur; quod in minutiis & Grammaticis ineptiis ſæpius hæreat; quod in gravioribus maxima licentia utatur.* Quid reponat *Wetſtenius* vide *Proleg.* p. 199., ubi illud inprimis urere hominem gloriæ cupidum, intelligimus, quod ſuam operam, quam *nulla* ope ſatis æſtimari poſſe credebat, *omnium* contemtui exponi videbat. Quod autem conqueratur, *ex XII. prioribus Matthæi Capitibus de toto opere* judicari, ſibi ipſi imputet, qui mandanti *Magiſtratui* plura non exhibuerat. Et poterat ſane omnium judicio ex XII. prioribus Matthæi capitibus cognoſci, qualis *Textus* conſtitueretur; quænam eſſet ratio *variæ Lectionis*. At, *Prolegomena*, ait, *mea paulo poſt Baſileam ſunt addita:* hæc refelli debuerunt. Sed cur *Tu ea*, *Wetſteni*, non exhibueras mandanti *Magiſtratui?* Quis ſcire poterat, quid in

 ſcriniis

scriniis Tibi lateret? Quis refellere poterat, quæ non vidit? Esto sic, ut ais. *Prolegomena* paullo post Basileam sunt adlata, *ad edit. N. T. accuratissimam*, quippe ipso anno 1730. excusa. Sed cui Theologorum ea legenda dederas? Dein nonne hæc ipsa *Prolegomena* effecerunt, ut eruditus quidem in re Criticorum videreris, quod nemo negabat: sed audax & perniciosus Criticus ab omni Ecclesia agnosceretis. Non itaque meliorem hæc *Proleg.* anno 1730. edita, neque omnino aliam de tuo animo & consilio spem fecerunt, quam illud IV foliorum *specimen*. Istud autem *Prolegomena* nunc tandem A. 1751. N. T. præfixa porro docent, quod nec antehac obscurum erat: insigni Te animi levitate in gravissima re versari; Te de N. T. deque ejus Codd. loqui ac scribere prius, quam quid loquaris & scribas certo Tibi statutum sit. Hinc tot Variationes, seu vacillationes potius, ut modo sic, modo aliter de Tuo consilio loquaris, modo penitus taceas, ubi quam maxime de eo loqui debebas: ut nunc spernas, quæ olim magni fecisti; magnique facias, quæ olim sprevisti. Sed nobis quidem perinde est, quid *Wetstenio* videatur, quid magni faciat, quidve spernat, dum nostra Ecclesia detrimento non adficiatur. Cetera Criticis relinquimus.

Sic

Sic itaque res sese habet. *Textum* necessario retinuit, qualis receptus est, quia aliter facere non licebat, quamvis ipsi propositum esset talem constituere, qualis placeret ipsi: id quod & in *Proleg*. edit. prim. p. 200. sese facturum receperat, & faciendum esse, N. T. Tom. II. p. 870. verbose probare contendit, adlatis rationibus *Joh. Buxtorfii*, & *Frid. Spanhemii*, qui tamen Viri Cl. non pro arbitrio, nec ad præconceptas opiniones, sed ob *invictas rationes*, Textum aliquando mutari posse crediderunt. *Textum* autem illum, quem invitus retinuit, communem, obelis, asteriscis & lemniscis ita consperſit, ut quid *Wetstenius* sentiat, haud sit obscurum.

Subjunctæ sunt *variæ Lectiones* magna copia, non multo tamen majore, quam in *Millii* & *Kusteri* Editt. exstant. Utrum pari fide, *candore*, *studio veri*, & *animo ab omni studio partium alieno*, ut Tom. II. p. 873. jactat, docebit examen singulorum accuratius, quod hujus non est loci. Interim nemo non publicis commodis magis consultum putaverit, si post tot Editiones insignes, Variis Lectionibus adnotatis instructas, non repetiisset, quæ alii dudum dederant, aut promissis olim datis *Actor*. pag. 48. *se* 30000. *Variantium Lectionum* ad 100. *redacturum*, stetisset tandem aliquando.

 Nunc

versiones Latinas, quippe eruditis non ne- cessarias in *Commentario*, quem *studiosorum caussa* edidit; item observationes eruditorum, quibus sua allegata ad usum Lectorum applicabant, indicabantque, cur ea loca adlegarent, quidve ex illis docere intenderent.: præterea in sententiis Hebræorum Textum hebræum, sola versione contentus, omitteret, ne scilicet *Studiosi* nimium gravarentur: aut potius, quia in Auctoribus, quos exscripsit, Hebraica raro conspiciuntur, Ipse autem fontes Hebr. adire infra suam dignitatem existimavit. Qua quidem contrarietate in *Commentario*, *Studiosorum caussa* conscripto, sibi quidem imminuit, sed aliis, in divinando, quid sibi vellent hæc, auxit laborem. Largientur & hoc omnes, *Wetstenium*, præter *Viros claros*, quos in extrema pag. 898. nominavit, etiam alios in consilium adhibuisse non obscuriores, immo in suum opus eorum Opera transtulisse. Nemo enim credet, aut tam curtam ei Librariam supellectilem fuisse, ut *Lightfooti* scriptis. aut qui ex illo jam sapuit, *Ottonis* Lexico careret, aut ipsum tam insigni subsidio ad comportanda hebræorum dicta non sedulo usum, cum ipsa inspectio contrarium doceat. Sed hoc peccatum non est, nec in eo Ecclesia laborat, si quis *Grammaticorum* & *Criticorum* libros

com-

compilet. Interim non latet prudentiores, quonam hæc πολλὴ φαντασία collineet, ut nimirum simpliciorum & rudiorum oculi perstringantur, & venenum tanto facilius diffundatur, sub specie magnæ eruditionis.

Istud enim est majoris momenti, quod in eo quidem *Commentario* eas sese sequutum *regulas* confirmat, quæ si recte capiantur, recteque applicentur, non multum reprehendi deberent. Sed ita eis usus est, ut instar Lesbiæ regulæ consilio egregie servirent. Illud enim non magnopere curamus, quod ipse *Wetstenius* ait, se a nonnullis reprehensum fuisse, quod *nimiam diligentiam* adhibuerit, id est, quod minutissima quæque & nemini ignorata, aut nullius plane usus, sexcentis Auctorum Vett. locis adstruere fategisset. Ceterum, quod ad IV. regulam p. 876. adnotat, de λύτρῳ, de *Sacrificio pro peccatis*, de *Satisfactione*, de *Dæmoniacis*, egregie confirmat ea, quæ in *Actis* ipsi objecta leguntur; eumque in his non eadem sentire, quæ Ecclesia Ref. docet. Regula V. *Scriptorem S. aliquando ex sententia aliorum, aut ex vulgi opinione vel incerta vel falsa fuisse locutum*; ut ad innumera alia capita Religionis elidenda utilis est, ita egregiam præbet occasionem dicta S. Scripturæ de *Dæmonibus* eo declarandi modo, quo eum olim declarasse eadem *Acta* docent. Ex eo fonte

fonte videtur emanasse. VII. *Regula*, cui plurimum, non sine caussa, tribuit *Wetstenius*. Ita enim ex *opinionibus olim receptis* docet, *miracula* in N. T. narrata sic interpretari, ut a *piis fraudibus* parum absint. Ait pag. 881. *Miracula* esse *argumenta ad hominem*, quae sint *probabilia*, *petita aliquando ex opinionibus*, *quas pro veris & certis habet* ille homo, *licet forte nec certae sint*, *nec verae*. *Talibus* scriptorem *non tantum uti posse*, *verum etiam debere* contendit. Id quod fecisse olim Oratores ex *Cicerone* & *Gellio* probat, *multa disputandi magis animo*, *quam ex sententia dicentes*. Sicque tandem concluditur; *quae quivis sibi permittat*, *etiam Scriptoribus N. T. licuisse*. Quo haec ducant vident prudentiores. Sic percommode secundum sententiam Wetstenii explicari possunt, quae de *Sacrificiis*, & illo potissimum, quod Christus obtulit, de *Diabolo*, *Daemonibus & Angelis*, de *tot & tam variis miraculis* leguntur, quae cur scripta sint, fere ignorabit, qui non de opinionibus aut *Platonicorum* aut *Judaeorum*, aut denique *Vulgi*, *quamvis nec certis nec veris*, edoctus fuerit. Si dixisset, *Platonicorum*, *Judaeorum* & *Vulgi* errores eo a nobis cognoscendos, ut quae iis a Sacris Scriptoribus opponuntur, rectius intelligamus; dixisset id, quod multi ante ipsum recte dixerunt. Nunc autem *erroribus aliorum* se ac-

com-

commodare, multa disputandi magis animo, quam *ex sententia* dicere, quis *sibi permittit*, nisi is, cui, dum vincat, perinde est, seu dicat verum seu mentiatur? Hæc qui *scriptoribus N. T. licuisse* credit, næ is impie cum de eorum sinceritate, tum de Θεοπνευςία sentit! Hoccine est, *quibusvis quidvis* fieri, quod improbe ex 1 *Cor.* IX: 22. huc pertrahitur? Num ita se gessit *Paulus* Apostolus, ut pensi non haberet, verane doceret, an falsa, modo vinceret? Sed vide iterum *Acta*, quæ passim docent, omnem ex Wetstenii animo reverentiam, Apostolis J. C. debitam, penitus exulare. Interim agnoscit tamen *Wetstenius* p. 883. in *miraculis* τὸ Θεῖον, eaque facta fuisse, ut probaretur, *Jesum esse Legatum Dei*. Hoc si ita esse creditur, cur ergo *Miracula* dicuntur esse *argumenta ad hominem*; aut quid ad narrationes *Miraculorum* declarandas tantopere celebratur *regula*, de *opinionibus Vulgi*, ad quas sint accommodatæ, quamvis eæ opiniones, *nec certæ nec veræ sint*? Sed nam ante nos videntur & alii hæc objecisse. Itaque allegat p. 879. loca quædam *Commentarii* sui, in quibus agatur de *miraculis*. Sed cum ex innumerabilium *miraculorum* copia, sex tantum loca allegentur, in iisque quædam sint, ubi nulla est ullius *miraculi* mentio; reliquæ adnotationes, ad quas provocat,

ut

ut sententiæ suæ de *miraculis* vera argumenta, ferme tales sunt, ut sine scandalo legi non possint. Quid enim ad *Conceptionem* D. N. J. C. ex Spiritu S. *Matth.* I: 20. faciunt Græcorum & Latinorum Scriptorum loca, quibus gentilium Heroës mortalibus quidem matribus, sed ex Deorum amoribus nati dicuntur, ut *Perseus*, *Hercules*, & ceteri? Quis cum fructu & ædificatione leget, quæ ad *Matth.* III: 16. ex Poëtarum Gentilium fabulis de *cœlo aperto* leguntur? Sic & apud *Joh.* II: 11. *vini a Christo ex aqua creati* miraculum fabulis de *Baccho* comparatur. Ex his enim Historiam Evangelicam illustrari, ne ipse quidem *Wetstenius* dicet. Quid enim in eo versiculo, ad quem hæc adnotantur, obscurum est? quid per eas adnotationes illustratur? Nihil certe agitur, quam ut *miraculum* Christi impiorum risui exponatur. Hæc loca ipse auctor indicavit; quibus si addere cetera similia aut deteriora velimus, Volumen nobis conscribendum esset. Librum *Wetstenii* ubicunque aperueris, reperies ipse talia. Inter cetera perculit mentem nostram, cum ad *Luc.* VII. ubi Historia suscitati adolescentis, qui ex urbe Naïn efferebatur, exstat, versiculo 15. in quo nihil omnino est, quod ulla expositione opus habet; postquam aliquot auctoribus probasset, quod nemo ignorat, ἀνεκάθισεν

signi-

ſignificare *erectus conſedit*; ex abrupto adjicit *Artemidori Somnia*, ubi narratur, aliquem pro mortuo elatum, frictione & unctione Aliptæ reſtitutum fuiſſe. Quid hæc ad rem? Credimusne adoleſcentulum illum, de quo Evangeliſta agit, falſo pro *mortuo* habitum, & ſic revixiſſe, qui nunquam mortuus ſed deliquio forte animi proſtratus fuerat? Hoc eſt ſcilicet religioſe tractare S. Codicem! Hoc eſt *Studioſorum uſui* adjecto *Commentario* conſulere! Sed cavebunt ſibi, qui ſapiunt, a libri tam peſtilentis uſu veritatis & pietatis ſtudioſi.

Quod ad cauſſam ipſam attinet, quam *Wetſtenius* cum proprio dedecore in ſuis *Proleg.* ab oblivione hominum vindicare nititur; non dubitamus adfirmare, ſi *Conventus Eccleſ.* N. T. cum *Wetſtenii adnotationibus* editum jam olim in manibus habuiſſet, multo faciliorem ei futurum fuiſſe errorum *Wetſtenii* demonſtrationem. Quamvis enim ea in *Actis* ſic facta fuerit, ut neque Ampl. *Magiſtratus*, neque *Eccleſiarum Helveticarum* Antiſtites atque Miniſtri, neque denique *Exteri*, quotquot ea legerunt extra partes poſiti, quidquam ulterius deſiderarent: non potuiſſet *Wetſtenius* clamitare, *excerpta Diſcipulorum*, id eſt ea, quæ ex docentis ore excepta ſtilo conſignaverant auditores, non habere vim probandi. Conferat *Excerpta*

illa in *Actis* expressa, cum *Commentario* & *Adnotationibus* ab ipso editis, qui volet; videbit *Wetstenium* talem auditoribus suis se olim exhibuisse, qualem in *Commentario* nunc toti Ecclesiæ se exhibet. Neque enim excipere potest, in hoc *Commentario* non suas sed aliorum expressas sententias esse. Verba ipsius clara sunt in fronte *Proleg. Illam tantum ex omnibus seligere decrevi interpretationem, quæ mihi aut unice vera, aut verisimillima videbatur.* Loca igitur de *Divinitate Christi* agentia omnia, aut varietate Lectionis, & Crisi, ut jam dictum, aut callida interpretatione sic sunt enervata, ut ex *Wetstenii* sententia nihil supersit, quo ea (vero scilicet, non Ariano sensu) doctrina comprobetur. Vid. *Actor.* XX: 28. *Rom.* IX: 5. *Philip.* II: 6. *Joh.* V: 18. *Joh.* VIII: 58. *Joh.* XIV: 9. coll. XII: 45. *Joh.* XVII: 3. 1 *Tim.* III: 16. *Apoc.* III: 7. *Coloss.* II: 9. *Galat.* I: 1. Ubi, cum negare non posset, Christum æque ac Deum Patrem hominibus opponi; noluit tamen *Christum Deum*, aut *divinæ Naturæ*, dicere; sed hæc posuit, *Christum non merum hominem, sed Divinioris naturæ fuisse*: quod Arianus haud negabit: Conf. *Matth.* XIV: 33. adde 1 *Joh.* V: 20. *Apoc.* I: 18. *Rom.* I: 3, 4. Quid dicemus de verbis Christi *Joh.* X: 30. *Ego & Pater unum sumus*, quæ *Wetstenius* ex

Ari-

Aristotele interpretatur & *Euripide*, qui *Apollinem* & *Liberum unum eundemque Deum esse*, *ajunt*. Quid de loco 1 *Joh.* V: 7. quem non tantum Criticis argumentis impugnat, sed etiam in eos stomachatur, qui illum locum aut pro genuino defenderunt, aut saltem hæsitarunt, nec statim absque dubitatione rejecerunt. Ex eodem stomacho prodiit, quod Vol. II. p. 723. nobis narrat, de illa Adnotatione, quam Editores Bibliorum Germanorum Basil. *Theod. Gernlerus*, & *Frid. Battierus* ei loco addiderunt a. 1720. Nam *Wetstenius* & omnem illam Adnotationem, & postea in ea factas mutationes Ven. *Frey* attribuit, qui tamen nec quidquam in illa editione attigerat, nec factam postea in adnotatione mutationem sciverat, donec a *Wetstenio* sibi hoc criminis, quod tamen omnino nullum est, objici cognovit. Vivit adhuc *Bibliopola*, qui indicare poterit, cujus opera sit usus, cum adnotatio primum *folio abscisso*, ut narrat *Wetstenius*, dein cum Liber denuo ederetur A°. 1736., fuerit reficta. Quæri per suos curet, quomodo hæc gesta sint; reperiet, se turpiter heic, ut sæpe, malevolentia animi deceptum esse, & alios decipere voluisse. Cognoscet etiam, quis sit ille *Vir doctus*, qui editionis secundæ curam gessit, & ex MStis primorum *Editorum* mutatio-

 nes

nes nonnullas & correctiones in adnotationibus excerpsit. Quod vero de adnotatione prima adfert, testimonium hominis, qui αὐτόγραφον se vidisse ait; id tale est. Erat *Theod. Gernlerus*, qui cum *Frid. Battierio* eam editionem curabat, Ven. *Freyi* avunculus. Hic cum Nepote in his litteris exercitatissimo non poterat non sæpius de hoc opere colloqui, & quid is sentiret, cognoscere. Cum ad hunc locum 1 *Joh.* V: 7. pervenisset sermo, rogavit, quænam essent argumenta, quæ potissimum contra ejus γνησιότητα a Criticis adferri solerent. Respondit Nepos id quod res erat, ejusque responsionis summam petenti postmodum scriptam tradidit. Hinc adnotatio ab Editore desumta est. Ipsa vero adnotationis compositio, adeoque & Epicrisis adjecta, est Editoris. Pupugit autem *Wetstenium* hæc Epicrisis, & bilem hominis excitavit, quod locus genuinus declaratur, & utrumque defenditur. Sed de hoc satis. Provocaverat aliquando *Wetstenius* ad *Job.* I. & *Hebr.* I. ut probare contenderet, sese in dogmate de *Filii Divinitate* orthodoxum esse. Jam vero unumquemque Christianum, qui sciat, quid *Orthodoxum*, quid *Arianum* sit, rogamus, ut his locis a *Wetstenio* adnotata legat; videbit ipse propriis oculis, nihil ibi dici, nisi quod ipse *Arius* dicere potuisset, immo, quod

quod *Arianismum* propugnet. Nam, ut unum e multis adferamus, quale est illud, quod *Hebr.* I: 10. ubi *Filio Dei creatio mundi*, item *aeternitas*, *immutabilitasque* attribuitur, adnotatum legimus? *Cum ita decurrat Oratio Pauli*, inquit Wetstenius, *ut quae de Angelis dicta sunt, opponat iis, quae de Filio dicuntur, cumque alternis de Angelis & Filio loquatur; commate vero 13. de Filio sermo fit, consequens est, ut comma 10. 11.* & 12. *de Angelis interpretemur.* Sic ergo non de *Filio* dicuntur, quae inde a *vs.* 8. ad 13. occurrunt, & quae ipse Apostolus πρὸς τὸν υἱὸν, ad Filium dicta adfirmat, & quae omnis Ecclesia orthodoxa eo refert, & ni Apostolo fidem derogare velit, referre debet. Alter locus, quo se orthodoxum aliquando demonstrare voluit, est *Joh.* I. ubi alio artificio utitur Commentator ad *Arianismum* instillandum. Cum enim ad *vs.* 3. voc. λόγος, Verbum, dixisset: *Quamvis ea a Platonicis & Gnosticis desumta esset, tamen proprie Personam a Deo Patre distinctam designari:* addit dein Voc. θεὸς ἦν, *Deus erat*, plurima loca Auctorum Latinorum, Graecorum, Hebraeorum, quibus *Reges* & *Reginae* dicti sunt *abusive*, qui non erant *proprie*, sed tantum *Filii Filiaeque* Regum. Postea quaerit, *quo sensu Christo titulus Dei tribuatur, cum in toto N. T. si istum Joh. & alios duos vel tres locos excipias*,

constanter Pater ita vocetur? Responde[t] *Patrem solum Deum* κατ᾽ ἐξοχὴν, *eminente[r]* solum αὐτόθεον, *Deum a se* esse, neque e[o] secius *Filium dici Deum*, eo scilicet modo quo ante indicaverat, id est, *abusive a[c] modo poëtico*, quo verba *Servii adduci[t].* Illustrat rem exemplo *Patris & Filii* in fa[-]milia, ubi uterque *Herus* appellatur; sed u[t] apud *Plautum* est, alter *major*, *minor* alte[r.] Porro *Deum Patrem* vocari cum articul[o] emphasin exprimente, *Filium* sine eo; il[-]ludque, *qua distantia* i. e. *infinita*, ut olim in excerptis locutus fuerat, dicatur, ex us[u] Græci sermonis intelligi. Hæc si orthodox[a] sunt, oportet ut omnes Ecclesias Christia[-]nas, *Arianis* & ceteris *Antitrinitariis* ex[-]ceptis, pro Heterodoxis habeamus. In ceteris eodem modo se res habet, ut de *ado[-]ratione Christi* ad *Matth.* XIV: 33. eadem adnotantur, quæ *Act.* p. 293. objecta le[-]guntur. Sic de *Spiritu S. Actor.* V: 3. confer. *Act.* p. 85. *De inspiratione Scriptorum S.* quid sentiat, tum ex supra dictis de *Accommodatione* eorum ad errores Judæorum & Gentilium patet, tum ex adnotatione ad *Luc.* I: 7. ἔδοξε κἀμοὶ, *visum est & mihi.* Verba hæc sunt. *Si Lucas vel Pauli horta[-]tu, vel peculiari Spiritus S. afflatu ad scriben[-]dum impulsus fuisset, rem memoratu tam dignam & ad auctoritatem scripto conciliandam tam*

idoneam

ibmeas silentio neutiquam transiisset. Hic disertis verbis Lucæ Θεοπνευςίαν abjudicat, & quidem ejusmodi permotus ratione, quæ & alios scriptores Sacros hac ἐξοχῇ & dignitate excludit. Quid de *Dæmonibus* & *Dæmoniacis* tradat, eadem prorsus cum iis, quæ ab eo olim tradita *Act.* p. 201. s. referuntur, constat ex diffusa Dissertatione, quæ *Matth.* IV. in fin. adjecta est, item ex iis, quæ supra ex Tom. II. adlata sunt; quibus addi complura possent. Unum notamus ex notis ad *Joh.* X: 20. Ubi verba impia Judæorum quorundam de Christo dicentium: *Dæmonem habet, & furit*, sic interpretatur: *Non intelligimus, quid sibi velit.* Illa vero, quæ alii saniores respondisse *vs.* 21. memorantur: *Ista verba non sunt Dæmoniaci. Poteßne Dæmon cæcorum oculos aperire?* tacitus omittit, ne fateri cogeretur, priorum interpretationem improbam & ineptam esse. Est autem, ut & hoc adnotemus, hoc folium 909. quo magna pars, *cap.* X. *Joh.* continetur, incertum qua de caussa, abscissum, & aliud a *Wetstenio* substitutum. Equidem suspicionibus, quibus heic multis magnisque locus est, non agimus. Interim & hoc, quod attulimus & aliud præterea gravius est relictum. Nam ad *vs.* 18. *Habeo potestatem ponendi vitam, & habeo potestatem rursus accipiendi illam*: hæc

additur interpretatio: *Qui vitam accipit accipit a dante, h. e. Deus Pater Filium e mortuis excitavit.* Sed ut ad superiora redeamus, erit instar omnium adnotatio ad *Eph.* II: 2. p. 242. *Paullus ita loquitur ex principiis Philosophiæ Pythagoreæ, quibus illi, ad quos scribit, imbuti erant; non autem, ut partem doctrinæ a Christo sibi revelatæ & omnibus credendæ traderet.* Sic ergo doctrina *Pauli* de *Principe tenebrarum* est *Pythagoricum* dogma, non Christianum! confer. *Apoc.* XII ubi ea, quæ *de Dracone magno, serpente antiquo, Diabolo, Satana* dicuntur, *Neroni* Imperatori applicantur. De Historia *tentationis Christi Matth.* IV. objectum *Wetstenio* fuit in *Actis* p. 115. s. quod eam per merum *somnium* & *Visionem* interpretari tentasset, immo vero tandem eo processisset, ut tentationem illam Filii Dei, non *Satanæ*, sed ipsius *malis cogitationibus & cupiditatibus* adscriberet. Cohorruerunt omnes ad blasphemiam, quæ Filium Dei ad depravationem cujusvis hominis deprimeret. Quid vero nunc in *Commentario* suo habet? Pag. 274. Tom. I. disputat primum contra eos, qui tentationem Christi, *vere* per *Diabolum* contigisse credunt. Tum commemorat esse quosdam, *qui conjiciant, totam istam tentationem in visione seu repræsentatione contigisse, sive illa visio a Diabolo objecta fuerit*

sive

sum non; cui sententiæ postquam ex *Virgilii Æneid.* confirmationem addidisset, non obscure adsentitur. Porro addit, eam ab *Interpretibus*, *qui hodie vivunt tanquam blasphemam rejici: sibi tamen blasphemam non videri, quod Oecolampadius, Calvinus, Bucerus, aliique tentationem aut partem ejus in visione & somnio contigisse putarunt, & quod nemo non veterum summopere laudaverit deliberationem Herculis a virtute & voluptate tentati.* Hæc est adnotatio *Wetstenii.* Nunc judicet pius Lector, quanta sit injuria homini facta, quantaque fiducia clamitare queat; *dictata auditorum suorum sibi non esse imputanda*, cum ipse ea, & hoc quoque de sanctissimi Servatoris *Tentatione* publice & in omnium oculis non confirmet tantum, sed & defendat. Si qui veterum aut recentiorum Interpretum *Visioni ecstaticæ*, bono sensu acceptæ, attribuerunt illam *Tentationem*, quod an omnino, aut an recte factum sit, hujus loci non est examinare: nemini tamen in mentem venisse credimus, ut dubitaret, quemadmodum *Wetstenius* dubitat; utrum a *Diabolo ea repræsentatio objecta fuerit, an non?* Quis pius dubitabit, prava omnia a Dæmone esse? Aut si non sint a Dæmone; suntne a Deo, aut ab ipso sanctissimo Servatore? Dein, quinam sunt illi Interpretes hodie viventes, qui id tanquam

blasphemum rejecerunt? Sunt, ut videtur *Basilienses Theologi*, qui *Acta* ediderunt, ex quibus illum, qui solus est superstes, Ven. *Frey*, Proleg. p. 186. *claris Interpretibus* adnumeravit, eum tantum in finem, ut injuriam sibi esse in *Actis* factam jactaret. Hi certe blasphemam illam esse sententiam rectissime pronuntiarunt, non quatenus simpliciter hoc in Ecstasi contigisse arbitrantur nonnulli: quod & veteres & recentiores quosdam fecisse, sed innocenti sensu, nemo ignorat; sed quatenus *Christo malæ cogitationes & cupiditates adscribuntur*. Denique, quam egregie defendit suam interpretationem, cum *Tentationem Domini* nostri, *deliberationi Herculis a virtute & voluptate tentati* comparat. Siccine Blasphemiæ culpam tollit, qui Filium Dei in *bivio virtutis* & *vitii* stetisse, quam viam ingrederetur *deliberasse*, aut, ut *Ciceronis* verbis, quæ adferuntur, utamur, *diu multumque dubitasse*, dicit? Aut numquid narrationem Evangelistarum similem esse putat ille Veterum de *Hercule* figmento? Plura de his addere vetat horror, quem improbitas rei, animo nostro impressit.

Prætermittimus multa, quæ facile invenient, qui quærere volent. Addimus tamen pauca e gravioribus, quæ supersunt. *Actor*. p. 165. f. objicitur *Wetstenio*, quod *statum*

statum medium s. Somnum Animarum a morte usque ad resurrectionem corporis statuat. Id cum nunquam magnopere negare potuerit; tum adnotatione ad *Philip.* I: 23. p. 266. T. II. egregie defendit, his verbis adnotationem concludens: *Ergo mortem praeoptavit Paulus, ut liberaretur ab hujus vitae molestiis; — non vero quod crederet mortuos citius pervenire ad Christum, quam vivos.* Iterum ad 2 *Corint.* V: 9. diserte dicit, animas deposito per mortem corpore *dormire* his verbis: *Tria tempora Paulus distinguit: primo vestiti sumus corpore, & in hac terra habitamus; secundo nudi deposito corpore & exuta veste dormimus, exspectantes judicium & resurrectionem; tertio surgimus & judicio sistimur.* Dein ad *Apoc.* XIV: 13. voc. μακάριοι οἱ νεκροὶ, *beati mortui*, adnotat; *Proverbium, quo non tam declaratur, quid mortui sentiant, quam quid non sentiant:* id quod deinceps ex *Homero*, *Virgilio*, *Ovidio* &c. probatur. Ergo *Beati* a Johanne Ap. heic pronuntiantur, *qui nihil sentiunt.* Ad hoc idem caput quae adnotantur, docent, quam scite noverit *Wetstenius* evertere argumenta Christianorum de *Aeternitate poenarum Inferni*, de qua re *Actor.* p. 186. fuse agitur. Nimirum totum hoc caput de *fatis Romani Imperii*, interpretatur; dein vs. 11. *fumus cruciatus ipsorum ascendit in secula seculorum, & non habent*

habent requiem die nocteque, sic ὁ ...φερίζε... *Othoniani milites non impune ferent protervia & ferociam suam.* Tum ex Tacito comm... morat *oppugnationem Placentiæ*, & *incendiu... Amphitheatri.* Quid est ludere in sanctis li... teris, si hoc non est? Si animum remi... tere, & ridendi materiam lectoribus dar... voluit, cur non *Artemidori somnia*, aut aliur... ejus generis auctorem sibi interpretandur... delegit? Sic *Matth.* III: 12. *de igne in... exstinguibili: Cum de eversione Hierosolymorur... sermo sit*; — πῦρ ἄσβεστον, *significat talen... ignem, qui non prius exstingui potest, quam omni... consumserit, atque deleverit:* quæ adnotati... totidem verbis olim a Discipulo except... erat. V. *Actor.* p. 302. Ad reliqua iten... loca, eodem pertinentia, aut nihil, aut talia adnotavit, quæ nos in sententia de ipso confirmant.

Quid nunc ex omnibus istis est colligendum? Illud primo, quod erit omnibus, qui hæc legerunt, manifestum: *Commentarium* istum *Wetstenii*, & ceteras quoque *annotationes*, illas nimirum, in quibus non simpliciter & ex nuda veritate varias Lectiones refert; sed suum sequitur atque aliis ostendit judicium, esse opus omnibus piis horribile, scandalosum & pravum; adeo quidem, ut vix ullus unquam impiorum majore temeritate atque impudentia Verbum Dei ludibrio

brio habuerit, atque adeo proculcaverit. Ipsis autem illarum, in quibus Liber excusus est, Provinciarum Theologis, nec non Politicis Magistratibus, expendendum relinquimus, quantum Rei Christianæ interfuerit, ut propudiosus hic fœtus omni modo supprimeretur. Deinde vero existimamus, satis superque a nobis probatum esse, id quod initio diximus: non opus esse, ut actum agamus; sed in *Actis* publicis jam editis, una cum *Epistola Apologetica* & *Depulsione Calumniarum*, quatenus hanc caussam spectat, nos acquiescere posse: tantoque magis *Wetstenii* impudentiam esse detestandam, quod in eo ipso Libro, in quo se *innocentem*, *inauditum*, *indicta caussa damnatum* clamitat; suos illos errores non modo repetere; sed & defendere utcunque est ausus. Neque enim metuendum existimamus, ne quis injuste *Wetstenium* a Ministerio S. immo a Communione ipsa Ecclesiæ Reformatæ exclusum esse censeat, qui in capitalibus Dogmatibus, *de S. Trinitate*, *de Persona Filii Dei*, *& Spiritus S.*, *de satisfactione pro peccatis*, *de Aeternitate poenarum inferni*, *de Infallibilitate* & Θεοπνευςία *Sacrorum Scriptorum*, & aliis, ab illa Ecclesia discedit.

Quapropter nihil ad hoc usque tempus invenimus, quod, ut nos nostræ sententiæ

jam

jam olim declaratæ pœniteat, aut, ut ear
ulla in parte immutemus, efficiat. De
O. M. enixis precibus Ecclesiam nostram
commendamus eumque rogamus, velit eam
ab ejusmodi lupis rapacibus potenter cu
stodire; *Wetstenium* ad seriam resipiscentiam
reducere; nobis autem & omnibus suis
ministris fidelibus eam animi constantiam
addere, ut ad finem usque vitæ pro virili
talibus hominibus nos opponamus, & ἄνδρας
λαλοῦντας διεστραμμένα ab ovili Christi quam
diligentissime arceamus.

A M E N.

II.

TIBERII DE BAAR,

V. D. M. WITMARSUMI,

INTERPRETATIO

Visi Jacobo in somnio oblati,

GEN. XXVIII: 12, 13.

§. 1.

Visum Scalæ, in terra positæ, sed ad cœlum usque se porrigentis, per quam Angeli adscendebant & descendebant, cujusque in summitate stabat Jehovah, quod Jacobo, iter in Mesopotamiam facienti, & jam in quodam Cananææ loco pernoctanti, in somnio fuit objectum, etiamsi Patriarcham de speciali cura & tutela, qua Deus illi, speciatim in hoc itinere, adesset, eum-

que

que duceret ac custodiret, certiorem reddidisse putem, ut vel ex luculento promisso vs. 15. haud obscure colligitur; attamen hunc proprium & directum illius fuisse scopum, non existimaverim: (1) quia Visum ex hac hypothesi non nisi coactam & plane incommodam admittit explicationem, ut ex iis, quæ hic adferuntur ab Interpretibus, facile videre est. Sic e. gr. sunt, quibus scala designat iter Jacobi, Angeli adscendentes sunt illius abeuntis custodes, descendentes redeuntis. Qualia memorasse est refutasse. (2) Nimis augusta & sublimis est revelatio, hoc Viso comprehensa, quam ut ad personam singularem tantum respexisse, nec majus quid in recessu habere, censeri queat. (3) Necesse non erat, ut Patriarchæ animus tali Visione symbolica erigeretur, faustumque ipsius iter illo modo ei præsignificaretur, cum satis superque hoc fiat in sequenti, quem Deus ad eum habet, sermone. (4) Visa hujusmodi res futuras, & magni quidem momenti, portendere solent; adeoque Deum & hic Jacobo novi quid, ipsi hactenus vel plane non, vel non nisi obscurius cognitum, ob oculos ponere voluisse, dubitari fere nequit.

§. 2.

§. 2.

Missis suoque loco relictis aliorum cogitatis, quæ a Visi nostri scopo & circumstantiis longius aberrant, hic inprimis in censum venit communis & apud omnes ferme recepta opinio, delineatum eo fuisse Messiam, tanquam Θεάνθρωπον, unicam ad salutem cœlestem viam, cœlumque ac terram secum unientem. Nec mirum, in eo consentire passim Interpretes, quum ipse Servator ansam nobis ita cogitandi omnino præbere videatur loco *Joh.* I: 52. Mihi nullum quoque est dubium, quin Regnum Messiæ sensu sublimiori & magis mystico *hic* vere intendatur, licet Interpretes in Visi juxta *hanc* hypothesin expositione & applicatione rem passim acu non tetigerint, (de quo postea) attamen quo minus illud hic proxime & directe fuisse depictum, mihi persuadeam, sequentes me potissimum movent rationes: (1) quia nullum Messiæ se hic offert criterium characteristicum, nihil quod nos de eo directe cogitare jubet. Vulgo quidem putant, Visum non aliter nisi de eo posse explicari, sed contrarium me ostensurum esse spero. (2) Nullam video rationem satis commodam, quare Messias hic in scenam produceretur, & in

his circumstantiis atque hac occasione Jacobo ob oculos sisteretur; præsertim cum in luculentis, quæ ipsi mox exhibentur, promissis, nulla ejus directe fiat mentio. (3) E contra hæc versantur tantum circa bona ac privilegia temporalia, in Jacobum ejusque semen suo tempore a Deo conferenda; ad qualia proinde etiam Visum hoc delineanda tendere, omnino probabile videri debet.

§. 3.

Ex mea opinione Jacobo in hoc Viso præfiguratur ingens illud privilegium gloriosæ Dei præsentiæ & inhabitationis, ac Regni divini in medio sui locum habituri, quo aliquando terra Cananæa, & Jacobi posteritas eam incolens, gauderet, præ aliisque regionibus & populis longe excelleret. Cujus cogitationis mihi ansam præbuit Vir summus, qui novam & insignem plurimis S. S. locis passim in scriptis suis inspergere solet lucem, *H. Venema* in *Dissert. ad Genes.* p. 159. ubi locum nostrum in hanc mentem breviter tangit. Et habet omnino hæc hypothesis, quo se commendet: Etenim (1) egregie occasioni & scopo hujus Visi convenit. Prima enim jam vice se Deus Jacobo revelabat in ista terra Cananæa;

na; in ea posita, erat scala, ipsius oculis objecta, eamque Deus ipsi statim *vers.* 12, monstrat, tanquam futuram posterorum ejus sedem, ab ipso Deo iis assignandam; praeterea luculenta specialis, quo illos prosequeretur, favoris sui ei facit promissa *vs.* 13. Quibus manu quasi ducimur ad habitationis Dei tanquam Domini & Regis, in hac ipsa terra olim inter Israëlitas futurae, symbolum in hoc Viso agnoscendum, utpote quod hic aptissimum invenit locum. Saltem in eo ad terram Cananaeam, populumque Israëlis in ea, respici, haud difficulter exinde conjicitur. (2) Emblemata Visi, recte intellecta, eo nos sponte ducunt; quemadmodum nunc porro in clariori luce collocabo.

§. 4.

Scala, cujus emblema non recte perceptum Interpretes in devia rapuit, quae in terra stabat, sed ad coelum usque pertingebat, adeoque coelum & terram extremitatibus suis adtingens, longe aptissimum hic conjunctionis utriusque gerit symbolum, ut facile videtur; nec illa unquam clarius figurari potuit: connectit enim scala secum invicem, quae longius remota & inaccessa sunt, & a loco inferiori ad superiorem,

& vicissim, facillimam præbet viam, qu
ejus proprius est usus, uti notum est. Cœ
lum itaque & terra hic sistuntur conjunct
& unita. Terra vero hic non intelligend
est universa, quam late patet, sed restrict
terra Cananæa: quo nos ducit, tum quo
Visum hoc Jacobo in terra ista morant
ostensum, & scala ibi posita fuerit, cuju
rei alias nulla dari potest ratio: tum quo
Deus statim *vs.* 12. de ista terra sermonem
instituat ad Jacobum, ejusque promiss
circa illam versentur: tum denique quod
Jacobus gloriosam Dei præsentiam referat
& restringat ad locum, in quo Visum ipsi
obtigit, qui erat locus Cananææ, dum eum
tremendum, *domum Dei*, & *portam cœli*, ap-
pellat *vs.* 17. Jehovah porro, qui in scalæ
summitate, cœlum sedem Dei adtingente,
stare repræsentatur, hic clare depingitur
tanquam cœli & terræ supremus Dominus,
& Rex altissimus, independens ac omni-
potens, qui omnia sibi subjecta habet, adeo-
que verus Deus. Et qua talis in Cananæa
conspicuus, cumque terra ista per inter-
mediam scalam conjunctus, sive in illa præ-
sens, hic sistitur. Quæ omnia quo tendant,
& qua ratione in terra Cananæa atque po-
pulo Israëlitico, terram istam incolente,
impleta fuerint, non est in difficili positum.
Etenim Terra hæc postea facta fuit specialis
Dei

Dei sedes & domicilium, peculiari ratione ab ipso possessa & inhabitata; unde *terra Jehovæ* vocatur *Hos.* IX: 3. *terra possessionis Jehovæ Jos.* XXII: 19. Deusque toties illam, aut in medio populi Israëlitici, eam tenente, *inhabitare* dicitur, ut *Exod.* XXIX: 45, 46. *Levit.* XXVI: 11, 12. *Ps.* CXXXII: 13, 14. *Ezech.* XXXVII: 28. *Zach.* II: 11; & alibi sæpe. Speciatim sedem suam ibi fixit in Tabernaculo, & inprimis postea in Templo, in quibus visibile etiam præsentiæ & majestatis suæ symbolum posuit; quo loca allata maxime ducunt, vid. & *Deut.* XII: 5, 11. & ubique in S. S. Dominium suum longe illustriori, quam usquam, ratione ibi exercuit Deus; erat enim supremus populi Israëlitici Rex, omnibusque Regii muneris partibus inter illos fungebatur, ut ex statu populi istius Theocratico nemini non notum est. Multiplici ratione Deus se variis Divinitatis, potentiæ & majestatis suæ signis præsentem demonstravit in terra Cananæa, inprimis per frequentes populi sui liberationes ab hostibus; de quo ex Historia itidem omnibus constat. Terra itaque ista recte olim fuisse censetur sedes Veri Dei; quo & pertinet, cognitionem, ac cultum ipsius, qua talis, ibi tantum viguisse, cum totus cæterum mundus idolis passim adhæreret. Arctissimum terræ isti ac populo cum cœlo

commercium intercessit, dum Leges cœlestis originis, ab ipso quippe Deo latæ, ibidem, nec inter ullas gentes alias, obtinerent conf. *Ps.* CXLVII: 19: 20.; favoris quoque ac bonitatis supremi Numinis luculenta indicia ac effecta ibi conspicerentur; quo nomine inter alia Cananæa toties tanquam lacte & melle fluens, & a Deo longe præ aliis regionibus benedicta, in S. S. celebratur. Præterea via & aditus ad cœlum seu felicitatem sempiternam hic tantum, nec alibi, patebat hominibus; vera enim & salutaris Religionis doctrina, quam Gentiles ignorabant vel negligebant, in populo solum Israëlitico olim conservata est & viguit, eique per Legem ac Prophetas inculcata fuit. Ut paucis omnia comprehendam, Israëlitæ erant populus Dei fœderalis, *peculium ejus*, *Regnum Sacerdotale*, *Exod.* XIX: 5, 6. & ipse Deus illorum, ut sæpissime dicitur; terra vero, quam incolebant, Cananæa longe illustrissimum gloriæ ac præsentiæ Divinæ fuit theatrum. Quæ ad implementum hujus Visi demonstrandum abunde sufficere arbitror.

§. 5.

Persona illustris, quæ in scalæ summitate stabat, cujusque veræ Divinitatis clara hic

se

se offerunt criteria, proprie fuit Filius Dei, qui Angeli Jehovæ nomine frequenter venit; ut ex collatione loci *Cap.* XXXI: 11, 13. ubi ille Angelus Dei vocatur, clare a Theologis nostris contra Divinitatis Jesu Christi hostes aliosque evictum est. Quam aptissime autem Filius Dei, secunda Divinitatis persona, hic in scenam producitur: ipse enim tanquam Legatus Patris ejusque quasi nomine Oeconomiæ veteris curam gessit, & ut populi Israëlitici Legislator, Rex & Liberator, ubique sistitur in S. S. Hinc populo isti jam in deserto datus est Dux, suprema autoritate præditus, a quo ducerentur & gubernarentur, cuique omne obsequium debebant, *Exod.* XXIII: 20, 21. qui præivit illis in columna nubis & ignis; Legem quoque dedit in monte Sinai, *Act.* VII: 38. *Dux exercitus Jehovæ*, qui Heroïs instar cum stricto gladio, ut militaret pro Israële, Josuæ apparuit, *Jos.* V: 13, 14. *Angelus faciei* Jehovæ, qui *servavit*, *vindicavit*, & *portavit* populum *diebus antiquis*, *Jes.* LXIII: 9. *Michaël*, *magnus ille Princeps*, *qui stat super filiis populi sui*, tanquam eorum Præfectus, simul & Patronus ac potentissimus Defensor, *Dan.* XII: 1. Quæ cum satis nota sint, tetigisse sufficerit. Omnium instar consuli potest Cl. *Vitringa ad Jes. I.* c. . . .

§. 6.

Sed quid sibi volunt, & quorsum tendunt Angeli adscendentes & descendentes per scalam? *Primo* in genere opinor illis in hoc Viso locum dari tanquam ministris Dei, ipsi ut supremo Domino suo subjectis, qui ei semper præsto adsunt ad justa ejus exequenda, spec. in terra; qui adscendunt quasi ad eum, ut mandata ipsius accipiant, descendunt, ut illa executioni mandent. Quo pertinet, Deum, ubi illustriori quodam modo se præsentem sistit, sæpius in S. S. tanquam ingenti Angelorum cohorte stipatum repræsentari; e. gr. in legislatione Sinaïtica, *Dan.* VII: 10. & alibi. *Secundo* relate ad scopum & sensum Visi emblematicum, quem exposui modo, Angeli hic occurrunt tanquam peculiari ratione Oeconomiæ Veteri inservientes, quibus scilicet extraordinarium quoddam munus in Regno Dei inter populum Israëliticum erecto erat demandatnm, isti Regno speciatim adstrictum; de quo ex *Hebr.* II: 5. & aliunde satis constat. *Tertio* denique cum Angelorum propria sedes sit cœlum, hic vero nunc in cœlum adscendentes, nunc vero in terram descendentes, adeoque ut promiscue in cœlo & terra versantes repræsententur,

eo

eo ipso arctissimum cœli & terræ connubium evidenter simul ob oculos ponitur.

§. 7.

Et hæc quidem de scopo hujus Visi literali & directo sufficiant. Pergo itaque ad sensum ejus sublimiorem, qui ad Messiam pertinet, in clariori luce collocandum. Pervagata habet hypothesis, ipsam scalam hic emblema gerere Messiæ, & hunc per illam sisti depictam. Sed præterquam quod symbolum tale minus videatur aptum & concinnum, duo potissimum obstant, quo minus hæc explicatio stare queat. (1) Quum ille, qui in summitate scalæ stabat, omnino sit *Filius Dei*, Servator noster, sponte sequitur, *illum*, si per scalam itidem sit expictus, hic bis, & ut a se ipso distinctum, fuisse repræsentatum; quod quam absurdum sit, nemo non videt, nec operose refutari meretur. Nec aliquid cum ulla specie excipi potest; nisi vel in interpretatione hujus Visi non attendendum esse ad personam super scala stantem, sed illam hic tantum introduci ut sermonem ad Jacobum habentem, quæ itaque ad ipsum Visum non pertinet; vel, personam hanc esse Messiam, qua Deum spectatum, sed scalam figurare

 natu-

naturam ejus humanam. Verum *prius* frustra & falso asseritur: statio enim Jehovæ in superiori scalæ parte omnino integrans (ut ita loquar) & essentialis Visi pars est, adeoque in ejus interpretatione non negligenda; nulla enim alias dari potest ratio, quare ille talem stationem occupaverit, cum æque in terra, quam in sublimi loco apparens, cum Jacobo colloqui potuerit. *Posterius* vero, ut alia mittam, justæ harmoniæ & mutuæ proportioni partium Visi, ad quam maxime semper attendendum est, arctissimæ quoque utriusque naturæ in Messia conjunctioni, manifeste repugnat; nec ullum distinctæ talis duplicis ejus naturæ repræsentationis in S. S occurrit exemplum, qualis etiam nescio in quem scopum vel usum fieret. (2) Si scala ipse sit Messias, incommode plane Angeli hic sistuntur per eam adscendentes & descendentes; absonum enim est cogitare, illos Messia tanquam scala uti, nec quid illud sibi velit sensu emblematico, explicari potest. Abhorrent quoque ab hoc emblemate omnia, quæ hic proferuntur; in quibus discutiendis singulis operam non perdam, cum res sponte in oculos incurrat.

§. 8.

§. 8.

Plus ingenii, & minus incommodi ad speciem habet alia quædam explicatio, quam me alicubi legisse memini, qua Jehova in summitate scalæ consistens pro Filio Dei, qua tali, seu natura Messiæ Divina habetur, Jacobus vero personam ejus, qua hominis, gerere dicitur, cujus utriusque naturæ conjunctionem scala inter duos intermedia significaret. Verum eædem fere, quas modo contra receptam sententiam movi, huic etiam obstant difficultates; licet concedam, si duplex natura Messiæ hic distincte depicta censeri deberet, humanam multo concinnius cum Jacobo, quam cum scala, comparari. Sed præterea supponitur, ipsum Jacobum ut partem Visi esse spectandum; quod omnino falsum & precario assumtum est. Ipse enim fuit, cui Visum hoc ob oculos est positum, adeoque a Viso ipso plane diversus; Deus quoque mox sermonem ad eum instituit cujus argumentum huic hypothesi plane obstat. Ille itaque hic propriam suam personam retinet, nec alienam gerit; quapropter in explicatione Visi hujus Symbolica illius nulla prorsus haberi potest ratio.

§. 9.

§. 9.

Ex mea opinione hic ſenſu myſtico præfiguratur Regnum Meſſiæ ſub N. T. erigendum, in quod Viſum hoc egregie, imo longe majore emphaſi, quam in Regnum Dei in terra Cananæa ſub V. T. quadrat. Quæ vero in ſuperioribus obſervavi, inde facile repeti & huc adplicari, atque latius deduci poſſunt; quare primas tantum lineas ducam. Meſſias, ſive Angelus foederis, qui in ſuprema ſcalæ parte ſtabat, repræſentatur hic tanquam per paſſiones jam conſummatus & exaltatus, ſedem habens in cœlo ad dextram Patris, & Rex ac Dominus ſuper omnia conſtitutus, cui *omnis* jam *data eſt poteſtas in cœlo & in terra*, *Matth*. XXVIII: 18. *nomen ſupra omne nomen*, *Phil*. II: 9. *Eph*. I: 20-22. & ſæpe alibi. Ipſe ſceptrum ſuum exſerit per totam terram, variisque modis gloriæ ac majeſtatis ſuæ ſigna dat, ſeque conſpiciendum præbet per univerſum orbem. Regnum ejus vere eſt cœleſte ac ſpirituale, naturæ ac virtutibus Dei conveniens; unde *Regni coelorum* nomine toties venit. Sub eo conjunctio cœli & terræ, per ſcalam depicta, conſummata eſt, & in vera ſua emphaſi jam obtinet, dum pax & concordia, per

pec-

peccatum interrupta, inter illa sit restituta, mundusque Deo reconciliatus, *Luc.* II: 14. 2 *Cor.* V: 19. *Eph.* I: 10. *Col.* I: 20. Leges jam vigeant spirituales & cœlestes, beneficia quoque ejusdem indolis, quæ cum cœlesti beatitate connexa sunt, hominibus concedantur, liber præterea ad Deum omnibus jam fidelibus pateat accessus, illi quoque hic in terra cum Christo in cœlis degente arctissime sint uniti, status adeoque Ecclesiæ N. T. his in terris a statu Ecclesiæ triumphantis in cœlo non essentia, sed gradu tantum, differat, vid. *Hebr.* XII: 22, 23. omnibus denique hominibus via ad cœlum seu æternam beatitatem jam parata & patefacta sit; cœlum proinde cum terra in amicitiam plene redierit. Facile vero liquet, terram, in qua scala stabat, sublimiori in quo nunc versamur, sensu, non partem tantum aut regionem quandam esse orbis habitabilis, sed universam, quam late patet, intelligendam esse. Tandem Angeli quoque Messiæ, in cœlum evecto & exaltato, tanquam Domino ac Deo suo & capiti unico fuerunt subjecti, *Hebr.* I: 6. 1 *Petr.* III: 22. dum antea, in carne versans, ipse paulo minor factus fuisset Angelis, *Hebr.* II: 7. qui nunc præcipue ei ejusque Regno inserviunt, speciatim in terra, cum sint *ministratorii Spiritus, ad mini-*

ministerium emissi, eorum gratia, qui salutem hæredum instar obtinebunt, ib. *cap.* I: 14.

§. 10.

Ad nexum vero quod attinet inter duplicem Visi hujus sensum seu scopum, literalem nempe sive directum, & sublimiorem aut magis mysticum, quem semper, ubi in S. S. obtinet duplex talis sensus, ostendere & demonstrare oportet, licet illud passim negligatur; ille hic minime obscurus, sed satis evidens & manifestus est. Regnum enim Dei legale sub V. T. multiplici ratione cum Regno Messiæ sub N. T. fuit connexum, viamque ad illud stravit, in eo consummatum fuit, & complementum suum accepit. De quo plura non dicam, cum abunde exposuerint alii, inprimis Cl. *Vitringa*, magnus ille Theologiæ Propheticæ stator, tum alibi passim, tum præcipue in *Diss.* VIII. ad *Vasa Dan. Embl.* §. 25-27. Duplex itaque hoc Regnum uno quasi penicillo delineari, & simul in Viso nostro apte depingi ac repræsentari potuit.

§. 11.

Superest, ut de vero sensu loci *Joh.* I: 52. pauca moneam: *abhinc*, dicit ibi Christus,

vide-

videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes ad filium hominis. Nullus dubito, quin ad instantem exaltationem suam ac illustre Regnum, quod non longe post capesseret, ibi respiciat Servator; quod non tantum ex collatione loci *Matth.* XXVI: 64. sed & ex eo inprimis evidenter elucescit, quod tunc demum hujus dicti veritas plene constitit. Illo enim tempore cœlum vere fuisse apertum dici potest, quando Christus prodromus noster illud introiit, *Hebr.* VI: 20. ad dextram Patris consedit, & sic in Regno suo inauguratus & qua talis hominibus revelatus est; via porro ad cœlum omnibus patefacta, & Regnum cœleste in hac terra erectum est. Angeli præterea hic manifeste occurrunt ut ministri Christi tanquam Domini sui, eoque longe inferiores, dum antea ipse iis inferior fuisset, *Hebr.* II: 7. Nec moram injicit vox ἀπαρτι *abhinc*, utpote quæ cum aliqua latitudine est capienda, plane ut *Matth.* l. c. Tempus illud, vult Servator dicere, non longe aberat, via ad illustrem illum eventum jam sternebatur. Alludit omnino ad Visum Jacobi, qui, dum appareret ipsi Jehova in cœlesti sua sede, stabat enim in summitate scalæ, quæ cœlum attingebat, eo ipso cœlum vidit apertum. Ad quod si rite attendamus, sponte nobis liquebit, Servatorem

rem semet ipsum comparare voluisse cum persona ista, quæ Jacobo in superiori scalæ parte stans apparebat; licet disertis verbis illud non indicet. Unde simul clarissime patet, quid sibi velit Servator, cum loquitur de *Angelis adscendentibus & descendentibus ad filium hominis*, in quo valde se torserunt Interpretes; adscenderent nimirum & descenderent *ad Filium hominis*, tanquam in summitate scalæ stantem, ut ministri ipsius, mandata ejus accipientes, eaque executioni dantes. Nec tantum adscendere, sed &, quod prima specie durius videri posset, *descendere ad filium hominis* recte dicuntur, quatenus ita descendunt, ut continuo tamen quasi ad ipsum redeant, nova mandata audituri, quum ipsi soli semper præsto adsint, eorumque præcipuum officium Regno ejus adstrictum sit. Verba hoc sensu, quem nunc pluribus adstruere instituti mei vetat ratio, intellecta tantum abest, ut sententiæ & interpretationi meæ obstarent, ut contra ingens illi robur addant, quemadmodum nemo non videt.

III.

JO. CHRISTOPH. HARENBERGII,

Cogitata de Ninive urbe, ad quam Jonas propheta Ebræus a Deo amandatus fuit.

SUMMA TRACTATIONIS.

§. 1. *Exponitur de urbe Nineve ad Tigrim.* §. 2. *De Nino ad Euphratem.* §. 3. *De Nineve ad montem Hermon.* §. 4. *Ad hanc tertiam Nineven Jonas a Deo videtur fuisse ablegatus.* §. 5, 6, 7. *Respondetur ad argumenta, quæ huic sententiæ videntur opponi posse.*

TRACTATIO.

§. 1.

NINVEH, נינוה, antiquissima urbs ivit in annales *Gen.* X: 11. Conditorem ejus alii existimant fuisse Nimrodum, alii Aschurem, prouti interpretes locum illum arbitrantur extricandum. *Richardus*

  cum-

CUMBERLAND in *Originibus antiquissimarum gentium* L. IV. p. 158. pro Nimrodo pugnat; JOHANNES JACKSON in chronologischen Alterthümern der ältesten Königreiche vom Anfange der Welt durch fünff Jahrtausende / quem librum ex Anglico in Germanicum convertit Cel. CHRISTIANUS ERNESTUS DE WINDHEIM, ac Noribergæ 1756, 4, edidit, favet Asschuri p. 172. Argumenta Duumvirorum sunt utrimque tam speciosa, ut difficile exsistat judicatu, utri palma sit tribuenda. STRABO (*a*) aliique Ninum pro conditore habent. *Strabo* sic loco posteriori: *Ninum Ninus in Aturia condidit; ejus uxor Babylonem. Atque hi Asiam occupaverunt. —— Posteris suis imperium reliquerunt usque ad Sardanapalum & Arbacem (aa), quod postea in Medos translatum est. Sed Ninus urbs post Syrorum eversionem extemplo deleta fuit. Ea multo major erat Babylone, in Aturiæ campo sita.* Situm urbis ad Tigrim præterfluentem indicarunt HERODOTUS I, 193. II, 150, PTOLEMÆUS, alii. PLINIUS, eam spectantem ad Solis occasum impositam fuisse Tigri, memoriæ prodidit VI, 13. AMMIANUS MARCELLINUS nomen *Nineve*

(*a*) L. II, p. 139. L. XVI, p. 1071. Amstelodami 1707, fol. STEPHANUS BYZANTINUS *de Urbibus & Populis* p. 563. edit. *Abr. Berkelii*, 1694. fol.

(*aa*) ATHENÆUS L. XII, p. 529.

nove ei impartivit ac ingentem Adiabenæ civitatem adpellavit, XVIII, 16. e ruinis ſcilicet emergentem ac a Perſis inſtauratam. (*) An Ninus fuerit Aſſchur, an Nimrod, ambigunt auctores. *Cumberlando* placuit ſententiam amplecti poſteriorem, p. 161. Quis & quam priſcus ille fuerit Ninus, quæri poteſt. At ipſe ac Semiramis tot tantisque improbabilitatis generibus ex *Cteſiæ Cnidii* fabulis laborant, ut vix paucula videantur eſſe vera. Adſectator Cteſiæ iſtius DIODORUS SICULUS quam vellem hanc Ninum ad Euphratem haud poſuiſſet! Siquid conjectando adſequor, nomen Nineves pater conditor urbi indidit, amorem erga filium ſuum teſtaturus. Nam nomen *nin* filium denotat, familiæ augmentum. *Gen.* XXI: 13. *Hiob.* XVIII: 19. *Jeſ.* XIV: 22. Nomen *naveh*, nomini *nin* adjectum, ſignificatum prodit domicilii, locive, in quo quis manere poteſt cum ſuis vel hominibus vel cum animalium grege. Jonæ ætas incidit in primos regnantis Jerobeam alterius annos. 2 *Reg.* XIV: 25. Stetit tunc utique Ninos ad Tigrim adhuc floruitque ultra centum & quinquaginta annos.

§. 2.

(*) JOANN. MARSHAMI *Canon chronicus ad Sec.* XVIII. p. 600. *Lipſ.* 1676. 4.

§. 2.

Alia urbs NINOS ad Euphratem fuit sita, discriminis causa nomen gestans *Veteris Nini*, τῆς ἀρχαίας Νίνου. Nota sunt illa SUIDÆ in verbo *Damis*: Δάμις ἀνὴρ οὐκ ἄσοφος, τὴν ἀρχαίαν οἰκῶν Νίνον. *Damis vir sapientiæ non expers, veterem habitans Ninum.* DIODORUS SICULUS, Ctesiæ premens vestigia, Ninon ad Euphratem (*b*) collocavit. *Strabonis* locus, quem supra indicavi, fortassis id ipsum indicat. AMMIANUS MARCELLINUS utramque Ninon habet. De illa (*c*) hæc prodidit: *In Adiabena Ninus est civitas.* De hac sic scripsit (*d*): *Comagena, nunc Euphratensis, clementer adsurgit, Hierapoli, veteri Nino & Samosata civitatibus amplis illustris.* SAMUEL BOCHARTUS (*e*) & JOANNES MARSHAMUS (*f*) hanc Euphrati adjacentem Ninon stabilitum iverunt, quorum argumenta contrarium tenens CHRISTOPHORUS CELLARIUS nec perpendit nec debite (*g*) refellit.

(*b*) *Bibl. Hist.* XVI.
(*c*) XXIII.
(*d*) XIV, 26.
(*e*) In *Phaleg.* c. 20. p. 249. edit. 1682.
(*f*) In *Canone chronico* p. 598.
(*g*) *Geographia antiquæ.* III, 12. p. 429. *Lips.* 1706. 4.

refellit. Attentione id haud eſt indignum, quod non ſolum Cyaxares II. cum Nabuchodonoſore Ninon evertiſſe dicitur (*b*), ſed etiam Arbaces, adjuvante Beleſo Babylonio, a Cteſiæ adſectatoribus exiſtimatur (*i*) expugnaſſe Ninon, Euphrati adjacentem, eamque evertiſſe. Si hæc ſpectare judices ad Ninon veterem, & illa ad Ninon Tigri impoſitam, nodum, opinor, extricaſti moleſtum.

§. 3.

Progredimur porro ad Nineven, olim dictam Νευη, Νεβη, *Neve.* Itinerarium Antonini eam bis exhibet hunc in modum (*k*): *In itinere ab Eumari Neapolim m. p. 227*, ſic.

ſic.	Geroda M. P.	40
	Thelſeæ	16
	Damaſco	24
	Ere	30
	Neue	30
	Capitoliada	36
	Gadara	16
	Scythopoli	16
	In medio	10
	Neapoli	7

A Se-

(*b*) *Tob.* XIV: 12, ſ. HERODOTUS I, 106.
(*i*) DIODORUS SICULUS II, 3.
(*k*) *To.* II. *Antiquitatum Eccleſiaſticarum Emanuelis a Schelſtrate* p. 583. 587. ſ. *Romae* 1693. fol.

A Seriane Scythopolin	M. P.	218 ;	ut legitur in Msto Christinæ.	
Salaminiada	M. P.	32	Item a Damasco Hemesa	
Hemisa		18	M. P. CLII. Sic.	
Laudicia		18	Abila M. P.	38.
Lybo		32	Heliopoli	32
Heliopoli	M. P.	32	*Conna*	32
Abila	M. P.	38	Laudicia	32
Ere	M. P.	32	Hemesa millia	
Neue	M. P.	30	plus minus	18.
Capitoliada		36		
Scythopoli	M. P.	16		

Secutus fui numeros & scripturam *Manuscripti*, quod in Christinæ Reginæ erat quondam bibliotheca, a *Schelstratio* expressum. EMANUEL a SCHELSTRATE edidit *Patriarchatus Hierosolymitani Notitiam* ac sedis quartæ, in Betyra, *Beryra*, Arabiæ recensuit episcopatus XXV (*l*) hunc in modum: *Andrason*, *Dyam*, *Methlenam* (Medavon), *Gerassam* (Jerasson), *Nevi*, *Philodelphias*, *Terapolis*, *Esuos*, *Neapolis*, *Philippopiopolis*, *Fenuthos*, *Dionysias*, *Constantia*, *Drychonicha*, *Canocha*, *Bathanis*. —— Confer WILHELMUM TYRIUM *de Bello Sacro* XIV, 12. p. 234. f. Basileæ 1549, fol. Nevi prave heic scriptum *Nein*, quod e codice Vaticano melius edidit EMANUEL a SCHELSTRATE per *Nevi* inter Jerasson, quæ est Gerasa, & Philodelphias, id est, Rabbath Ammon. In *Notitia Dignitatum Imperii Romani* (*m*) *sect.* 23. *p.* 39.

(*l*) *T.* II. p. 743. f.

(*m*) *Paris.* 1651, 4. Brevior est, quam *Emanuel a Schelstrate* publicavit *To.* II. *Ant. Eccles.*

p. 39. leguntur hæc: *Ad prima Damascena monte Jovis. Ad nona Diocletiana Væriaracæ.* Codex *Ursini* habuit Invarca. *Ad prima Francorum Cumæ.* Cunia Ptolemæi secundum Pancirollum. *Ad prima Alamannorum Nejæ.* Hæc est Nea *Herodoti* ac *Plinii* ex sententia PANCIROLLI. Spectant hæc ad Phoenicen Libanesiam, Antilibano circumvicinam. Unde mihi suspicio nascitur, urbem Neve designari per Neja. In Τάξει πρωτοκαθεδρείας ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, quam edidit SCHELSTRATE (*n*) ex codice Vaticano, notantur inter loca Provinciæ Arabiæ *Adrasum*, *Dia*, Medavon, Gerassa, *Neve*; Philadelphia &c. Urbs Neve, Naveh, dicta etiam Nineve, inter Aere, seu Ere, seu Cherus, (*o*) & Capitoliadem versus Scythopolin sita, videtur ætate vatis Jesaiæ fuisse perquam nota. Ipse enim meminit urbis munitæ seorsim intra solitudinem sitæ, *Naveh*, domicilium quippe repudiatum & desertum in loco culturam respuente, ubi juvencus pascat & ubi cubet, & ramos ejus loci absumat, XXVII, 10. Incolæ hujus urbis æque referuntur in adversariis Judæorum ac Aegyptii. Quis porro ignorat Nav-

(*n*) *To.* II, *p.* 685.

(*o*) In *Diatyposi Leonis Sapientis p.* 218. in RELANDI *Palaestina.*

Navdæos ſeu Nabidæos? Quis ignorat, olim litteram *b* pronuntiatam fuiſſe, ut noſtrum *v*?

Nolim tamen Nabdæos ſeu Nadabhæos pro incolis Neve habere. Nam EUSEBIUS in *Onomaſtico* habet *urbem Judæorum Nineven circa angulum Arabiæ.* HIERONYMUS *de Locis Hebraicis* hæc repetit, addens: *quam nunc correpte Nenevem vocant.* Indicat idem ac *corrupte.* Circumvicinam regionem non videntur tenuiſſe Nabdæi ſeu Nabadæi, qui per erratum librarii vocantur Ζαβαδαῖοι. 1 *Macc.* XII: 31. Jonathan eis victis direptisque Damaſcum revertit, antea citra Eleutherum in terram Emath progreſſus. *Eupolemus* apud *Euſebium* in *Præparatione Evangelica* memoriæ prodidit, Regem Davidem cum Edomæis, Moabitis, Ammonitis, Ituræis, Nabatæis & Nabdæis bella geſſiſſe. Agræi, *bachagreim*, ſedes habuerunt verſus climata Gileaditidis orientalia, ac ætate Regis Sauli per Belam, tribus Ruben principem, ſub tentoriis viventes, devicti ſunt, ſiquidem ipſe a fluvio Phrath (Oronte) ab urbe Aroër, ſede ſua, ditionem ſuorum protulit a finibus iſtius fluminis ad Baal Meon. 1 *Chron.* V: 8, 9, 10. Præterea Rubenitæ, Gaditæ & Menaſſitæ, ex dimidia hi parte, bella geſſerunt cum Agræis illis, & cum Jittur, Naphiſch & Nodabh

tri-

tribubus felici eventu. V, 19-22. Agræos norunt PTOLEMÆUS (*p*) DIONYSIUS *Perieg.* v. 956. & STEPHANUS BYZANTINUS (*q*), nec non ipse STRABO (*r*) & hieropsaltes LXXXIII, 7. Est, qui hos in regionem circa Neven ponit. At Ægræi habitarunt, vel potius tentoriis incertis errarunt, ad Orientem Ammonitidis & Gileaditarum, ideoque nimis ab urbe Neve versus Orientem disjuncti vagique degerunt. Hebræi potius statuerunt, urbem Neve fuisse urbi Chalamisch vicinam (*s*) ac a Judæis habitatam (*t*). Hæc vero alibi nominatur Cheleam & Chelam 2 *Sam.* X; 10. ubi Aramæi, cum Davide confligentes, & hunc ab incursu in Ammonitidem prohibituri, victi sunt & vectigales redditi. Damasco qui iter faciebat Gadara, millia passuum 112 peragrabat. A Neve iter ferebat Gadara per 66 millia passuum, seu 15 milliaria Germanica. Situs igitur urbis Neve in ultimo ad boream ortivum Bataneæ angulo est constituendus.

§. 4.

(*p*) V, 19.
(*q*) Pag. 27.
(*r*) L. XVI. p. 1112.
(*s*) *Echa rabbati* fol. 72. col. 4.
(*t*) Ibi & in *Midrasch Coheleth* fol. 88. col. 1. *Midrasch Ruth* fol. 49. col. 3.

§. 4.

Ad hanc Nineven Deus amandavit Jonam prophetam, ut opinor. Expromam argumenta, quibus ad sic sentiendum adductus fui. En *primum!* Deus nationem Hebræam doctrina saluberrima & prophetis eam inculcantibus ita instruxit, ut hoc beneficium huic nationi fuerit præcipuum & privum. *Ps.* CXLVII: 19, 20. *Deut.* XXIX: 29. IV: 7, 8. Nationi huic memoriam tanti beneficii inculcavit ita: Misi ad vos cunctos meos ministros Prophetas (*u*). En *secundum!* Nationes exteræ Diis suis seorsim delectis sic erant dediti atque adstricti, ut Prophetæ eorum nonnisi horum jussu & nomine venditarent vaticinia sua. Assyrii, qui Nineven ad Tigrim habitabant, colebant tempore Sennacheribi Deum suum commentitium Nisroch. 2 *Reg.* XIX: 37. *Jes.* XXXVII: 38. XXXVI: 7, 18, 19, 20. Sidoniis prophetæ erant non Jehovæ, sed Baalis & Astartes. 1 *Reg.* XVI: 31, 32, 33. XVIII: 19' 22—40. Damascenorum Reges altare habebant diversissimum ab ara Ebræorum aliosque Deos. 2 *Reg.* XVI: 10. En *tertium!* Exemplum aliud haud exstat missionis Prophetarum, ad nationes extraneas

(*u*) 2 *Reg.* XVII: 13. *Jer.* XXV: 4, 5.

næas directæ. Apostoli Jesu nequidem ad eos populos initio ministerii sui sese converterunt doctrina divina imbuendas, nisi postquam Judæi ipsos audire eisque morigerari recusarent. *Matth.* XXIII: 34. *Act.* XI: 3-18. XIII: 46, 47 En *quartum!* Deus oracula sua, quorum in partem veniunt vaticinia Prophetarum Jehovæ, credidit ac demandavit Judæis tamquam præcipuum & singulare beneficium quoddam. *Rom.* III: 2. IX: 4. nec non promissionem de excitandis & ad ipsos delegandis prophetis eis impartivit. *Deut.* XVIII: 15. Ubinam vero legitur Dei promissum de prophetis Judæorum ad urbes Regum exterorum primarias mittendis? En *quintum!* Oppidani seu incolæ urbis Nineve jussa Dei ac Jonæ divini Prophetæ exceperunt honorifice & obsequio convenienter, quod Jehovæ, Deo vero, erat exhibendum. Rex ipse, cujus in ditione urbs erat, oracula Dei reverenter & amanter suscepit, & ruinam urbi suæ prænuntiatam publica male actorum pœnitentia occupavit. An Rex extraneus, commentitiorum Deorum cultui cum urbe sua addictus, Deo Hebræorum eum habuisset honorem? Num iste prophetæ Hebræorum oracula Deique horum jussa æquo animo tulisset? An Deus verus invocantibus idola poenæ gratiam fecisset? Quis ignorat pestem amoris

amoris innati illam, qua unusquisque religionem inter suos dominam colit sibique fecundam esse putat?

§. 5.

Non eo inficias, non una sufflamina sententiæ meæ opponi posse. Obversatur animis e continenti horum scrupulorum molestia una & altera. En *primam!* Urbs igitur hæc Nineve fuit veri Dei non oblita, atque intra Palæstinam Hebræorum sita. Nec est, quod reluctер. En *secundam!* In Batanea & ad Antilibanum initio regnantis Jerobeami alterius, quo Jonas vaticinia edidit, 2 *Reg.* XIV: 25, non videntur viguisse Reges minores. Respondere liceat, dubitationem illam solido talo haud inniti. En *tertiam!* Jonas, si Nineve, ad quam ipse delegatus fuit, Hebræorum sacra non abhorruit, frustra refugisset iter, eo instituendum. Nervum hujus argumenti videre mihi non licet, existimanti, Jonam potiori ratione evitaturum fuisse iter, quod ferebat Ninum Euphrati adjectam vel impositam illam Tigri Ninon. En *quartam!* Ante Jonæ ætatem Nineves tertiæ nulla fit mentio. Idem judicium in mentionem de aliis urbibus congruit eamque feram, ac haud raro semel dumtaxat injectam. Scriptoribus sacris non

non libuit opus geographicum concinnare. Fortaſſis inveniet aliquis locum poſthæc, in quo *Naveb* id ipſum nomen noſtræ urbis eſt. Joſua non expoſuit fuſe tractationem de urbibus Rubenitarum, Gaditarum, ac transjordanicæ Menaſſitidis, eo quod hæ erant extra regionem divinitus promiſſam ſitæ & jam a Moſe illis fuerant diviſæ ac adſignatæ. De Menaſſitide prorſus pauca ipſe cum lectoribus communicavit. XIII: 29, 30, 31. conf. *Num.* XXXII: 39–42. *Deut.* III: 10, 13, 14, 15. Nobhah Menaſſides nonne urbem *Knath* occupavit, circumvicinis cum villis, ac eam ex nomine ſuo adpellavit *Nobbah? Num.* XXXII: 42. Nomen quidem priſcum poſthæc non penitus intercidit. At incolæ Hebræi ſine ullo dubio propagarunt nomen Nobhah. Kanathæ ſitus ex tabula *Peutingeriana* elucet. Intervallum inde erga *Rhoſe* in ea eſt 20 mill. paſſ. hinc *Hatita* 40, hinc *Thantia* 9, hinc *Boſtra* 24, hinc *Adraba*, 16, hinc *Capitoliada* 16, & hinc porro *Gadara* 16. Ex eadem tabula intelligitur, *Chanatham* abfuiſſe ab *Aenos* 37. mill. paſſ & hanc Damaſco 25. Utor tabulæ, quam MARCUS VELSERUS 1598. Antverpiæ in lucem emiſit, editione. Coaleſcit ex indicio adlato diſtantia urbis Canatha ab urbe Damaſco ad 62 millia paſſuum, quæ ſunt æqualia miliaribus Germanicis

nicis 12 & fere dimidio. EUSEBIUS in *Onomastico* tradidit, Kanatha esse *Arabiæ vicum in Trachonitide juxta Bostra.* STEPHANUS Kanatha vocat, *urbem juxta Bostram in Arabia.* Vix videtur dubitandum, *Nobhabh* & *Naveh*, Ninive, quin sint locus idem, urbs eadem. Antonini Itinerarium Damascum inter & Neve posuit 60 m. pass. distantiam, quæ in Kanatham prorsus congruit. Nonnullæ enim urbes duobus tribusve nominibus erant impartitæ, compositæ quippe ex partibus, quarum singulæ singularum urbium speciem præferebant. Jebus & Jeruschalaim erant urbes duæ conjunctæ, queis tertiam David urbem a se nominatam adjunxit. Inde enatæ sunt denominationes Tricomiæ, Tetracomiæ, Pentacomiæ, Hexacomiæ in *Notitiis ecclesiasticis*, in quibus utique *Canothas* & *Neue* solent distingui, quemadmodum Sichem & Hebron septemtrionalis, admodum vicinæ, Jebus & Jeruschalaim distinguebantur. De reliquo Bostra inter & Cnath seu Chanatham erant 12 milliaria Germanica ad minimum, si tabulam sequimur *Peutingerianam.* Discrimen, quod videtur urbibus Naveh, Neue & Nobhahh intercedere, re ipsa exile vel potius nullum est. Remoratur nos porro objectionis *quintæ* nervus, cui multum speciosæ gravitatis videtur inesse.

§. 6.

§. 6.

Tragulam commentationi meæ injicere possunt, qui secus sentiunt, argumentum veluti sagittam inde depromentes, quod Nineve Jonæ dicitur urbs tantæ magnitudinis fuisse, ut vix intra tridui tempus ab uno termino ad alterum transiri potuerit. *Jon.* III: 3. Amplitudinem ejusmodi videntur STRABO, (*x*) DIODORUS *Siculus* II, 3, aliique scriptores tribuisse Nino seu Nineve urbi, intra Adiabenen ad Tigrim sitæ. At *Diodorus* urbis ambitum definivit 480 stadiis. Unde intelligitur, eam, siquidem oblongam, similem quadratæ, figuram habuit, non fuisse tantæ magnitudinis, ut transitus ejus triduum postulaverit. Singulis enim ita lateribus coæquatis fuerunt 120 stadia seu tria milliaria Germanica, quæ certe uno propemodum die queunt commeari.

(*x*) Lib. XVI. p. 1071. Babylonis erat forma quadrata. HERODOTUS I, 185. Erat Nini figura oblonga. Latus utrimque longius ad 150 stadia excurrit; reliqua duo minora obtinent 90. Ambitus igitur vetus stadiis 480 constat. Sic *Diodorus*: Latus longius æquale fuit tribus milliaribus Germanicis & tribus quartis; latus brevius duobus ejusmodi milliaribus ac uni quadranti.

meari. Pendent heic omnia a vocabulo מהלך, quod non transitum urbis seu diametri spatium, sed *obambulationem* indicat *Zach.* III: 7. *Ezech.* XLII: 4. *Neh.* II: 6 Ivit ac processit Jonas per Nineven, מהלך יום אחד *ambulatione unius diei* suscepta atque exitium urbi imminens proclamavit, nisi hæc ageret poenitentiam male actorum. *Jon.* III: 4. In nuntium vel præconem hujusmodi non cadit species profectionis seu itineris initi. Ambulationem suam repetit Jonas per alias urbis partes, atque eam triduo ad finem perduxit. Quam primum Jonas unius diei obambulationem, præconio junctam, in una illarum urbis partium perfecerat, incolæ sese ad pœnitentiam male actorum composuerunt, eo quod fidem Deo illi habebant, qui Jonam ad hanc denuntiationem miserat publicandam. Deum igitur Hebræorum incolæ crediderunt esse Numen verum & verax, solumque veneratione summa dignum, licet nullis persuasionibus, nullis miraculis, ad hanc doctrinam fuissent permoti. Nullus hierophantarum commentitiorum, nullus fictitii Dei propheta se commovit, ad fidem pronuntiatis Jonæ detrahendam proclivis. Nemo obstabat vocibus Jonæ, nemo mentionem ac majestatem Dei Nisroch ei opponebat. Quid hoc erat rei? An hæc in

Ninon,

Ninon, Tigri vel Euphrati adjacentem congruunt? Nonne eo ipso significatur, urbis Nineves, ad quam Jonas amandatus fuerat, incolas fuisse vero Hebræorum Deo addictos? Verba, quæ ad amplitudinem Nineves designandam solent trahi, ob ignorationem vel neglectum nominis *mahalach*, ad Jonæ ambulationem, calamitatis instantis nuntiam, sunt referenda. Leguntur ea *Jon.* III: 3, 4, 5. & sic sunt interpretanda. „ *Tunc vero se operi demandato accinxit* Jonas *& progressus est* itinere suscepto „ *ad Nineven convenienter jusso Jehovæ* (*&* „ *Nineve erat urbs magna, Deo* propitio *indulgente,*) *ambulatione tridui* utens, ut „ officio suo perfungeretur. *Atque* Jonas „ *exspectando se continuit*, dum in urbem venit, *ambulatione diei unius* fungens, *atque* „ *exclamavit, dicens: Adhuc restant quadraginta dies, quibus elapsis Nineve evertetur;* „ *quum incolæ Nineves Deo,* exitium minanti, *fidem haberent atque publice indicerent* „ *jejunium, induerentque vestes lugubres tum* „ *primores, tum infimæ sortis homines. Pervenit* (sequentibus duobus diebus) *verbum illud Dei ad Regem Nineves. Tunc* „ *ipse etiam, solio tantisper suo relicto, amovit* „ *a sese pallium suum amplum* (*xx*) *& contexit*

(xx) Gen. XXV: 25. *Jos.* VII: 21, 24. 2 *Reg.* II: 13. *Bibl. Haganæ Cl. III. F. I.* ... H ... 1 *Reg.*

„ *texit sese* veste pulla, seu *cilicio, atque pulveri* „ *cinerum insedit.*" Rex proinde vaticinium Dei veri reputavit pro vero, nec de alienis Diis cogitavit. Fuit utique hæc Nineve *urbs magna*, si respicias ad ætatem Jonæ & ad regionem illam, intra quam fuit urbs illa sita. Erat enim bestiis & jumentis referta. *Jon.* III: 7. IV: 11. Ea tunc consuetudo obtinebat in Oriente. Ita etiam Nineve Adiabenica complectebatur jumentorum domicilia, hortos, agros & alia loca ab incolis vacua (*y*). Eumdem morem sequebatur Babylon, in qua incolæ præterea non habebant domos contiguas, sed intercapedine quadam discretas, ut aura liberius urbem perflaret & incendia latiora averterentur, teste CURTIO V, 1. §. 27.

§. 7.

Non est quod moneas, regnis minoribus caruisse regiunculas Antilibano vicinas. In eo enim terræ tractu Aramæi generis haud unius varia tenuerunt minora regna, eorumque

1 *Reg.* XIX: 13, 19. Urbs videtur pæderastiæ fuisse immersa. Vitium id Jonas credidit esse exitio dignum, & exhorruisse videtur id crimen.

(*y*) DIODORUS *Siculus* II, 3. CHRISTOPHORUS CELLARIUS in *Geographia antiqua* ad *Ninum*.

quæ Reges, a Davide vel victi vel in fidem suscepti, religionem amplexi sunt Hebræorum. Hos inter Rex Geschuræorum, socer Absalomi, memoratur. 2 *Sam* III: 3. XIV: 37. Geschur sita erat juxta Aram. 2 *Sam.* XV: 8. Geschur & Aram adpellantur villæ Jairi, sitæ in Menassitide Transjordanica 1 *Chron.* II: 23. Maachat vicina erat urbi Geschur, *Deut.* III: 14. *Jos.* XII: 5. XIII: 13, ac vocabatur etiam *Aram Maachath* 1 *Chron.* XIX: 6. Aram igitur videtur fuisse Aram maachath. David in Aram vicit exercitus gentium diversarum. 2 *Sam.* VIII: 5. Hos opposuerat Davidi Hadad Eser Rex Zobæ, qui ditionem exercebat in urbes Betach & Brotai. 2 *Sam.* VIII: 8. Adpellantur hæ Tibhcath, Brotai & Con. 1 *Chron.* XIX: 8. Dubitandum haud est, urbes has alibi ab exteris vocari Bedagenen, Jabrudam & Connam. Hæc ultima, Laodiceam Cabiosam ab Libanum inter & Heliopolin seu Chamath sita, ab utraque distabat XXXII m. pass. ut est in ITINERARIO ANTONINI. Brotai est Jabruda, Jambruda *Ptolemæi*, Yabruda in *Notitia* (z) *Episcopatus Damasceni*, cui illa urbs suberat. Betach a JOSEPHO vocatur *Battæa*, *Ant.* VII, 5. § 3. Alias dixi

(z) *To.* II. EM. A SCHELSTRATE *Antiq. Eccles.* p. 739.

dixi de hisce urbibus fuse. Rex alius sedem habebat in urbe Chamath seu Heliopoli, ac se Davidi submittebat. 2 *Sam.* VIII: 9, 10. Zobah vocatur Chamath-Zoba 2 *Chron.* XVIII: 3, 4. & ea quidem, ad quam fuit Tadmor urbs per Salomonem exstructa. Unde collegi, urbem Zobah, Tauba, fuisse in regione Chamath seu Coele Syria, ab oppido ejus olim primario Chamath dicta. In terra Chamath seu Emathiti, quæ pertinebat ultra flumen Eleutherum ad septemtriones, 1 *Macc.* XII: 25-30, erat urbs Riblath: *Jer.* LII: 9, 26, 27, quam fuisse postea Raphaneam dictam, vix dubitandum videtur. Ipsa Damascus cum adjacente territorio, Aram-Dammesek dicto, gaudebat tunc Rege vel Duce suo, a partibus Hadadeseris stante, quem David devicit in prælio juxta Aram. 1 *Chron.* XVIII: 5. Ex eo tempore David in illud territorium videtur præsidia sua posuisse. 2 *Sam.* VIII: 5, 6. Ne vero numerus occisorum in præliis & deditorum nos turbet, meminerimus necessum est, bellatores olim non per chiliadas, centurias & decurias esse numeratos, sed per præfectos ducesve familiarum seu *hordarum*, reliquos vero, qui ejusmodi familias non constituebant, viritim, per איש, fuisse supputatos. Duces illi vocabantur אלפים, quod vocabulum in numero bellantium

tum ac unius pluriumque familiarum dinumeratarum non interpretandum est per *mille*. Prisci enim mortales non gaudebant in Palæstina ac Syria militibus stipendiariis, sed quorumcunque suorum, qui annos nati erant viginti, erat arma sequi, hostibusque ea inferre. Zobhah mihi videtur fuisse Laodicea Cabiosa Phoenices Libanesiæ seu Idumææ septemtrionalis, Emesam inter & Connam, non Kinnesrin, non Nisibis, non Chobah. Nam Joab, reversus ex Aram-naharaim, ubi Labanus septidui itinere a Ramota Gileaditica disjunctus vixit, & simul reversus ex *Aram-Zobba*, denuo Aramæos seu Idumæos in valle salis devicit. 1 *Chron.* XIX: 22. 2 *Sam.* VIII: 13. *Ps.* CVIII: 2. LX: 1. 2. David vicit Philistæos, incolas montium Seir, Moabitas, Ammonitas. In eosdem & Emathitin Salomo fuit dominatus. (*a*) Nihilominus Tyri, Sidonis, Aradi persistebant Reges; ac Damasci nec non per Aramæam adjectam novum oriebatur sub Salomone sene regnum. 1 *Reg.* XI: 24, 25. Hoc autem mortuo, Hebræi in duo regna scindebantur, ac sensim finitimi novas machinabantur dominationis formas, passim ab Hebræis deficientes.

(*a*) 1 *Reg.* IV: 24. ubi Tiph-sach est *Thapsacus* Scylacis seu Orentes flumen.

tes. Jerobeami II ætate, quam Jonas attigit, regulis suis suberant Arabes, Gurbaalitæ & Meunii, foedere mutuo adversus Usiam Regem constricti 2 *Chron* XXVI: 7. An Minæi huc sint vocandi, dubito admodum. Kedarenis seu Cedreis, & eis, quorum caput erat Chatzor, sui erant Jeremiæ ævo Reges. *Jer*, XLIX: 28. Ischtobh seu Tob regio (*b*) dudum regulo suo Usus erat. Asschur, Moabitarum fœderatus, *Ps.* LXXXIII: 9, videtur Principem Geschuræorum indicare (*c*). Sennacherib evertit Reges Emathitis, Aradi, ac urbium Sepharvaim, Hena seu Aeni & Ivva. *Jes.* XXXVII: 13. XXXVI: 19. 2 *Reg*. XVIII: 35. Videtur Neveh latere in עיון, *Ijon*, prope Beth Maechah. 2 *Reg.* XV, 29. Et cur addam complura? Quis enim universa illa repudiat, quæ unico leguntur loco, nec a multis scriptoribus memorantur?

(*b*) *Histoire universelle d'une Societé.* To. III. p. 19..

(*c*) *Jud.* XI: 5. 2 *Sam.* X: 6. 2 *Macc.* XII: 17.

IV

I V.

NICOLAI BARKEY,

S. Th. D. & Professoris,

OBSERVATIONUM EXEGETICARUM, in Actorum Caput Tertium, TRIAS.

§. I.

ACT. III: 17. & *MATTH.* XXI: 38.

Καὶ νῦν, ἀδελφοί, οἶδα ὅτι κατὰ ἄγνοιαν ἐπράξατε, ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν.

Interpretes tantum non omnes crimen populi Judaici, de quo testatur Lucas, ex ignorantia profectum esse agnoscunt, adeoque illud aliquo modo reputant excusabile. Nodus tantummodo est in ver-

 bis:

bis: *και οἱ ἀρχοντες ὑμων*, & revera folutu difficilis eft, quia primores Judæorum non *adeo ignorantes* fuiffe videntur, & in Parabola *Matth. loco indicato* occurrente, vinitores agricolæ dicuntur *cognovisse filium Domini vineæ*. Commentatores hunc nodum diverfimode folvere tentarunt *Alii* verba hæc tantum referenda effe putarunt ad *το ἐπράξατε*. non vero ad præcedentia *κατα ἀγνοιαν*, ita ut comparatio populi cum primoribus folummodo fpectet utrorumque opera, non vero originem eorum, vel operis exculpationem. Verum hoc modo fecatur, non folvitur, nodus. Nifi enim ἡ *ἀγνοια* referenda fit ad Proceres æque ac ad populum, nulla ratio fuiffet comparationis populi eum Proceribus, & *το ὡσπερ* plane fuperfluum foret; quia nulli ignotum effe poterat facinus interemti innocentiffimi Servatoris ex confilio & fuafu quam maxime Procerum perpetratum fuiffe. *Alii* Proceres Judæorum diftinguunt in *duos ordines*, quorum *alter revera ignoraverit* Jefum Nazarenum effe Meffiam, Filium Dei, *alter* vero Eum *pro tali agnoverit*, adeoque Petrum in hujus gratiam excufationem haud intendiffe. Solutio hæc acceptior magis & verifimilior foret, nifi Petrus generaliori modo *των ἀρχοντων* mentionem injeciffet. Ad *omnes* igitur fine difcrimine Proceres referamus, quod

quod Petrus de eis testatur. *Omnes* turpe hoc ac pudendum facinus commiserunt ex ignorantia, ne quidem excepto *Cajapha*, qui Jesum merum esse hominem ipse confessus erat *Joa* XI: 50. XVIII: 14. Paulus id clarissime testatur coram senioribus Synagogæ Antiochenæ *Act.* XIII: 27. Ὁι γαρ κατοικουντες ἐν Ἱερουσαλημ, και ὁι αρχοντες ἀυτων, τουτον ἀγνοησαντες, και τας φωνας των προφητων τας κατα παν σαββατον ἀναγινωσκομενας, κριναντες, ἐπληρωσαν. Jesus quidem doctrina sua & miraculis solide demonstraverat, se esse Filium Dei, verum Messiam, sed *aures habebant neque audiebant*, *oculos & non videbant*, hinc convinci non poterant. Ad τας φωνας igitur Prophetarum i. e. secundum KYPKIUM ad h. l. eorum *sermones*, quibus Messias delineatus erat, licet quovis sabbatho legerentur, non adtendebant, hinc nec per eos convinci poterant. Ex *ignorantia* igitur, pessima quidem, dum convinci nolebant, Jesum Nazarenum ut merum hominem & rebellionis in Mosen & Imperatorem Romanum reum interfecerunt.

§. 2.

Locus autem MATTHÆI *citatus*, qui prima fronte insinuare videtur, Judæos eorumque Primores agnovisse dignitatem Filii Dei ut

& ſervorum Dei, ſcilicet Prophetarum, non ita preſſe accipiendus eſt, ſed *Parabolam* ingreditur, quæ non ultra *tertium comparationis* extendi debet, quia alias multa comprehenderet ἀσύςατα; quæ veriſimilitudinem infringunt. Quis enim Paterfamilias, poſtquam prima vice miſſi ſervi ab Agricolis indigne habiti & trucidati fuerunt, eosdem Agricolas non ſolum impune vivere & lætari ſmeret, ſed etiam alios altera vice ſervos plures vel potius dignitate prioribus præſtantiores mitteret? Quis Paterfamilias & his ſervis pari & nefando modo habitis, tam atrociter laceſſitus, tandem ipſum filium ſuum præſentiſſimo periculo, quodque facile prævidere poterat, exponeret? Quis prudens ſpe debitæ reverentiæ tam incerta & inſtabili ſe deludi pateretur penes homines nequam, qui omnia jura Divina & humana proculcaverant? Quis denique prudens, non Regis ſed Patrisfamilias perſonam nomenque gerens, non metueret armata familiæ manu Agricolas, quos potentiores expertus erat, cum ſervis ſuis adgredi, eosque vindice pœna adficere? Hæc eum in finem adnoto, ut pateat Parabolam quamlibet ſolummodo reſpicere *tertium comparationis*, nec ultra ſcopum ſed κατὰ τὶ explicandam eſſe. Adcommodanda igitur eſt Parabola hæc rei, quam ſignificat, veritati.

tui. Hinc revera *Judaeorum proceres*, Agricolæ hujus Parabolæ, considerandi sunt ut *ignorantes ignorantia pessima*, missos à Domino servos æque ac Filium Dei veros fuisse Domini Legatos. Quemadmodum igitur, juxta *mysticum* Parabolæ sensum Proceres Judæorum missos ad se prima & secunda vice servos consideranrunt ut tales, *qui servorum Dei nomen mentiti fuerunt*, eosque hac de causa ceciderunt virgis aut occiderunt & lapidarunt, sic Jesum Nazarenum pro mero habuerunt homine, & tali, qui *Filii Dei & nomen & dignitatem mentitus fuerat*, uti ex Historia Evangelica, præsertim ex *Joa.* X liquidum esse opinor, atque ex hac caussa Eum interfecerunt. Verba itaque: *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt inter se; Hic est hæres*, ita accipienda sunt, acsi esset; *Videntes hunc, qui se Filium & hæredem mentitur*. Hinc quæstio *non* est instituenda, an ex rationibus moralibus facile inveniendis, quia præsto erant, cognoscere *potuerint* Jesum esse Messiam, Filium Dei? Hoc utraque manu largimur, sed an *revera* primariam hanc veritatem Evangelii *ignoraverint?* Et hoc adfirmamus & ignorantiam hanc ex præjudiciis, quibus de gloria Messiæ terrestri excæcati erant, profectam esse credimus. conf. 1 *Cor.* II: 8. ubi expresse dicitur, quod *nemo Principum hujus seculi sapientiam*

tiam Dei cognoverit. Si enim eam cognoviſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

§. 8.

Vide vero, quam ſapienter Petrus orationem ſuam inſtituat! Crimen populi & Procerum, licet infandum, licet penitus haud poſſet exculpari, extenuat, &, quantum fieri poteſt diminuit ut ex ignorantia profectum, ne de ſalute deſperent; & ſuaviter admodum eos *fratrum* nomine adpellando & ad eorundem cognitionem provocando animos delinire ſtudet, manifeſto indicio nondum januam ſalutis potiundæ, dummodo reſipiſcerent, obcluſam eſſe. Ignorantia elenchi itaque culpam diminuit, ſpemque præbet remiſſionis peccatorum. *Exemplo* ſit *Paulus* ipſe, qui incredulitatem ſuam & odium in Chriſtum ejusque diſcipulos internecinum *ex ignorantia ſua* derivat, ut & *miſericordiam* quam impetraverat ut & *longanimitatem Chriſti* multis laudibus extollit: τὸν πρότερον ὄντα βλασφημον και διωκτην και ὑβριστην, ἀλλ ἠλεηθην, ὅτι ἀγνοων ἐποιησα ἐν ἀπιστια 1 Tim. I: 13. & *vſ.* 16. ἀλλα δια τουτο ἠλεηθην, ἱνα ἐν εμόι πρώτω ἐνδειξηται Ἰησους Χριστος την πασαν μακροθυμιαν, προς ὑποτυπωσιν των μελλοντων. πιστευέιν ἐπ ἀυτω εἰς ζωην αἰωνιον. Quin Chriſtus ipſe preces ſuas

in

in cruce fusas: Remitte illis, hoc argumento adstringit: ὀυ γαρ ὀιδασι τι ποιοῦσι. *Luc.* XXIII: 34. Ceterum conferri meretur *Anonymi*, seu Rev. BAULACRE *Observ. in Luc.* l. c. quæ exstat in *Nouvelle Bibliotheque Germanique T.* 1. *p.* 53. ubi etiam loco nostro aliquam lucem adfundit.

§. 4.

ACT. III: 19, 20, 21.

Μετανοησατε ὀυν και ἐπιστρεψατε, ἐις το ἐξαλειφθηναι ὑμων τας ἁμαρτιας, ὁπως ἀν ἐλθωσι καιροι ἀναψυξεως ἀπο προσωπου του Κυριου, και ἀποστειλη τον προκεκηρυγμενον ὑμιν Ἰησουν Χριστον, ὁν δει ὀυρανον μεν δεξασθαι ἀχρι χρονων ἀποκαταστασεως παντων.

Desudarunt in explicatione hujus loci, præter Commentatores, præsertim JOA. LUD. LINDHAMMERUM & JOA. PLEVIERIUM, plures Viri Doctissimi. Sensus verborum non ita limpidus est, ut omnes idem sentire aut eodem modo eundem exponere potuerint. Et revera locus hic nodum habet vindice dignum. Optimi Interpretes, inter quos recenseo C. VITRINGAM P. *Observ. l. V. c.* 6. F. A. LAMPIUM *diss. II. de Aeternitate pœnarum*, recusa in *Diss. ejus Phil.-Theol. Tom. II.*

JOA.

JOA. FRID. STAPFERUM *Exerc. singulari*, *Tempo* inserta *Helveticis T. II. sect. II. d. IV.* PH. DODDRIDGIUM in *Paraphrasi N. T.* HERM. VENEMAM in *diss. ad Dan. c. VIII. p.* 599, 600. & qui mihi ad h. l. nuper demum innotuit, BERNARDINUM DE MOOR, Theologum quam maxime Leidensem celeberrimum, qui in *diss. sua Inaugurali* Lugd. Batavorum A. 1736 περὶ καιρων ἀναψυξεως edita, hunc locum magna cum cura illustravit; sensum verborum deducunt ab expositione της ἀναψυξεως, & à tempore *adventus Jesu Christi*, quem secutura essent tempora ἀποκαταστασεως παντων, ων κ. τ. λ. conf. quoque WOLFIUS in *curis Crit. ad h. l.* *Refrigerium* ergo secundum alios indicat *ultima N. F. tempora*, postquam gens Judaica se converterit ad Deum & Messiam, quod felicissimorum illorum temporum signum sit, ac antequam Christus missus fuerit ut Judex supremus, adpariturus e cœlis Verum hæc expositio ex eo capite mihi minus verisimilis aut commoda videtur, quoniam quomodo Petrus his verbis Judæos, *Auditores suos*, ad resipiscentiam commovere potuisset, non satis liquidum est. Supponit enim Apostolus, uti mox videbimus, Deum, ira justitiæ suæ vindicis flagrantem, quam ut comprimeret vel temperaret, venirentque tempora refrigerii, omni opera & studio, & quidem vera

μετα-

μετανοια & επιςροφη contendere debebant. Quod motivum ex ultimis N. F. temporibus repetitum parum roboris habere in præsenti tempore, primis sc. N. F. initiis, quivis ipse videt. Alii tempora refrigerii ad tempora *excidium Hierosolymarum & reipublicæ Judaicæ immediate sequentia: alii* ut BEAUSOBRIUS, ad *integrum Oeconomiæ Novæ curriculum* referunt, & denique *alii* ad *finem hujus Oeconomiæ*, ad *missionem* scilicet *Christi ad judicium Universale* & *αποκαταςασιν παντων*, *consummationem seculorum*, momentum ipsum adventus Christi ad judicium & resurrectionis mortuorum insecuturam. Sententias has probe examinat & refutavit cl. STAPFERUS *l. c.* & adhuc melius refutasset, si ipsi sententiam rescire licuisset, quam statim exponam & explicitum ibo.

§. 5.

In eam nimirum, rationibus omnibus excussis, deveni sententiam (1) verba *vs.* 19, 20. *Judæos* respicere, *Petri Auditores*, quos Apostolus his ipsis verbis commovere atque urgere contendit, ut resipiscerent, seque converterent ad amplectendum vera fide Jesum Nazarenum. Hoc adeo evidens est, ut omni careat dubio. Res itaque, de quibus differit, *non procul* quærendæ sunt, præsertim si *in propinquo* inveniri poterint.

§. 6.

§. 6.

(2) In explicatione horum verborum existimo *incipiendum esse à missione prænunciati vel præordinati Jesu Christi.* Hanc enim si probe intelligimus, omnia limpida erunt, & quidem ex eo capite, quod, meo quidem judicio, verus verborum sensus ab hac determinatione dependet. *Nulla* est *necessitas*, ut adparitionem Jesu Christi intelligamus, qualis futura erat in judicio super Remp. Judaicam, de qua legitur *Matth.* XXVI: 64., aut qualis adhuc futura est in judicio supremo; nec unquam hæ adparitiones sub notione *missionis* veniunt. —— Si quid video, verba: και ἀποστειλη ὑμιν Ἰησουν Χριστον, suppleri debent per λογον, ac si dixisset Apostolus: και ἀποστειλη ὑμιν τον λογον του Ἰησου Χριστου; pari modo ut sæpius πιστις sumitur pro λογω, vel νομω, vel ἀκοη πιστεως, conf. *Gal.* III: 14, 23, 25. &c. Nemini quoque ignotum esse potest, nomen Jesu Christi, non semper indicare *ipsam Jesu Christi personam*, sed quandoque ejus *justitiam*, vel *doctrinam*, vel *verbum*, vel *Ecclesiam*, conf. *Col.* II: 6. *Eph.* IV: 20. *Gal.* III: 27. *Phil.* III: 8. 1 *Cor.* XII: 12. Nec est insueta dictio λογος του Κυριου *Act.* VIII: 25. XIII: 48, 49. XV: 35, 36. λογος του Κυριου Ἰησου

Act.

Act. XIX: 10. XX: 35. λογ☉ του Χριστου *Col.* III: 16. &c. Nec minus insolens est phrasis: ἀποστελλειν τον λογον. Occurrit *Act.* X: 36. λογον ὁν ἀπεστειλε τοις υἱοις Ἰσραηλ. conf. *Act.* XIII: 26. Hinc Apostoli, quorum in ore Evangelium erat, dicuntur ευαγγελιζομενοι Ἰησουν τον Χριστον *Act.* V: 42., vel ευαγγελιζομενοι τον λογον, *Act.* VIII: 4, 35. XI: 20. vel κηρυσσοντες τον Χριστον, *Act.* VIII: 5. IX: 20. 2 *Cor.* XI: 4. *Phil.* I: 15. Et ex hac ratione Analogica *Lectionem* consuetam προκεκηρυγμενον, (licet alias perinde sit, quam sequaris: ex mente enim Petri utrumque convenit, quoniam *Christus praeordinatus, etiam praenunciatus est*) (*) praetulerim *alteris* προκεχειρισμενον (**) aut προ-

(*) Uti recte monet Proavus meus B. GER. V. MASTRICHT *in notis Criticis ad h. l.* eleganti N. T. editioni, quam curavit sub nomine G. D. T. M. D. praefixis, Amst. 1711. 8.

(**) Habet προκεχειρισμενον etiam CODEX *Mss.* qui *Bergerianus* dicitur, quemque possidet Bibliotheca MEERMANNIANA —— Vide quae dixit de hac varietate cl. SEGAAR in amicissima sua ad me data Epistola & ipse judica: „ Prae„ fers vulgatum προκεκηρυγμενον τω προκεχει„ ρισμενον. Verum hic manu exaratis Codi„ cibus honorem esse habendum omnino ar„ bitror. Recte ut puto editio *Complutensis*, „ & quae ex ea derivata est *Genevensis* ha-

προωρισμενον, conf. MILLIUS, BENGELIUS & WETSTENIUS; nam & κηρυσσω aliis in locis de λογῳ *verbo* vel *doctrina* adhibetur e. g. Κηρυξον τον λογον 2 *Tim.* IV: 2. Προκεκηρυγμενος λογος igitur eſt *verbum & Evangelium de Chriſto*, quod *jam adnunciatum fuit a Prophetis & præſertim à Joanne Baptiſta*, quemadmodum Paulus expreſſe loquitur *Act.* XIII: 24. προκηρυξαντος Ἰωαννου προ προσωπου της εισοδου ἀυτου βαπτισμα μετανοιας. Verba itaque Petri: και ἀποστειλη τον προκεκηρυγμενον ὑμιν Ἰησουν Χριστον, referenda ſunt ad *præconium Evangelii Jeſu*, quod Apoſtolis erat deman-

„ bent προκεχειρισμενον. Sæpius Noſter in
„ his ipſis *Actis* hoc verbo utitur, & illud
„ perquam adpoſitum eſt; προχειρος proprie
„ eſt, *qui præ manibus eſt*; promtus, ita de
„ *re & perſona*. *Heſychius*: προχειρος ἑτοιμος
„ ἐυχερης; ſic προχειρα σκευη, προχειρον ποιειν
„ & ſimilia. Hinc & illud Stoicorum προ-
„ χειρον ἐστω: προχειροτατος ἐις τας ἐνεργειας dixit
„ ÆLIANUS, προς το κακουργειν προχειροτατος
„ LUCIANUS. Inde προχειριζω eſt: *facio ut*
„ *præ manibus ſit, ut in promtu ſit*, atque
„ hinc προχειριζειν vel προχειριζεσθαι τινα
„ ſignificat *aliquem ad aliquid agendum deligere, delectumque muneri deſignare*: ita
„ *c.* XXII: 14. & *c.* XXVI: 16. Sic paſſim
„ POLYBIUS, ex quo jam quædam loca pro-
„ duxit RAPHELIUS; ita DIO CASSIUS p. 274.
„ &

demandatum; quodque Petrus illis promittit, licet id, jam antea ab Joanne B. adnunciatum, neglexerint & contemserint, explicandum, si modo resipiscerent.

§. 7.

Jam καιροι ἀναψυξεως ἀπο προσωπου του Κυριου explicandi sunt, quorum prius mentionem facit Apostolus & nunc felicius explicari possunt. Ἀναψυξις idem est ac ἀναψυχη, & huic addit ETYMOLOGICON M. ut *synonyma* ἀναδοσις, ἀναλυμα & ἀναπαυσις. Conveniunt pro

„ & DIODORUS SICULUS *l.* XVIII. *c.* 61. Hinc
„ προχειριζω est *publice propono & notum facio;*
„ πασι γνωριμον ποιω ut interpretatur SUIDAS.
„ Apud Patres Ecclesiæ freqnenter est *nomina*
„ *ordinandorum proponere*, ut ad *Eusebium*
„ *l.* III. de *Vita Constantini c.* 62. docuit
„ VALESIUS. προκεχειρισμενον adeo hic est *de-*
„ *lectum munerique suo designatum*, vel & si
„ malis, *qui vobis publice propositus est atque*
„ *innotuit.* HESYCHIUS προκεχειρισμενοι, προ-
„ βεβλημενοι, ἡτοιμασμενοι. Egregie hæc lectio-
„ nem nostram firmant." Hucusque Doctissimus *Segaar.* Addo, si hanc Lectionem sequaris, verbum hoc τῳ λογῳ etiam convenire. SCAPULA enim ex *Platone* observat, quod λογος de aliqua re dicatur προχειριζεσθαι.

pro ratione rei & emblematum. Ἀνάψυξις notionem habet *refrigerii*, *quo recreantur qui æstu feſſi ſunt*, ac proinde *refocillationem* accipiunt. Per metaphoram accipitur pro ſtatu magis *quieto*, *tranquillo* & *pacifico*, quando judiciorum vel calamitatum gravitas & æſtus *temperatur* aut *diminuitur*, ac priſtina felicitas omnis vel ex parte tantum reſtituitur. Ita a τοις ό uſurpatur pro רוחה *relaxatio*, qua homini calamitatibus preſſo *quaſi redditur Spiritus Ex.* VIII: 15. *Jud.* XV: 19. *Pſ.* XXXIX: 14. conf. etiam *Stapferus* & *de Moor l. c.* Ἀνάψυξις igitur *ſubponit gravitatem* ſive imminentis periculi ſive judiciorum & calamitatum; *indicat* vero *relaxationem* periculi vel refocillationem aut liberationem ex calamitatibus. —— Utrumque, & quod ſubponitur & quod indicatur, effectus eſt *faciei Domini*, quod ſignificatum eſſe puto phraſi απο προσωπου του Κυριου ſc. *Patris*. Qualis quæſo hæc eſſe poterat facies Domini erga Judæos, qui Dei Filium extremo mortis diriſſimæ ſubplicio adfecerant? Certe non alia quam *ignis conſumentis Hebr.* XII: 29. Deus jam tempore mortis Servatoris iram ſuam manifeſtaverat per obſcurationem Solis, per terræ motum &. ruptum Templi velum; quæ ſigna nihil minus portendebant, quam comminatam toties deſtructionem totius Judæorum reipublicæ & exci-

dium

dium urbis & Templi. Ex his vero quæ ſubponuntur, ac revera iræ Divinæ æſtum ſignificabant, explicanda ſunt *tempora refrigerii. Tempora* ſunt *dilationis judicii Divini ſuper Judæos*, *tempora longanimitatis*, in quibus zelus vindictæ Divinæ *remittebat* aut *relaxatus* erat, quia ſcelus tam execrabile ex ignorantia profectum erat, & Deus adhuc præſtolari volebat, num tandem ſuperaddito Sp. S. teſtimonio hoc ipſo Pentecoſtis die de veritate Divinæ Chriſti legationis & dignitatis convinci vellent, adhortando eosdem ut reſipiſcerent. Verum enim vero, ſi etiam Longanimitatem Divinam contemnere eaque abuti pergerent animo plane refractario, *excandeſcentiæ ſuæ Spiritum* amplius *compeſcere* & *comprimere* nolebat Deus; *facies* potius *flammea Domini citatura erat Spiritum vindictæ* tamdiu *ſuſpenſum*, quo tempora refrigerii *finienda* erant, omnesque increduli conſumendi, & abſorbenda erat impia hæc obliqua & contumax Judæorum Hieroſolymis habitantium generatio. Hinc tempora hæc *αναψυξεως* dicuntur præcedere diem illum vindictæ magnum & inluſtrem *πριν ἡ ἐλθειν την ἡμεραν Κυριου την μεγαλην και ἐπιφανη* c. II: 20. Quare Petrus c. II: 40. ſignificanter admodum Auditores ſuos monet ut ſalutem ſuam quærant, ſecedendo ſe & ſeparando moribus & conſortio ab incre-

imminentia nobis mala adeo funeſta nos convertamus ad Deum, & Jeſum Nazarenum, ut verum Meſſiam Deique Filium reſipiſcentes fide amplectamur; verum quomodo id fieri poteſt? Tu enim ipſe nobis adnunciaſti, Jeſum e mortuis non tantum reſuſcitatum ſed etiam in coelos elatum eſſe! Reſpondet Apoſtolus: *Ita eſt! Oportuit Eum cœlum recipere ad dextram Patris. Hoc quoque præordinatum & conſtitutum erat, ut cœleſti coronaretur gloria. Non videbitis ergo Eum oculis corporeis, usque dum venerint tempora reſtitutionis omnium, de quibus locutus eſt Deus ab omni ævo per ora omnium ſanctorum ſuorum Prophetarum. Verbum tamen Jeſu non eſt procul a vobis. Ecce jam Deus nobis mittit & porro in temporibus hujus refrigerii miſſurus eſt præconium Evangelii. Si Evangelium Jeſu Chriſti vera fide amplectamini,* IPSUM JESUM CHRISTUM *amplectemini, & per Eum ſalvi evaſuri eſtis.* conf. *Rom.* X: 8, 9. De ἀποκαταστάσεως πάντων nihil hic moneo, quæ procul omni dubio ex vaticiniis Prophetarum explicanda eſt. Non pœnitebit hic conferre cel. DE MOOR, *Diſſ. jam laudata p.* 30. *ſ.*

§. 10.

Hæc jam ſcripſeram, cum incidit in manus *Faſciculus Nonus Obſervationum Sacrarum,*

tum, quem evulgavit cl. Marpurgensium Theologus, Doctissimus J. G. KRAFFT, ubi *Obs. XII. p.* 271. *s.* locum nostrum enucleatum ivit. Sententiæ ejus summa huc redit: Petrum exhortationis ad veram resipiscentiam argumenta non solum repetere a spe obtinendæ peccatorum veniæ, sed etiam *a beneficiis Divinis jam exhibitis*; & ipsum beneficia quædam proponere quando dicit: *resipiscite & convertite vos, postquam venerint tempora refrigerii a Domino, quum prænunciatum vobis Jesum Christum miserit.* Totus dein in eo est, ut septem argumentis refutatum eat sententiam eorum, qui ὅπως ἂν reddunt per *ut*, „ ac proinde sequentia „ considerant ut scopum intendendum, „ nempe refrigerationem obtinendam in „ futura vita per adventum Domini ad ju- „ dicium ultimum, ac ita Petro, exhortanti „ ad resipiscentiam vitæque veram emen- „ dationem, triplicem scopum hoc modo „ adtribuunt (1) ut peccata deleantur. (2) „ ut veniant tempora refrigerationis. (3) „ ut mittatur Jesus Christus secundum fa- „ ctam ipsis prænunciationem ". Ex sententia autem Doctissimi KRAFFTII Petrus dicit; *Resipiscite, postquam Servator vos liberavit ab onere jugoque legis Ceremonialis, & produxit tempus acceptum* 2 *Cor.* VI: 2. *partamque libertatem à gravi servitute Gal.* V: 1.

ad quam liberationem omnino missus erat secundum vaticinia Prophetarum Jes. XL: 2. LXV: 2. *Zach.* IX: 11., *quod etiam Petrus ut factum, Christumque ut ad ipsos missum proponit & quasi ex commate 26 repetit. Missio* enim *Jesu Christi* Viro doctissimo est *Adventus Christi in carnem.* Liceat mihi pace manium cl. Viri aliquam in ejus argumenta Epicrisin instituere, præsertim in illa, quæ & meæ Interpretationi opposita videri vel obponi possent, & quidem animo placido, meritisque Viri cl. æquum statuente pretium.

§. 11.

Primum Argumentum contra *omnes* directum est, qui triplicem, quem modo proposui, in oratione Petrina scopum distinguunt, omniaque ad futurum tempus referunt. Sententia mea eodem tendit. Ita loquitur *p.* 279, 281: *Si hæc mens Petri fuisset, primam constructionem procul dubio continuasset, dicendo* εις το εξαλειφθηναι τας αμαρτιας υμων, και εις το ελθειν τους καιρους αναψυξεως, κ. τ. λ. *quia triplex hic scopus foret connexus, atque vis movendi per ipsam loquendi rationem continuatam fuisset fortior. Cum vero constructionem & orationis formam plane mutet, non videtur Petrus posteriora pariter at finem intendendum adduc, adjungere ante-*

antecedenti, *sed novam proponere moventem rationem a præstitis jam beneficiis desumtam*, *cum venerint jam tempora &c. miseritque Deus Jesum &c.* Nullus, opinor, hoc argumento a sententia sua dimovebitur, cum non opus sit ut aliquis, hoc minus Orator, dum sermonem continuat & in indicanda caussa finali pergit, *eandem* semper retineat *constructionem*. *Elegantiæ* gratia eam sæpiuscule mutat, nec est cur quis ex immutatione solius constructionis verborum liberum sibi esse putet, scriptori vel Oratori alium adtribuere sensum. Hinc licet Apostolus novam proponat moventem rationem, minime tamen necesse est eandem a præstitis jam beneficiis derivare. Immo, mea quidem sententia, vel hæc constructionis forma sua non caret emphasi. Quando Apostolus dicit: *Resipiscatis & convertamini* εις το εξαλειφθηναι τας αμαρτιας υμων, iis *certo certius* promittit peccatorum remissionem & ipsorum cum Deo reconciliationem. Finis autem reliqui subponunt Judæorum, quamdiu Jesu erant hostes, *certam quidem perniciem a facie Dei Zelotæ*, verum argumento ad hominem Auditoribus *spem* facit, *non certitudinem*, fore, ut forte adhuc in gratiam resipiscentium, ceterorumque convertendorum, concederentur tempora quædam refrigerii; & Dominus, quemadmodum nunc

nunc mittebat, ita diutius miſſurus eſſe verbum Evangelii Jeſu Chriſti. Saltem τὸ ἀν junctum τῷ ὅπως indicare *futurum tale quale præſens eſt*, loca vel ab ipſo Auctore *p.* 278. citata ſatis probant; atque a cl. J. PERIZONIO obſervatum eſt *ad* ÆLIANI *V. Hiſt. l.* 10. *c.* 20. *& aliis* præmiſſum Infinitivis τὸ *præſens mutare in futurum.* Immo ex conlatione variorum locorum, præſertim ex *Actorum* libro deprehendi, τὸ ἀν notam eſſe temporis *præſentis ſimul & ſubſequentis.* Periculum faciat B. L., an hæc recte ſe habeant!

§. 12.

Argumenta *ſecundum* & *ſeptimum* ex ſignificatu particularum ὅπως ἀν deſumta ſunt; & exinde ea hic conjungo. *Secundum* mittere poſſem, quia expoſitionem meam proprie non ferit. Sic loquitur Vir cl.: *Nequeunt voculæ ὅπως ἀν commodo ſenſu verti per* ut, *quoniam reſipiſcentia & emendatio vitæ pariter ac ipſa peccatorum remiſſio neque refrigerationem in vita æterna, neque miſſionem Jeſu Chriſti ad ultimum judicium accelerare vel maturare poſſunt, quæ tamen ex illa verſione ut ſcopus genuïnus intendendus a Petro proponerentur dicendo: ut veniant & mittat.* Verum, quoniam quis hoc ipſo argumento ad obpugnandam

dam interpretationem nostram uti posset tali modo: *nequeunt* —— *quæ resipiscentia & emendatio vitæ neque refrigerationem in æstu iræ Domini, neque missionem præconii Jesu Christi efficere aut prolongare possunt*; respondeo: utique hæc in S. S. ita proponi, conf. *Jes.* I: 9. *Rom.* IX: 29. S. S. longanimitatis Divinæ *moras* resipiscentibus promittit; hinc in populo ad excidium maturescente, si multi resipiscunt, longaminitatis Divinæ dies *protrahuntur*, immo ipse Servator prædixit, ipsa excisionis reipubl. Judaicæ tempora in gratiam electorum abbrevianda esse *Matth.* XXIV: 22.

§. 13.

Argumentum *Septimum pag.* 282, 283. ita se habet: *Notari etiam potest, quod Apostolus loquatur* in præterito, ὅπως ἂν ἔλθωσι, καὶ ἀποστείλῃ, *quæ verba naturali vocum constructioni convenientius redduntur*, postquam venerunt & misit, *quam ut veniant & mittat*. Ignota mihi quidem haud est frequens *Temporum Enallage*, sed ea non statuenda est, nisi res ipsa postulat, quod hic non fieri, sed convenientiorem esse naturalem constructionis verborum sensum ex dictis & dicendis adhuc satis constare potest. Huic autem argumento *Virum Doctissimum* omnium

maxi-

maximum tribuisse pretium non tantum ex eo liquet; quod *pag.* 278. dixerat, *veri verborum sensus definitionem maximam partem dependere a significatione vocularum* ὅπως ἂν, *utrum illæ sint vertendæ per* ut, *an vero per* postquam vel *posteaquam*; verum etiam quia §. 7. *p.* 283. Auctores & aliquot loca citat, quibus posteriorem significatum statuminare satagit. Videamus an hæc recte se habeant. Fassus est ipse *Vir cl.*, qua est ingenuitate, *priorem significationem solum e N. T. probari posse pag.* 278. & *p.* 283. *nullum exemplum significationis τοῦ* posteaquam *exstare.* Se ipsum vero cum feriat ingenua hac confessione Vir Doctissimus, ut hominem candidum decet, *provocat ad bonos Auctores Græcos* & exempla aliquot adtulit. Rectissime dixit dependere verum verborum sensum à significatione vocularum ὅπως ἂν; sed notandum est (1) ὅπως significare *postquam*, quod nequaquam inficias imus, sed addimus: quando ei adjungitur *Indicativus.* Exempla, quæ BEZA, SCHMIDIUS & *alii* citaverunt, quæque ipse *Vir cl.* adfert, hujus rei fidem faciunt. *Subjunctivus* autem vel *optativus* ei jungitur si *finem* indicat. Exempla non cieo, quia ubique in promptu sunt, vide modo *citata ex N. T. p.* 278. Cum itaque τὸ ὅπως in loco nostro jungatur *Subjunctivo*, ὅπως ἔλθωσι, —— καὶ ἀποστείλῃ, necesse

necesse est vertatur per *ut*. Et notandum est Versionem *Vulgatam* non solum, sed etiam *Codicem Cantabrigiensem* adhibere *Optativum*. Inl. enim J. D. MICHAËLIS in nova Editione der Einleitung in die Göttliche Schriften des Neuen Bundes *T.* 1. *p.* 768. docet, *Tertulliani* citationem, *ut superveniant*, profectam fuisse ex Versione aliqua *Latina*, cujus originalis Codex scriptum habuerit ὅπως ἀνελθωσι, το ἀν conjungente cum ελθωσι; & *Codicem Cantabrig*. habere ὅπως ἐπελθωσιν (2) Si ὅπως construitur cum *Indicativo*, *non additur* particula ἀν, qua quoque carent exempla *pag*. 283 citata; *additur autem* in constructione cum *Optativo* sæpissime. Cum itaque in loco nostro το ἀν jungatur τω ὅπως, necesse est, ut voculæ reddantur per *ut*, & *futurum* aliquod *simile præsenti* indigitent, *finemque* innuant *intentum*.

§. 14.

Prætereo Argumentum *Tertium*, uti etiam *Quartum*, quia nullis fidiculis ad labefactandam nostram expositionem torqueri possunt, illaque eis relinquo, contra quos directa sunt. *Quintum* autem argumentum forte aliquis contra meam interpretationem ita torquere posset: *Ratio movens ad resipiscentiam — desumta ab adventu Servatoris in carnem*

nem longe est fortior & magis naturalis, quando per illam refrigerationem intelligitur liberatio per Christum praestita ab onere jugoque legis Cerimonialis, & parta libertas a gravi servitute &c. v. §. 34. Hæc si quis mihi objiceret, responderem (1) quoad hypothesin, Petrum ipsum, licet Apostolus esset, dum hæc eloquebatur, *nondum* videri tanta veritatis luce illustratum fuisse, ut *sciret*, finem adventus Jesu in carnem, liberationem quoque fuisse Judæorum ab onere jugoque legis Cerimonialis. Quem enim latet mens Petri & hoc tempore & postea adhuc nubila? qua circumcisionis atque alius generis leges vel gentibus conversis imponere haud dubitabat, uti ex *Actis Apost.* & *Epistola Pauli ad Galatas* satis patet. Quomodo itaque motivum desumere potuisset ab hac liberatione, quam ipse nondum cognoverat? (2) Ratio hæc parum conveniens fuisset naturali rerum gestarum ordini, quo *missio Jesu Christi praecedit temporibus refrigerii, saltem liberationi ab onere & legis Cerimonialis jugo*; esset itaque hic ὕστερον πρότερον. (3) Motivum, quod interpretationi *nostrae* inest, fortius omnino esse illo, quod ab adventu Christi in carnem & liberatione à jugo legis Cerimonialis deduci posset, quivis facile perspiciet. Nam adventus Christi in carnem quidem ut *motivum aliquod generale* considerari potest, sed illi

Ili non ineſt *ſingulare aliquid*, quod circumſtantiis temporis & populi, ad quem ſermo Petri directus erat, adprime convenit. Adventum ſuum in carnem Chriſtus ipſe ſæpius declaravit; ſed Judæi, præjudiciis de regno Meſſiæ terreſtri & mundano adhærentes, venerari noluerunt Regem, qualem Chriſtus ſe per adventum ſuum in carnem manifeſtaverat. Convinci potius debebant de *gloria Jeſu Chriſti per reſurrectionem & evectionem ejus in cœlos adquiſita*. Cum vero Petrus hoc motivo jam fuiſſet uſus, nulla eſt ratio, quod credamus, eum *poſtea* motivum aliquod generale ab adventu Jeſu in carnem repetiiſſe, quod toties ab ipſo Jeſu *fruſtra* adhibitum fuerat. (4) *Nullam plane vim* animadverto in motivo a liberatione ab onere & jugo legis Cerimonialis per Servatorem præſtanda, ad commovendos Judæorum animos, deducto, quamdiu *nondum* erant convicti de legis Moſaicæ ad juſtitiam ineptitudine, ſed potius juſtitiam ſuam ex legis obedientia omni ſtudio quærebant; immo *tantum abeſt*, ut legem Moſaicam *oneris & jugi inſtar* haberent, ut potius in eadem ut *ſingulari prærogativa* gloriarentur. Neceſſe erat ut inſtituerentur de inutilitate obedientiæ legis ad juſtitiam coram Deo adſequendam, *priusquam* doctrina hæc fieri poſſet motivum ad flectendos eorum animos. Quam vero

difficile arduumque Apostolis fuerit negotium, Judæos ad Christum jam conversos de legis Mosaicæ ad justitiam ineptitudine per opus operatum, aut de necessitate solius in Christum fidei convincere, vel ex *Epistolis Pauli ad Romanos & Galatas* manifestum est. Quis ergo sibi persuadere poterit, Petrum, si vel ipse jam veritatem Evangelicam de abolendo jugo legis cognovisset, ad convincendos Judæos, qui in Mose ejusque lege omne hactenus salutis suæ præsidium conlocaverant, hoc argumento usum fuisse? Illud certe hoc tempore eorum animos, præjudiciorum fascino obnubilatos, magis à Christo abalienasset. E contrario mos erat Apostolorum ex Mosis lege & ex Prophetis Judæos docere, Jesum Nazarenum verum esse Messiam, eisque ut νηπιοις sapienter lac Evangelii, vel τα στοιχεια της αρχης των λογιων του Θεου administrare, priusquam solidiore eos cibo nutrirent *Hebr.* V: 12. Liceat mihi hic *Canonem Hermeneuticum* maximi momenti proferre, qui insignem præstat usum. Scilicet: *Caveamus, ne verbis Prophetarum aut Apostolorum ad Judæos directis omnia ea tribuamus, quæ nos, melius & uberius instructi, notionibus eorum tribuere possumus. Omnia pro temporum ratione dijudicanda & determinanda sunt.* —— Hinc *fortius*, profecto, *motivum* & argumentum

à

a temporibus *refrigerii*, vel *longanimitatis Divinæ*, mox desinendæ, desumtum erat ad flectendos pro temporum circumstantiis Judæorum præsentium animos. Glorificatus enim Jesus proponitur ut Dominus temporum, qui longanimitatis suæ periodum hostibus suis, secundum carnem ipsius quoque fratribus, commendat haud negligendam. Hinc *fortius* quoque argumentum & *motivum* erat *missio præconii Evangelii Jesu Christi.* Nam coincidit & fere idem est cum illo, quo Paulus in simili argumento utitur *Hebr.* IV. *præsertim v.* 7. scil. *Una solummodo dies erat refrigerii* ad præconium Evangelii, (ita enim hi fines connexi sunt) in *gratiam Judæorum*; hac autem finita gentibus illud erat adnunciandum *Act.* XIII: 46. & Judæi ut indigni repudiandi, æstuque iræ Divinæ consumendi, quemadmodum quoque eventus rerum abunde docuit.

§. 15.

Sextum Argumentum mitto, quia expositionem meam non infringit, eoque potius, sin recte se habet, ad eandem confirmandam uti possem. *Prænunciata* enim fuerunt a Prophetis talia refrigerii tempora uti *Jes.* I: 19. *Ps.* XCV: 7, 8, 9. &c. & missio præconii Evangelii sexcentis locis, quæ non opus erit ut hic recenseam, *prædicta* fuit.

§. 16.

ACT. III: 26.

Id unum nunc addo ad ſtabiliendam interpretationem meam, quod adprime conveniat cum *ultimo hujus capitis commate*, ubi, poſtquam reſurrectionis Jeſu mentio facta fuiſſet, Apoſtolus addit: ἀπεςειλεν ἀυτον ἐυλογουντα ὑμας ἐν τῳ ἀποςρεφειν ἑκαςον ἀπο των πονηριων ὑμων, quod commode non niſi de *miſſione* vel *præconio verbi Evangelii* explicari poteſt. Me quidem non latet, pleroſque Interpretes verba antecedentia ἀναςησας τον παιδα ἀυτου Ἰησουν exponere de *ſuſcitatione Jeſu ut Prophetæ*, quemadmodum Jeſus quoque vaticinatus introducitur *vſ.* 22. ὁτι προφητην ὑμιν ἀναςησει Κυριος ὁ Θεος ὑμων. Inter eos etiam eſt cl. E. L. VRIEMOETIUS in *Adnotat. ad Dicta Claſſica V. T. T. I. P. I. p.* 203. Nec inficior, verbum de hac ſuſcitatione explicari poſſe. Verum verba tunc ſequentia *idem* fere ſignificabunt, quod in ſtylo ſimplici in ταυτολογιας vitium incurrit. Hinc excludi nollem *reſuſcitationem Jeſu ex mortuis*, quæ *cap.* II. plerumque ſub hoc verbo indicatur ſc. *vſ.* 24, 30, 31, 32. conf. *Act.* XIII: 33, 34., ubi duplex hujus verbi ſignificatus obtinet, uti & του ἐγειρειν

c. XIII.

c. XIII. *v.* 23 & 30. Jesum enim τον παιδα του Θεου jam glorificatum eisdem verbis designaverat Petrus *v.* 13. & de morte & resurrectione Ejus ex mortuis verba fecerat *v.* 15; hinc Eum ut suscitatum ex mortuis & cœlesti gloria fulgidum depingit, imo plane uti *v.* 20, 21. fecerat de *missione Evangelii Jesu* loquitur, ac si esset απεστειλεν τον αυτου λογον. Nec obstat quod verbum αναστησαι *v.* 22. de suscitatione generali usurpetur. Etenim cum Moses promittat suscitandum Prophetam sibi fore similem, *Analogia Mosen inter* & *hunc Prophetam* non solum in utriusque doctrina & facinoribus egregiis quærenda est, verum etiam in *Analogica utriusque suscitatione in Prophetam & Ducem Israëlis.* Hac enim ratione suscitatio Prophetæ & Ducis promissi suscitationi Mosis Analoga esse debebat. Quemadmodum igitur Moses *ex faucibus mortis ereptus fuit*, dum eum infantem ex *aquis suffocantibus* per miraculum quasi extrahi jussit provida Numinis cura, ut Propheta & Dux esset Israëlitarum, eos introducturus in terram Cananæam, cui obtemperarent omnes; ita Deus servum & Filium suum Jesum veluti per miraculum, sane maximum, *suscitavit ex mortuis*, ut Propheta & Dux esset omnium in Eum credentium, eos introducturus in Canaanem

cœlestem. Et revera presse si usum verbi αναστηναι *vs.* 22 & *vs.* 26. sumas & compares, animadvertes facile differentiam. Dicitur enim *vs.* 22., Mosen *indefinite* de *suscitatione alicujus Prophetæ* vaticinatum fuisse; hic vero de *suscitatione jam definiti Prophetæ* sermo est, qui *jam* ut παις του Θεου *adparuerat.* Cogitemus ergo necesse est de resuscitatione Jesu ex mortuis. Et sic post mentionem resuscitationis Jesu, quam adnunciaverat Apostolus, optime quadrat dictum; αποστειλεν τον αυτου λογον. Quadrat hoc magis, quia Moses & Prophetæ, jam dudum terris exemti, dicuntur *adesse Judæis*, ut eosdem audiant *Luc.* XVI: 29, 31., quod non nisi de *præconio aut lectione legis & Prophetarum* explicari potest; hinc etiam Pharisæi se *Mosis esse Discipulos* jactabant *Joa.* IX: 28. *Aderat* ergo etiam *Jesus*, licet elatus in cœlos, *Judæis per præconium Evangelii*, dum missi ab eo Apostoli Nomen ejus portabant coram gentibus, & Regibus & filiis Israël *Act.* IX: 15. Quadrant quoque quæ sequuntur dicta de λογω vel præconio Evangelii. Nimirum Evangelium non modo adnunciabat Judæis *omnis generis benedictiones*, partas per Christum, verum etiam eum intendebat finem, ut eorum *quisque averteretur a pravitatibus*, quemadmodum & Moses eundem finem in oculis

oculis habuerat; à pravitatibus præsertim ex ignorantia, invidia & præjudiciis exortis, quæ obstiterant, quo minus Jesum Nazarenum cognoverint ut Messiam Filium Dei, & ad Eum tanquam ad unicum salutis Auctorem confugerint.

T A N T U M.

CONSPECTUS OBSERVATIONUM

Locus ex ACT. III: 17. explicatur §. I. Dubium ex MATTH. XXI: 38 solvitur & locus hic explicatur §. II. Sapientia sermonis Petrini ostenditur §. III. Exponitur locus ACT. III: 19, 20, 21. & variæ de eo sententiæ recensentur §. IV. Auditores Petri commoventur, ut in Jesum Nazarenum mature credant §. V. Probatur verba: *καὶ ἀποστείλῃ ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστὸν*, accipienda esse ac si esset: *καὶ ἀποστείλῃ ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ*; *προκεκηρυγμένον* vera lectio §. VI. *Καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου* quid subponunt & quid indicant? *tempora sunt longanimitatis Divinæ* §. VII. *Paraphrasis* verborum Petri §. VIII. Explicatur *vs.* 21. ex nexu §. IX. Epicrisis instituitur in expositionem, quam cl. J. G. KRAFFT dedit §. X. —— respondetur ejus argumentis, quæ expositioni nostræ possent obponi; ad *primum*, *τὸ ἂν* junctum *τῷ ὅπως futurum* indicat *tale quale præsens est* §. XI. —— ad *secundum* & *septimum*, *ἕως* est *postquam*, quando ei adjungitur *Indicativus*; *Subjunctivus* ei additus *finem* indicat; *Indicativo nun-*

quam jungitur ἀν, *ſed optativo*; in loco noſtro eſt *optativus*. §. XII, XIII. ad argumentum *Quintum*: Oſtenditur quare Petrus nondum de *liberatione* convertendorum *a jugo legis Ceremonialis* loqui potuerit; probatur motivum in noſtra expoſitione *fortius* eſſe; *Canon Hermeneuticus* §. XIV. Prædicta fuerunt tempora refrigerii & miſſio præconii Evangelii §. XV — Exponitur locus ACT. III: 26, ubi, ἀπεςειλεν ἀυτον, tantundem eſſe probatur ac: ἀπεςειλεν τον ἀυτε λογον; Analogia *ſuſcitationem Moſis inter & Chriſti* §. XVI.

V.

STATUS CONLATIONIS HEBRÆORUM MANUSCRIPTORUM VETERIS TESTAMENTI,

Qualis fuit sub finem Anni ab incepto Opere SEPTIMI 1766.,

DELINEATUS

a

BENJAM. KENNICOTT,

S. Th. D. Membro Societatis Scientiarum Regiæ Londinensis & Goettingensis, ut & membro Academiæ Scientiarum Electoralis Theodoro—Palatinæ Manhemiensis,

nec non

Collegii Exeterani Oxoniensis Socio.

Sub finem præsentis Anni, qui SEPTIMUS est ab incepto Opere Conlationis nostrorum Veteris Testamenti Hebræorum MSS. fas est, ut gratissimus agnoscam, quanta hoc in anno mihi subdita sint calcaria

 ad

ad feliciter promovendum hujus Operis ſucceſſum, & ſimul exprimam, quam reverenter & haud proletarie obſtrictus ſim inprimis REGI, tum Inluſtribus SOCIETATIBUS & Doctiſſimis MÆCENATIBUS, a quorum favore & gratia Operis progreſſus pendet. Hinc more conſueto narrabo, in quantum Opus profecerit, ad ſatisfactionem & voluptatem eorum, quibus Inſtituto huic publice ſubſcribere volupe fuit.

Numero QUINQUAGINTA SEPTEM MSS., ſex præcedentibus annis conlatorum, jam addita ſunt TREDECIM MSS. hoc anno conlata, ita ut Summa totalis MSS, quæ in terris noſtris hærent, pertingat ad SEPTUAGINTA MSS. jam conlata. Quoad ea vero MSS., quæ penes nos remanent nondum conlata, ſpero ipſe credoque eadem *Trium ſequentium Annorum ſpatio* conferri poſſe.

Ex Tredecim MSS, quæ hoc anno examinata fuerunt, *Sex*, *Muſeo Britannico* competentia, mihique ex decreto Generalis Curatorum inæſtimabilis hujus Theſauri Conventus mutuo data, *Quatuor* tantummodo adhuc ſuperſunt conferenda. *Unum* MS. a Decano & Capitulo *Welſiano*, *unumque* Apographum, quod, licet excuſum, pretio varia noſtrorum MSS. valde ſuperat, hoc anno à Præpoſito & Sociis Collegii *Etonienſis* ex ipſorum eleganti & pretioſa Bibliotheca

theca accepi. Gratias ipsis publice ago, quod mihi omnes hos Codices & modo adeo officioso communicaverint.

Interea præter omnes ejusmodi gratias, quibus me hoc anno devinctum sentio, Una est, quæ specialissimam obligationem exigit. Hanc debito & submisso animo obfero REGI, pro usu valde vetusti & curiosi Pentateuchi Hebraici excusi, quem gratiosissime mihi ex Bibliotheca sua jussit communicari. Incepta jam est hujus Pentateuchi conlatio. Editionem hanc una cum quibusdam aliis æque vetustis, postquam huic Narrationi finem imposui, speciatim describam.

Enarravi nuperrime, quod Apographa Conlationum *Quinquaginta Septem* propriorum nostrorum MSS deposita sint in Bibliotheca *Bodlejana*, & Apographa *Quatuor* MSS exterorum, quæ heic conlata sunt, ut & *Septemdecim* aliorum aliis in Europæ partibus conlatorum. Præcedentibus Quinquaginta Septem nunc addita sunt *Undecim*, & *Viginti* & *Uni* exterorum *Novemdecim* alia; ita ut numerus totalis Apographorum, in Bibliotheca Bodlejana nunc depositorum, consistat in numero CENTUM ET OCTO APOGRAPHORUM.

MSS. domestica & extera, ad constituendum opus jam conlata, exsurgunt ad numerum CENTUM ET TREDECIM, & hæc, uti facile

cile præſumendum eſt, plura ſunt quan unquam ad confirmandum ullius alius libr textum genuinum adhiberi poſſunt. Verum enim vero, ut opus hoc tam quantitate materiarum quam ſplendore Mæcenatum, qu illud patrocinio ſuo dignati fuere, alia omnia multum ſuperet, non ſolum, quæ domi ſuperſunt finiam, ſed etiam multa alia pretioſa aliarum regionum MSS. conferri curabo, & quoad hæc, Conlatio *Viginti* vel *Triginta* MSS. valde jam urgetur.

Conlatio MSS., ex mandato defuncti REGIS DANIÆ fauſto certe ſidere in Oriente repertorum, a quibusdam doctis Profeſſoribus, quibus hanc curam demandavit Inluſtris hujus Operis Mæcenas, Excellentiſſimus BARO DE BERNSTORFF, jam HAFNIÆ inſtituta eſt. – A cel. *Abbate Hooke*, qui defuncto Profeſſori *Ladvocat* in Cathedra Sorbonnenſi non tantum, ſed in ſtudio quoque hoc opus promovendi ſucceſſit, relatum accepi, duo illa MSS., inter ea, quæ *Lutetiæ Pariſiorum* adſervantur, quæque, dum mihi viſa ſunt magni eſſe pretii, ſelegi, nunc ſub examen revocari; Unum Bibliothecæ *Regiæ* ex mandato REGIS CHRISTIANISSIMI, alterum *Oratorii* ex favore doctiſſimorum ejusdem Patrum. – Conlatio MS. CASSELLANI, ex Diſſertatione cl. SCHIEDII cogniti, ex parte facta eſt, & pars hæc ad nos *Göttinga* delata eſt:

Nam

Nam permiſſu Sereniſſimi HASSIÆ LANDGRAVII MS. hoc ad eruditiſſimum meum Amicum, cl. *Michaëlis*, translatum eſt, qui ut tutius illud Goettingam deportaret, hunc in finem iter Caſſellanum ſuſcepit. — Ne vero in præſens plura ſpecialia referam, tantummodo hic addo, quod duo celebria MSS., quæ primum *Reuchlinus* poſſedit, nunc vero Bibliothecam Sereniſſimi MARCHIONIS BADO-DURLACENSIS in palatio *Carolirubenſi* ornant, hoc anno per Virum Honoratiſſimum, *Schmidtz*, Conſiliarium Principis intimum, curæ Rev. *Bruns* commiſſa ſint.

Gratitudinem quoque debitam fas eſt teſtari Rever. *Abbati le Blond*, pro cura, quam adhibuit in transſcribendis & *Cadomo* miſſis Conlationibus Sex Pſalmorum MSS., quæ PARISIIS ſub directione defuncti Profeſſoris *Ladvocat* ſub examen revocata fuerunt; ut & cl. *Breitingero*, Profeſſori TURICENSI, quod non tantum ſpontaneo favore contulerit meum in uſum magnam partem MS. *Turicenſis*, verum etiam procuraverit Variantes Lectiones MSi, (publice nondum cogniti) adſervati in *Monaſterio S. Blaſii Sylvæ Martianæ*, *Briſgoviæ*, cujus conlationem inſtituere humaniſſime juſſit Inl. Princeps Præſul MARTINI, cui quoque eapropter gratias ago, ut & Excellentiſſimo *Guilielmo Nortono*, *Equiti*, Regis ad Helvetios Legato, quod mihi haſce

con-

conlationes miſerit. Similes etiam gratias debeo Nobil. *Horatio Mann*, *Equiti Aurato*, Regis Legato, Florentiæ reſidenti, quod ad me transferri curaverit conlationes aliquot MSS, *Mediolani* per clar. Profeſſores *A Porta* & *Baptiſta Branca* finitas, quas *Guilielmus Stanhope*, Vir Honoratiſſimus comiter admodum adtulit.

Sed dum redeo ad Subſcriptionem operis, quæ generoſa liberalitate omnes alias longiſſime excedit, officii mei haud exigua pars eſt, ut Fautores eos commemorem, qui in rep. Litteraria hoc Inſtitutum inſignibus ſuis teſtimoniis adprobarunt. Quapropter in gratiam SUBSCRIPTORUM hic inſeram Apographa duorum Inſtrumentorum, quibus nuper honoratus fui, & quidem ex cauſa Relationum, quas de hoc opere publici juris feci, quodque ex EORUNDEM Excitatione urgendum mihi honori duco.

Detecta eſt hoc anno res magni momenti, quæque propius cum indole hujus Operis convenit. Argumentum ea Novum & certiſſime probans exhibet pro *Utilitate* aut potius *Neceſſitate* talis Inſtituti. Specialem illa requirit expoſitionem; hinc ut ab omnibus intelligatur Introductionis gratia hic adpono ſequentia.

Europa Litterata jam dudum *quoad typis excuſum textum Veteris Teſtamenti Hebraicum*

in

in duas dispescitur opiniones. Sunt qui ejus integritatem absolutam, sunt qui eum hic illic corruptum statuunt. Posteriorum iterum duæ sunt sententiæ. Dum enim nonnulli corruptiones paucissimas easque minimi momenti dicunt, alii e contrario multas eas esse & magni momenti opinantur. In eo nihilominus fere omnes consentiunt, quod, qualiscunque sit realis numerus vel indoles corruptionum in textu excuso, *textus tamen ille paucas vel nullas correctiones ex MSS. Hebraicis adipisci possit*, quia MSS. Hebraica, quæ nunc exstant, pauca sunt & hæc pauca recentiora, & omnia aut prorsus aut circiter eadem inter se invicem & cum textu excuso. Verum hæc sententia, licet prævaluerit usque ad paucos præteritos annos, adeo efficaciter confutata est argumentis evidentibus, ex his MSS productis, ut præsumere liceat, communem nunc sententiam ferre, quod Hebraica quæ exstant MSS. *valde multa* sint, quodque alia ab aliis & à textu excuso *maximopere differant*.

Præterea inter omnia sententiarum divergia ab omnibus statutum fuit, *Textum Bibliorum Hebraicorum typis nunc* EXCUSUM *propemodum in omnibus Editionibus unum & eundem esse*, quibus in locis, quibusve editoribus is publici juris factus sit. Et hæc ficta vel præsumta identitas omnium excusarum Editionum

tionum locum dedit hypothesi decantata à paucis vero adhuc adsertæ, quod sc. *Textus Hebraicus excusus perfectus & incorrupti sit.* Cum è contrario, si textus, sicuti nun excusus est, demum repertus sit multur variare à se ipso, & editiones aliæ ab alii maximopere differant, nihil absurdius esse possit hypothesi, qua statuitur omne editiones excusas esse genuinas, nihil que contra liquidius, quam quod, dum harum una ab alia differat, hæc aut illa corrupta sit & denique nihil certius, quam, si Variantes plurimæ sint & attentione dignæ, *quod nobis ipsis (vel per alios) sint examinandæ quotquot sunt, & quantum potis est ad vetustissima & Optima MSS.*; ita ut cum omni exactitudine, quæ momento rei convenit, determinare possimus, quænam Editionum excusarum sit correcta, quæque veram vel falsam lectionem contineat. Et ut hoc rite determinemus, optima methodus, (quam sequi animus est) illa videtur esse, ut Textus Hebraicus denuo edatur exacte, ut nunc est in editionum vulgarium præstantissima, utque cujusque paginæ margini subjiciantur omnes Lectiones Variantes, quæ tum ex MSS. tum ex *excusis* Editionibus conlectæ sunt.

Multas & insignes differentias hic intelligo, quæ in ipsis *excusis Editionibus* compa-

rent.

rint. Sunt illæ non errata Typographorum, ut Variantes Lectiones inter aliquas editiones recentiores, sed quæ insignite recentiores ab antiquioribus editionibus distinguunt. Antea jam in progressu hujus operis detectum erat, quo antiquiora erant MSS, hoc magis eadem a recentiore textu excuso differre, eoque magis convenire cum antiquis versionibus, & quæ in N. T. inveniuntur, citationibus. Nunc vero repertum est, *vetustiores Editiones excusas* valde differre a *recentioribus*, magisque cum *antiquis optimisque MSS* convenire. Debent Viri Litterati hoc inventum, quod spectat ad detegenda merita & præstantiam ANTIQUISSIMARUM IMPRESSARUM EDITIONUM, Inquisitionibus hoc anno factis; & probatur illud Auctoritatibus junctis quatuor sequentium Editionum.

Prima est Exemplar ETONIENSE, de cujus conlatione hoc anno facta antea mentionem feci, & revera illud majoris exactitudinis gratia bis conlatum est. Excusum jam fuit a. 1487. & forte hoc editionis hujus exemplar unicum superest. Lectiones Variantes hujus editionis, conlatæ cum editione VAN DER HOOGHTIANA, repertæ sunt quam plurimæ, & inter eas quædam magni momenti. Verum cum in tali caussa unicus modo testis haud sufficiat, *Altera*

Bibl. Haganæ Cl. III. F. I. L Ve-

Vetus Editio, cujus mentionem faciam, typis expressa est a. 1494. Hujus exemplar, quo usus fuit LUTHERUS, nunc conspicitur in Bibliotheca Regia BEROLINENSI, cujus conlatio ad rogatum meum nuper finita est a cl. *Schulze* Professore Berolinensi, Germanice conscripta, cui præfixa est Dedicatio Anglice scripta, pro quo honore publicas ago gratias. Opus hoc Germanicum à *Weidio*, Viro Rever. & Doctissimo, peramice ad meos usus in Latium sermonem translatum est, & hujus versionis auxilio reperio, quod Biblia *Berolinensia* immensum differant ab editionibus recentioribus. Nam in hac Dissertatione fere 500 Variantes specifice in totis *verbis* aut *literis* recensentur, & præter eas 200 Exempla variationum in *punctis Masorethicis*. Multæ verbales & Literales Variantes conveniunt cum lectionibus Exemplaris *Etóniensis*, earumque aliquæ magni sunt ponderis. Editiones *Tertia* & *Quarta*, quarum mentionem facio, sunt PRIMÆ, *quæ unquam*, *quoad Universa Biblia*, *Hebraice excusa sunt*, scilicet a. 1488 & pentateuchus a. 1492, qui libri in Bibliotheca Serenissimi MARCHIONIS BADO-DURLACENSIS feliciter adservantur. Horum notitiam valde acceptam mihi dedit memoratus Nob. *Bruns*, una cum speciminibus Variantium duarum harum editionum, &

depre-

deprehendi, editiones has cum duabus praecedentibus in eo convenire, quod valde differant ab editionibus recentioribus, quodque veteribus optimisque MSS. magis respondeant. Duo hæc Exemplaria ad majorem hujus Operis perfectionem conferenda esse existimo, & ex his & ex duabus præcedentibus, colligemus multitudinem Variantium Lectionum, earumque magni momenti. Dignum quoque est observatu, quod, licet Quatuor hæc Exemplaria multum inter se conveniant, eorum tamen diversitas satis ostendat, ea non juxta Unum, sed secundum diversa MSS. typis fuisse excusa.

Hunc Articulum finio, Viros Doctos exteros æque ac inquilinos maximopere rogitando, faveant mihi suggerendis notitiis, quæ adhuc deficiunt, ut status vetustiorum Editionum eo perfectius dignoscatur. Illis vero maxime obligatus ero, qui me aut de his illisve Editionibus, mihi nondum cognitis, aut de locis, ubi quædam harum Editionum adservantur, certiorem reddiderint. Tabulam sequentem eorum oculis expono – non *omnium* Editionum, aut universi aut partium Hebræi Codicis, quæ antiquiores sunt primis Biblicis Masorethicis a. 1528. (hæ omnes fere constituunt QUINDECIM), sed tantummodo talium, quæ ante celebratissimas editiones *Cardinalis Ximenes Compluti*

 a. 1517.

a. 1517 & *Felicis Pratenſis Venetiis* a. 1518. excuſæ ſunt.

a. 1486. — PROPHETÆ in folio, excuſi *Soncini*, ſine punctis. Pertinuit olim editio hæc ad famigeratum Rabbi *Oppenheim*, *Hannoveræ* defunctum, ſed locus ubi nunc adſervatur, mihi non innotuit

1487. — HAGIOGRAPHA — 2. Vol. folio, *Neapoli*, in pergamento; punctata fere tota. Servatur Codex in Bibliotheca Collegii *Etonienſis*

1488. — BIBLIA — folio, *Soncini*, cum punctis, in Bibliotheca Sereniſſimi Marchionis BADO-DURLACENSIS.

— BIBLIA — hoc anno ſignata, in Catalogo ſignata ut excuſa *Bononiæ*. Dicuntur adſervari *Romæ* in Bibliotheca *Barberina*

— BIBLIA — hoc anno ſignata. Dicuntur ſervari *Florentiæ* in Bibliotheca IMPERIALI *Laurentiana*.

1491. — PENTATEUCHUS — 2 Vol. folio, *Ulyſſiponi*, in Pergamento, punctatus, cum Paraphraſte Chaldæo & Jarchii Commentario, in Bibliotheca REGIS ANGLIÆ.

— PENTATEUCHUS — in folio, cum Paraphraſi Chaldaica & Jarchii Com-

Commentario; in Bibliotheca Regia *Parisiensi*; & licet in Catalogo notatus sit, ut excusus a. 1490, (quod forsan nota est, quæ in fine Voluminis *primi* conspicitur) videtur aliud esse exemplar Editionis a. 1491. quod notatur in fine voluminis *secundi*. Servat adhuc aliud exemplar Bibliotheca REGIS GALLIÆ, ejusdemque descriptio exacte convenit cum illo memoratæ jam editionis quod est REGIS ANGLIÆ

1492. — PENTATEUCHUS MEGILLOTH ET HAPHT. — octavo, *Brixiæ*, in Bibliotheca Marchionis *Bado Durlacensis*

1493. — PROPHETÆ PRIORES — folio, *Neapoli*. Locus ubi nunc servatur exemplar mihi incognitus est

1494. — BIBLIA — 8. *Brixiæ*: in Bibliotheca REGIS BORUSSIÆ —

— BIBLIA — hoc anno notata. Videntur excusa esse *Pisauri*, sine punctis: Dicuntur servari in Bibliotheca *Carolina Turicensi*

— REGIA — folio, *Leiriæ*: in Bibliotheca Regia *Parisiensi*.

1497. — JESAIA ET JEREMIA — folio, *Ulyssiponi*; incognitum mihi est ubi servatur exemplar.

idem nobis erit cum anno Christi, (ut supra) 1486: Impressa ponatur vetustissima editio 1486: hujus exemplar habebit literas רמו id est, 246, vel alias literas hunc numerum notantes: Simili modo exemplar excusum a. 1494 indicabit annum per literas רנד 254. vel per alios numeros hanc summam constituentes: exemplar a. 1500 offeret רס 260, & quoque exemplar anni 1517. רעז i. e. 277.

DIPLOMA GOETTINGENSE.

Quod immortaliter promeritus est de Critica textus Hebraici Benjamin Kennicott, *Theologiæ Doctor in Universitate Oxoniensi, Societatis Regiæ Britannicæ Socius, Sociusque Collegii Exoniensis; conquisitis per omnem Europam, quin imo ex Africæ Asiæque oris, Codicibus librorum prisci foederis, nondum in hunc finem adhibitis, iisdemque vel ipso prospiciente domi, vel blando ejus impulsu apud exteros, diligentissime collatis: eas ob res* SOCIETAS REGIA SCIENTIARUM GOETTINGENSIS Benjaminum Kennicott, *Theologiæ Doctorem in Universitate Oxoniensi*, COLLEGIIS CLASSIS PHILOLOGICÆ *adscripsit, adscriptum hoc documento declarat; petens ab eo, ut Criticos in codicem Hebraicum labores, felicissimo ausu susceptos, pari studio ad finem perducat, editionemque aliquando exhibeat illis copiis instructam,* quibus

quibus nullus unquam liber instructus prodiit. Ex quo successu permagnam certe lætitiam sentiet, eundemque Sodali impense gratulabitur Societas; ipsius vicissim erga se voluntatem urgens, & demonstratam officiis mutuis compensatura. GOETTINGÆ, 27. *Januar*, 1766.

JOANNES DAVID MICHAELIS, Societatis Regiæ Director.	Sigill. S. R. S. Goett.	JOAN. PHIL. MURRAY Phil. Prof. Ord. Societatisque Reg. Sc. Secretarius.

DIPLOMA MANHEMIENSE.

Academiæ ELECTORALIS Scientiarum & Elegantiorum Litterarum THEODORO-PALATINÆ Præses, Director ac Socii,

LECTURIS S.

Cum eadem omnium sit Veritas, eaque in rerum natura nihil præstantius; commune esse debet Veritatis studium, & communis investigationis honos. Centrum quasi hujus tum studii, tum honoris, recte habentur Societates Litterariæ, a Principibus Viris solemni quodam modo constitutæ, membrisque compositæ variis; quorum alia tegendis & promovendis laboribus Academicis, alia propius iis subeundis, alia remotius, sunt destinata. Legibus hinc nostris tres Sociorum ordinatæ sunt Classes;

quæ, quo inter se erunt conjunctiores, eo facilius metam Veritatis propositam attingent. Prima Classis est Ordinariorum, quindecim numero, Societatis anima; cui ornamento accedit secunda Honorariorum, & auxilio Classis Extraordinariorum tertia. Inter extraordinarios hos, annuente SERENISSIMO CAROLO THEODORO, *Principe Electore, cooptatus a nobis est Vir antiquarum Litterarum Doctissimus;* Benjaminus Kennicott, *S. T. P. Regiæque Societatis Anglicanæ ut & Collegii Exoniensis Socius percelebris, Academiæ nostræ ab incunabulis inde suis amicissimus: unde hoc Socii extraordinarii Diploma, sigillo Academico nostro munitum, scribi & tradi ei lubentissime curavimus. Datum* MANNHEMII *VI Cal. Maji* 1766.

LEOPOLDUS L. B. DE HOHENHAUSEN.	Sigillum Acad. Manh.	STENGEL. LAMEY.

Sequitur Testimonium V. C. THOMÆ HUNT, prioribus respondens, signatum d. 30. Dec. 1766.

Subscriptio hujus anni summam exhibet 1002 : 10 : — librarum Sterlingicarum.

VI.

CAROLI BUTTINGHAUSEN;

Hist. Eccles. & Eloq. Prof. & V. D. M. apud Heidelbergenses,

OBSERVATIONES MISCELLANEÆ.

EMENDATIO CURTIANA (*) *ad lib. III. cap. II.* §. 17.

(*) Ex bibliotheca *Miegiana* in meam transierunt BALTH. VENATORIS observationes criticæ. Non habeo dicere, an forsitan insertæ sint opusculis *Venatoris* Philologicis, Heidelbergæ una cum ipsius epistolis an. 1661. editis, quorumque mentionem faciunt *Spanhemius* & *Coccejus*, in COCCEJI opp. anecdot. Tom. II. p. m. 726. epist. 243. & opp. Tom. VI. p. m. 43. epist. 84. Quam vero editionem, magna licet adhibita cura, nullo hactenus modo investigare potui, nec alibi laudatam aut allegatam vidi, ulterioremque illius descriptionem avide exspecto.

§. 1.

§. 1.

Postquam *Charidemi* ad *Darium* orationem (*) lib. III. cap. II. enarraverat CURTIUS, de *Dario* hæc §. 17. addit: „ *Erat Dario mite ac tractabile* „ *ingenium, nisi etiam suam naturam plerum-* „ *que fortuna corrumperet.* "

§. 2.

Variantes hujus loci lectiones occurrunt,

I) Codicibus *Danielis*, *Puteani*, *Pithoei*, *Fauchetti* & *Bongarsianorum* alteri deest SUAM, quam vocem retinet alter *Bong.* cum primo & tertio *Palatinis*. Vid. FREINSHEMII comment. in Curtium ad h. l. Argent. 1639. in 8.

II) ETIAM omittit alter codex *Bong.* cum primo & tertio Palatinis. Vid. FREINSHEMIUS l. c. & NIC BLANCARDUS variarum in *Curtium* lectionum libello, Lugd. Batav. 1649. edito, p. 933.

ETIAM

(*) Quam SAM. SCHALLESIUS Argent. an. 1669. d. 11. Febr. singulari dissertatione illustravit. Idem SCHALLESIUS an. 1671. m. Nov. edidit *enarrationem orationis ab Alexandro M. habitæ apud Curtium lib. III. cap. X.*

ETIAM omittunt editiones *Barthol. Merulæ*, *Aldi Manutii*, *Frobenia*, Basiliensis *Henr. Petri*, & Coloniensis *Gymnici*, ut testatur BLANCARDUS l. c. His addo editiones PITISCI a 1685. & a. 1693. p. 23.

III) *Nisi etiam suam naturam plerumque fortuna corrumperet*, legimus in editionibus JOH. LOCCENII p. 24. Amst. a. 1648. NIC. BLANCARDI p. 141. Lugd. a. 1649. & *Elzevirianis*.

§. 3.

Suam naturam communis lectio retinet, quam nonnulli ex usu reciproci, quod cum relativo nonnunquam commutatur, defendunt, locumque ita explicant: *erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi etiam suam*, h. e. *ejus naturam plerumque fortuna corrumperet* i. e. *corrupisset*. Verum enim vero, ne jam voci *etiam* inhæream, tales interpretes mitem ac tractabilem *Darii* naturam *plerumque* fortuna corruptam vellent. Id quod cum Curtiana *Darii* descriptione aperte pugnat. *Charidemus* §. 18. ita: *Tu quidem licentia regni subito mutatus*. En *Darium subito* in pejus mutatum, non vero *plerumque* malum. Ipse CURTIUS lib. III. cap. VIII. scribit: *Darius erat sanctus & mitis*; & lib. V.

lib. V. cap. X. §. 14. *Darium simplicem & mitem, non credere modo, quae affirmabant, sed etiam flere cogerunt.* Et inde concludo CURTIUM occasione illorum, quae de *Dario* narrat generalem, ut alibi quoque solet, sententiam proferre, quae ad omnes omnium temporum homines pertineat, quorum naturam, mitem ac tractabilem, plerumque fortuna corrumpit. Sed hac ratione, τὸ SUAM nullum sensum fundit, ac medelam omnino desiderare videtur. En varios variorum conatus!

§. 4.

TANEQ. FABER in epist. criticis, epist. LII. p. m. 171. haec habet:

„ Valde mihi verisimile fit, legendum „ esse, *nisi etiam* BONAM *naturam plerumque* „ *fortuna corrumperet.*"

Quam quidem conjecturam eo nomine commendare possem, quod CURTIUS & alibi (*) *naturae* bona *fortunae* opponat; sed tamen nimis abit a recepta lectione, eodemque jure α) legerem: *nisi etiam* HUMANAM *naturam plerumque fortuna corrumperet;* istamque lectionem ex §. 18. illustrarem: HOMINES, *cum se permisere fortunae, etiam natu-*

(*) Lib. X. cap. V. §. 26. de *Alexandro* affirmat, *bona naturae ejus fuisse, vitia vel fortunae vel aetatis.*

naturam dediſcere; vel β) ſubſtituerem *ſanctam*: *niſi etiam* SANCTAM *naturam plerumque fortuna corrumperet*. CURTIUS enim lib. III. cap. VIII. §. 5. *mitem* & *ſanctum Darium* laudat. Alii faciliori methodo locum ſanare aggreſſi ſunt.

§. 5.

JAC. PERIZONIUS notis ad *Sanctii* Minervam p. m. 178. nullus dubitat, ſcripſiſſe CURTIUM, *niſi* SUA *naturam plerumque fortuna corrumperet*.

§. 6.

Sed iſtam, quam PERIZONIUS rejicit, literam *m*, bis noſtro loco reſtituendam putat illuſtris CORN. VALER. *a* VONCK, qui in *Actis Academiæ Theodoro-Palatinæ*, Tom. I. p. 158. in noſtrum locum ita commentatur:
„ Illud *ſuam naturam* nec ſatis Latine
„ dixerit, & ſi dixiſſet, frigida enaſcitur
„ ſententia. Aliud autem voluit elegan-
„ tiſſimus ſcriptor, quam putidi amanuen-
„ ſes ipſi obtruſere. — En facillimam
„ emendationem: *erat Dario mite ac tracta-*
„ *bile ingenium*, *niſi* SUMMAM *naturam plerum-*
„ *que fortuna corrumperet*. In aliquot codi-
„ cibus legitur, *etiam ſuam*, vel *ſuam etiam*.
„ Unde & ſignificantius ita repoſueris:
„ *niſi*

„ *nisi* SUMMAM *etiam naturam plerumque fortuna corrumperet.* Id nempe ait, summas „ naturæ dotes ab excelsiore fortuna ut „ plurimum in pejus flecti. In manuscriptis litera *m* per superductam lineolam „ denotatur. Unde abs ea temere vel „ addita, vel neglecta, toties *suus* & *summus* confunduntur. Sic apud OPTATUM „ MILEVITANUM *de schismate Donatistarum* „ lib. II. cap. 19. (*a*) *Felix inter crimina* „ SUA, *&* *facinora nefanda.* Legendum „ *inter crimina* SUMMA. In MARCELLINI „ Comitis Chronico ad an. 542. in *Canisii* „ antiq. Lection. Vol. I. *Milites clam Veronam ingressi, dum avaritia inhiante de* „ *præda concertant, a Gothis egredientibus de* „ *latebris, cum* suo *dedecore civitate pelluntur.* „ Immo cum SUMMO *dedecore c. p.* Quæ „ duo loca pridem ita emendata dedi in „ *Lectionum Latinarum* lib. II. p. 105."

§. 7.

(*a*) Edit. Paris. a. 1702. p. 43. *Interea supra memoratus Felix* (scil. Idicrensis) *inter crimina sua, & facinora nefanda.* Sed nulla heic emendatione opus est. Audiamus CICERONEM 2. Verr. *ut non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium* SUA *furta atque flagitia defixurus sum*; & 3. Verr. SUIS *eum certis propriisque criminibus accusabo.* Eodem modo OPTATUS per *crimina sua* intelligit crimina *Felici* aliisque *Donatistis* propria, *suis eum certis propriisque criminibus accusat.*

§. 7.

Summum heic veneramur ingenium. In eo tamen hæremus, an *mite ac tractabile ingenium*, de quo agit CURTIUS, *summam naturam* appellare fas ſit?

§. 8.

Potius lego: *erat Dario mite ac tractabile ingenium*, *niſi etiam* SUAVEM *naturam plerumque fortuna corrumperet.*

§. 9.

Facilis iſta eſt emendatio. Inprimis ſi cogitamus literas ligatas & inverſas. Scriptum forſitan erat S V AVE M vel S V AVƎM. Unde librarius aut propter hujus literarum inverſionis vel ligaturæ imperitiam, aut quod talis literarum ductus aut eſſet eraſus aut ſubobſcure expreſſus, facili & prono errore legere potuit *ſuam.*

§. 10.

Mite ingenium CURTIUS, ni fallor, explicare potuit per *ſuavem naturam. Mite* dicitur æque ac *ſuave* vel *dulce* de rebus qui-

bus vescimur. Latini quoque scriptores ingeniis suavitatem tribuunt. *Dulcedo morum ac suavitas* occurrit apud PATERC. lib. II. 97. *Amicitiam* vel *amorem suavem* laudat LUCRETIUS lib. I. 142. 923. & CICERO 13. Fam. 27. *consuetudinem* vel *conjunctionem suavem*, & 2. Fam. 12. *suavem amicum*. Idem CICERO 6. Att. 16. *miram in eo pietatem, suavitatem, humanitatemque perspexi*; & 3. Fam. 1. *propter multas suavitates ingenii, officii humanitatis tuae*; & pro Corn. Balb. 36. *Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur*. Recte igitur & ordine CURTIUS *mite ac tractabile ingenium* dixit *suavem naturam*.

I I.

DE

Primo Christianorum legislatore apud LUCIANUM *in Peregrino*.

§. II.

Ex LUCIANI περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς Dialogo religio Christiana egregie illustratur. Vid. HUETIUS *Demonst. Evang.* p. 62. BUDDEUS Dissert. *de veritate religionis Christianae, Philosophorum Gentilium obtrectatione con-*

confirmata. (a) §. VI. p. m. 475—481. JORTIN annot. ad Hist. Eccles. Tom. I. p. m. 145. seqq. aliique plures. Doctiss. mihique Amicissimus FRID. THEOD. WITHOF præterea putat, *Lucianum* heic nobilissimam historiæ *Mosaicæ* particulam hucusque sepultam quasi & a nemine observatam exhibere, vid. progrr. 1762, & 1763. *Lingua* edita.

§. 12.

LUCIANI inprimis locus, de primo Christianorum legislatore, nostra consideratione dignissimus est. Opp. Tom. II. p. 567. edit. Amst. a. 1687. ita extat.:

„ *Deinde* (ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος) *legislator*
„ *primus ipsis persuasit, alios aliorum omnium*
„ *esse fratres, cum* —— —— *crucifixum illum*
„ *præceptorem* (ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν
„ αὐτῶν) *adoraverint.*"

§. 13.

Servatorum nostrum σοφιστὴν vocat, id est, *Doctorem sapientiæque magistrum* & *sectæ conditorem*, quo modo *Solon* & *Pythagoras* ab HERODOTO *Sophistæ* appellantur. Vid. TOB. ECKARDI, *non-Christianorum de Christo testimonia*, a. 1725. in 4. edita, cap. VI. §. X. p. 108.

(a) Habita illa fuit Jenæ 1711. & ibidem 1727. recusa in *Miscell. Sac.* Tom. I. pag. 451–522.

p. 108. Sic LUCIANUS antea narraverat, *Peregrinum* τὴν θαυμαστὴν σοφίαν τῶν χριστιανῶν *didicisse*.

§. 14.

Christumque ulterius ἀνεσκολοπισμένον appellat. Quæ phrasis ab antiquissimis temporibus *crucifixum* (*a*) denotat, & *Luciano* maxime arridet. Christum enim & supra dixerat τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα.

§. 15.

Ex eo vero, quod Christiani *crucifixum adorarunt*, sequitur quod illum quoque pro vero Deo habuerint. Vid. BUDDEUS l. c. §. VII. p 481. & ECKARDUS l. c. §. XXIII. p. 120. Quo nomine insultare Christianis solebant profani, eosque irridere, quod hominem colerent crucifixum, ut KORTHOLTUS variis locis docuit, scil. dissert. ad 1 *Cor*. I: 18. seqq. *de Christo crucifixo*, Kiloni 1686. ventilata, Cap. I. §. 2. & dissert. *de*

(*a*) *Memnon* in bello Trajano *Antilochum* prostravit, quare ab *Achille* interfectus est, καὶ τὸ σῶμα ὑπ' Ἑλλήνων ἀνεσκολοπίσθη, ut ASCLEPIADES *Myrleanus* apud *Eustathium* in Odyss. Λ. p. 1697. addit. Non adeo liquet, an hæc verba ad infamem crucifixionis poenam referenda sint, an ad honorificum suspendium? De quo videatur FALSTERUS *Amoenit. Philol.* P. II. p. 206.

de nominibus, quibus per ludibrium Christiani sunt appellati, Kiloni 1693. disquisitioni submissa, cap. IV. p. 22. ut & in *Pagano obtrectatore*, Kiloni 1698. edito, cap. VII. §. 2. p. 343. seqq.

§. 16.

Sed adhuc sub judice lis est, quis *primus legislator* (ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος) *Christianorum?* Qui cum STEPHANO MONACHIO (*a*) conjiciunt, LUCIANUM in *Peregrino* suo Martyres & inprimis *S. Polycarpum* deridere, heic tamen, quantum scio de *Polycarpo* non cogitant, etsi in *Smyrnensium* epistola διδάσκαλος & πατὴρ τῶν χριστιανῶν, & in HIERONYMI catal. *illustr. script.* cap. XVII. *præcipuus Ecclesiæ doctor* audiat.

§. 17.

LUCIANUM, *primum* hunc *Legislatorem* ab ἀνεσκολοπισμένου ἀνδρὸς plane distinguere, adeoque *Christum* ipsum minime intelligendum esse, plures affirmant; iei. gr. TAN. FABER, qui huncce dialogum notis doctissimis

(*a*) In Differt. *de S. Polycarpo*, prolegomenis ad *varia sacra* inserta. Conf. TENTZELII Exerc. sel. P. I. p. 142. & JO. AND. SCHMIDTII *Histor. Seculi II. fabulis variorum maculatam* p. 20—27.

mis Parisiis a. 1653. in 4. edidit, p. 68 BUDDEUS l. c. p. m. 478. LAMPE *Proleg.* ad Joh. lib. I. cap. VI. §. IX. p. 100.

§. 18.

Alii tamen ipsum nostrum Servatorem intelligunt, ex gr. TOB. PFANNERUS *de Catechumenis* cap. I. §. XV. p. m. 63. v. MOONEN in *Concion. Passion.* vers. germ. p. 613. GOETTENIUS not. ad *Dittonem* de resurrectione J. C. p. 279. & GESNERUS in Dissert. quæ Jenensi hujus *Dialogi* editioni præfixa legitur, §. XIX: p. 27. Græcos eleganter nomen proprium repetere pro relativo, idque citra Hebraismum observavit PALAIRET ad N. T. p. m. 104. & 438. Et sic LUCIANUS ἀνεσκολοπισμένον repetere, simulque respicere videtur ad *Matth.* XXIII: 8. εἷς ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστός. πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε. Ultima verba exacte conveniunt cum illis LUCIANI: ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων. Quique apud *Matthæum* καθηγητης, apud LUCIANUM Νομοθετης audit.

§. 19.

Si vero *primum* Christianorum *legislatorem* omnino ab ἀνεσκολοπισμένῳ, cum viris (§. 17.) laudatis, distinguere velis, Apostolorum Chorum lustrare par est. Quibus THEODORETUS

Θερ-

θεερπευτ. lib. IX. νομοθεσίαν his verbis tribuit: *Trajanus Persarum quidem imperium subvertit, Armeniosque Romanorum freno subjecit, & Scythicas nationes sceptris suis parere compulit, piscatorum tamen & sutoris,* (i. e. Apostolorum, inprimis *Petri* & *Pauli*) νομοθεσίαν abolere non potuit.

§. 20.

TANAQ. FABER l. c. p. m. 68. *Paulum* Apostolum designari existimat, *rationibus iis adductus, quæ neminem latent, hac etiam non leviter commotus, quod toties apud Paulum fratrum appellatio, qua de hic agitur, occurrat.* Ex eadem arce FABRICIUS *Biblioth. Græcæ* lib. IV. cap. XVI. edit. Hamburg. p. 500. pro *Joanne* Apostolo pugnat, qui in Evangelio & Epistolis unus maxime omnium commendat illam, de qua LUCIANUS, ἀδελφότητα. BUDDEUS & LAMPIUS l. c. judicium lectori relinquunt, etsi posteriori de *Joanne* hypothesi favere videantur.

§. 21.

Coronidis loco hæc observamus.

I) *Joannis* causam exornat HIERONYMUS, in cap. VI. Epist. ad Galatas referens, *Joanem* in ultima senectute nihil aliud per singulos protulisse coetus nisi hoc: *Filioli diligite alter alterum.*

II) LUCIANUM, utpote qui maxime pertinet ad genus hominum σκωπτικον, *D. Pauli* fata perstringere, nullus dubito. Primo statim Dialogi limine docet, *Peregrinum omnia gloriæ causa factum esse*, (ἅπαντα δόξης ἕνεκα γενόμενον) quibus respondent illa, quæ 1 *Cor.* IX: 22. leguntur: τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα, ut docte observat Cl. KYPKE ad h. l. observ. sacr. Tom. II. p. 216. LUCIANUS de *Peregrino* suo addit: πολλὰς πληγὰς ἔλαβε, *ac de tecto desiliens aufugit*; confer 2 *Cor.* XI: 23. ἐν πληγαῖς ἐν θανάτοις πολλάκις, & & quæ *Act.* IX: 25. de *Paulo* narrantur.

III) Sed, cum LUCIANUS *Peregrinum* distinguat a *primo* Christianorum *Legislatore*, neutiquam cogitasse videtur de *Paulo* Apostolo, sed si conjecturæ esset locus de *D. Petro*, qui & φιλαδελφιαν & opera Charitatis, æque ac *Paulus*, in epistolis passim commendat 1 *Pet.* I: 22. II: 17. III: 8. V: 9. & 2 *Pet.* I: 7. Cujus conjecturæ, a nobis in *programmate Heidelb.* a. 1761. paucis expositæ ideam dederunt Die Tübingische Berichte a. 1761. N. VII. vel VIII.

VII.

LITTERARIA.

LIPSIÆ.

Diem ſuum obierunt

V.C. FERDIN. AUG HOMMELIUS, *Juris Utriusque Anteceſſor* 1764. *d.* 16. *Febr.*

— JOA. CHRISOPH. GOTTSCHED, *Philoſ. Profeſſor* 1766. *d.* 12. *Decembris.*

— CHRIST. SIGISMUND SCHUMACHER, *Aſtronomiæ Cultor a.* 1768. *d.* 23. *Dec.*

— GOTTFR. HEINSIUS, *Mathem. Profeſſor & Acad. Scient. Petrop. Socius a.* 1769. *d.* 21. *Maji.*

— CHRISTIANUS FURCHTEGOTT GELLERT, *Philoſ. Prof. a* 1769. *d.* 13. *Dec.* cujus Carmina jam *Gallice* quoque leguntur. Germanica autem prodierunt nuperrime cum omnibus ejus ſcriptis ſub h. titulo. Herrn C. F. Gellerts Sämmtliche Schriften / fünf Theile 1769. 8.

Conſtituti ſunt Profeſſores

Antiquitatum Sacrarum Extraordinarius V. C. ANTONIUS ERNESTUS KLAUSING a. 1765. Edidit

Progr., tradens *historiam controversiæ recentissimæ inter Pontificem Romanum & Rempubl. Genuensem super Legato in Corsicam misso* 1765.

Philosophiæ Ordinarius V. C. JUSTUS FRIEDERICUS FRORIEP *Theol. Baccalaureus*, a. 1769. Edidit

Bibliothecam Arabicam & Versionem Capitis primi Corani cum animadvers. Philolog. ut & *Ephremiana in librum Jobi* 1769.

Mathematum Ordinarius V. C. GEORG. HENRICUS BORTZ, 1769 qui Professionem extraordin. ab a. 1763. sustinuit. Edidit

Disp. pro loco *de rationibus regularum, quas calculus differentialis in constituendis punctis curvarum multiplicibus & subtangentibus, ad hæc puncta offert*, & progr. Invitatorium & Orat. *de Mechanica ejusque Utilitate* 1769.

V.C. JOA. AUG. ERNESTI, edidit præter *Bibliothecam Novam Theolog.*

— *Opuscula Oratoria, Orationes, Prolusiones & Elogia. Accessit Narratio de Joa. Matth. Gesnero ad Dav. Ruhnkenium V. C. Lugd. B.* 1762. 8. v. Elogium & recensionem in *Biblioth. des Sc. & Arts* T. XIX. p. 99.

— Πολυβιου του Λυκορτου τα σωζομενα, *interpr. Is. Casaubono ex recensione Jac. Gronovii, cum notis Casaubonorum, Ursini, Valesii, Palmerii & Jac. Gronovii. Accessit Aeneæ Tactici Comment. de Obsidione toleranda. Præfationem & Glossarium Polybianum adjecit* J. A. ERNESTI. *Vol. III.* 1764. 8.

— Progr. *de dono Linguarum ejusque natura* 1765.

— HOMERI, *Operum Adpendicem, Hymnos, Epigrammata, & fragmenta, Recensuit, Varias Lectiones, notas indicemque Græcum in contextum addidit* J. A. ERNESTI *Vol. V.* 1764. 8.

— Progr. *ad Explicationem locorum Eph.* I: 10. & *Col.* I: 20. 1765. τα εν τοις ὀυρανοις ipsi sunt *Israëlitæ* & τα επι της γης *gentes.*

— *Brevam repetitionem & Assertionem sententiæ Lutheranæ de præsentia corporis & sanguinis Christi in Coena Sacra* 1765. — Modestissime scripta est & Ernestiano digna charactere. Hujus Dissertationis daturus sum Recensionem & Epicrisin modestissimam & amicissimam, quæ hac de caussa Viri Summi gratiam merebitur.

— T. LIVII, *Patavini, Historiarum libros qui supersunt omnes, ex recensione Arn. Drakenborchii cum Indice locupletissimo. Accedit præter varietatem Lectionis Gronovianæ & Creverianæ Glossarium Livianum, curante* J. A. ERNESTI *Vol. III.* 1769. 8.

— Christliche Predigten zur verherrlichung Gottes und Jesus Christus / und zur beförderung des inneren Christenthums 1768. 8.

— JOA. AUG. DATHE, *S. Theol. Baccal. & Prof. Linguæ Hebr. Ord.*

Disp. *de caussis, cur Logici, subtilissimi in præceptis, sæpe parum subtiles sint in eorum usu* 1760. Legi meretur.

Prolusionem *de ratione consensus Versionis Chaldaicæ & Syriacæ Proverbiorum Salomonis, qua prælectiones suas Acad. indicit* 1764.

Psalterium *Syriacum, recensuit & Latine vertit Thomas Erpenius. Notas Philol. & Criticas addidit* JOA. AUG. DATHE, *Halæ* 1768. 8.

Disp. Philol. Criticam *de ordine Pericoparum Biblicarum non mutando* 1769. Dissertationem hanc, cum præcipue directa sit contra ſ Rev. *Harenbergii* Meletema *de Pericopis Biblicis recte instituendis & dijudicandis*, quod exhibuimus in *Biblioth. Brem. Novæ Claſſ. II. Faſc. II.* cum *duplici ejus Spicilegio*, quod legitur ejusdem *Bibl. Cl. III. Faſc. II.* fas erit & mens ſedet huic Bibliothecæ inſerere, ut Lectores ſciant, quid *Harenbergio* fuerit obpoſitum; quemadmodum etiam Apologiæ, vel cuicunque demum Reſponſioni *Harenbergii*, Bibliotheca hæc dabit adytum, ſi ipſi lubuerit litis ſerram reciprocare.

V.C JOA. FRID. BAHRD, *Th. D. & Prof.*

Progr. *duo*, quorum *primum* eſt *de Nominis Filii Dei propria & perpetuo S. S. uſu trita ſignificatione*, alterum *de ratione, qua Jeſus ſua ex mortuis ἀναστάσει Filius Dei eſſentialis fuit demonſtratus ad Rom.* I: 4. 1764. Contra b. *Heilmannum* directa ſunt, & imputatur error ipſi *Academiæ Goettingenſi*, cujus in nomine ſcripſerat b. *Heilmannus*. Hæc autem imputatio, quam ſit iniqua, Goettingenſes ſatis probarunt in ipſorum *Ephemer.* 1764. p. 497.

Progr. *de Evangelio Matthæi Hebraico* 1767. Obpoſitum eſt ſententiæ V. C. *Joa. Dav. Michaëlis.*

Diſſert.

Dissert. *de Dispensatione Divina ab obligatione legis Decalogi Quintæ* 1760.

— *de Dispensatione Divina ab obligatione præcepti Decalogi Septimi* (*vel Octavi*) *legisque Judaeorum ritualis* 1765.

— Paraphrastische Erklärung des Buchs Hiob, Zweiten Theil 1765. 4.

Hexaplorum ORIGENIS, *quæ supersunt auctiora & emendatiora, quam a Flaminio Nobilio, Joa. Drusio, & tandem a Bern. de Montfaucon concinnata fuerunt, cum notis. Vol. II.* 1768. 8. Institutum laudabile!

V.C. CHRIST. AUG. CRUSIUS, *S. Th. D. & Prof.* edidit

Hypomnematum *ad Theologiam Propheticam Partem primam, Introductionem generalem ad Theologiam Propheticam complexa* 1764. 8. Recensetur & reprehenditur in der Allgemeinen deutschen Bibliothek T. IV. P. I. uti & *Apologia*, quæ Recensioni huic obposita fuit, satis modeste scripta. Interim judicio Recensorum de hoc libro lato lubens subscribo.

Die Vier Evangelisten in einem Text zusammengezogen nach des sel. *Bengels* Harmonie und übersetzung nebst dessen erbaulichen Anmerkungen / mit einer Vorrede 1765. 8.

Abhandlung von den Uberbleibseln des Heydenthums in den Meinungen vom Tode / u. s. w. aus dem Lateinischen 1765. 8. Recensio in der Allgem. deutschen Biblioth. T. V. p. 196. judiciose scripta placet.

Abhandlung von dem rechten Gebrauch und der einschränkung des so genannten Satzes vom zureichenden / oder besser / determinirenden-Grundes 1766. 8. Dis-

Differt. *de Superstitione* 1766.

Progr. *de vocabulo* Νόμος, *præsertim in Ep. ad Romanos* 1765.

Gründliche Belehrung von der Christlichen Kirche / aus dem Lateinischen 1767. 8.

V. C. CHRIST. FRID. SCHMIDIUS, *A. M.*

Programma *de Originibus Quatuor Evangeliorum, quo Lectiones suas indicit* 1764.

Diff. Inaug. qua *ostendit Versionem Alexandrinam optimum esse Interpretationis librorum Sacrorum præsidium, Specimen secundum in Epist. S. Jacobi Catholicam* 1764.

Observat. *super Epistola ad Hebræos historicas, Criticas, Theologicas, quibus verba difficiliora collatis locis Litterarum S. & Versionibus Græcis pariterque Orientalibus utriusque Foederis illustratur* &c. *cum præfat.* V. C. C. A. CRUSII 1766. 8. Recensionem v. in Allgem. deutsche Biblioth. T. VIII. P. I. p. 236.

Ceterum prodierunt

BIBLIA PARALLELO—HARMONICO—EXEGETICA oder / die mit sich selbst sehr wol übereinstimmende und sich selbst erklärende Heil-Schrift A. und N. T. Vierter Theil 1764. fol. B. WILISCH primum eorum editionem instituit, & postea continuavit V. C. CHRISTOPH. HAYMANN *Superintendens Misnicus.*

V. C. BENJ. KENNICOTT, *S. T. D.* Dissertatio *secunda super ratione Textus Hebræi V. T. in libris editis, in quinque Capita divisa. Latine verti curavit & præfatione ad Auctorem cel. de Conjecturali Critica V. T. & cl. Vogelii recensione*

censione Codicis Hebr. Helmstadiensis auxit V. C. G. A. TELLER, *Th. D. & Prof.* 1765. 8.

— J. P. PRITII, *Introductionis in Lectionem N. T.* repetita editio locupletior multum, ex recensione V. C. CAR. GOTTL. HOFMANNI 1764. 8.

V. C. CAR. GUNTH. LUDOVICI, *P. P.* Progr. *de Perfectionibus sermonis Aesthetici, indeque deductis regulis S. S. Hermeneuticis* 1764.

— J. G. RICHTER, Diss. qua Αναθηματα *Templi Hierosolymitani exponuntur ad Luc.* XXI: 5. 1764.

— JOA. TOBIÆ KREBSII, *Ill. Moldani Rectoris,* Novum Lexicum *Græco—Latinum in N. T. ex editione Christ. Schoettgenii, quod recensuit & quam plurimis locorum interpretationibus auxit & variis Observat. Philol. illustravit* 1765. 8.

— Progr. *de finibus Grammatici regundis, Elogium M. H. A. Schumacheri, Rectoris* 1763. *de Scholis bene constitutis, Ecclesiæ & reip. seminariis* 1764. *de prudentia Disciplinæ Scholasticæ regundæ* 1765.

— Decreta *Romanorum pro Judæis facta, è Josepho collecta & Commentario Historico-Grammatico-Critico illustrata. Adjunctum est Decretum Atheniensium pro Hyrcano Pont. M. Judæorum factum, Commentario illustratum* 1768. 8.

— JACOBI CARPOVII, *Ill. Gymn. Vinariensis Directoris,* Theologiæ *Revelatæ Dogmaticæ, methodo scientifica adornatæ Tomus IV. & postremus* 1765. 4.

— CAR. FRED. BAHRDT, Diss. *de usu Linguæ Arabicæ ex comparatione cum Hebræa* 1758.

— — Diss. *Philol. ad Carmen Davidis XXXVI & ad Ps.* II. 1766.

— JOA. GOTTL. ARTZT, *V. D. M. solutio problematis de Dæmoniacis, contra* V. C. JOA. SAL. SEMLERUM 1764.

— FRID. GUIL. DRESDE, *Annus Judaicus ex antiquitate Judaica illustratus* 1766.

— J. A. STARKII, Sylloge *Commentat. & Observat. Philol. Criticarum Vol. I.* 1769. 8. Character Davidis ad rationes Poëseos Lyricæ in ea examinatur, & *Psami* LXVIII & CXLV. explicantur. Promittitur Nova editio Psalmorum omnium Critica, & ex antiquis versionibus explicandorum. Institutum omnino laudandum!

— ERN. ADOLPHI THEOD. WESTHOFII, Comment. *de Pace Cananæis oblata* 1764. Lectu digna est.

— CHRIST. GOTTL. RUHNOEL. *V. D. M.* Diss. *de precum ante & post cibum apud Judæos & Christianos faciendarum genere, antiquitate & necessitate* 1764.

— CHRIST. ELIEZER GENSEL, A M. Diss. *ad Col.* II: 8. sq. 1761.

— C. A. PLATTNER, Diss. *de Sacris Clandestinis* 1766.

Die H. Schrift des A. und N. T. / nebst einer vollständigen Erklärung derselben / aus den auserlesensten Anmerkungen verschiedener Engländischen Schriftsteller zusammengetragen &c nunmehr aber in dieser deutschen Ubersezung mit Anmerkungen begleitet von Hn. JACOB BRUCKER, Pastor der Evangel. Pfarrkirche &c. In Augspurg. Achtzehender Theil 1766. 4.

Die

Die H. Schrift des N. und N. T. nebst einer vollständigen Erklärung derselben u. s. w. in der Holländischen sprache ans licht gestellet / nunmehr aber in dieser deutschen Ubersezung auf neue durchgesehen / und mit vielen Anmerkungen und einem Vorbericht begleitet von D. JO. AUG. DIETELMAIER. Elfter Theil 1766. 4.

Die grosse Lehre vom Gewissen / in so ferne sie die Gesetze der Religion und die gesetze des Staats verbindet 1769. 8. Partem hujus utilissimi Libelli, alteram sc. Practicam, valde laudant Ephemerides Götting. Sunt qui V. C. *J. H. Lamberto, Prof. Berolin.* hoc opus tribuunt, alii vero V. C. *Spaldingio, Præposito Berolinensi.*

Gedanken über dem Werth der Gefühle im Christenthum 1764. Legi meretur. Auctor dicitur esse V. C. R. *Spaldingius.*

Hn. CAR. GOTTL. LEISCHINGS, Abhandlung von den Natürlichen kräften des Menschen / in absicht der Religion und der Tugend / gegen die Grundsätze des *Hn. Rousseau* 1769. 8. Laudatur

Hn. HENRICHS, *Grafen* VON BÜNAU u. s. w. Betrachtungen über die Religion und ihrem jetzigen Verfall / herausgegeben von D. JOA. FRID. BURSCHERN, der Theol. Prof. 1769. 8.

Hn. JOH. LOR. VON MOSHEIMS, Vollständige Kirchengeschichte des N. T. / aus dessen gesammten Lateinischen Werken übersezt / mit zusätzen vermehret / und mit einer Vorrede Hn. D. und Prof. *C. W. F. Walchs*, von den Veränderungen des Studiums der Kirchenhistorie / herausgegeben von Hn. JO. AUG. CHRISTOPH. VAN EINEM, Prediger 1769. 4.

 N Hn.

Hn. FRID. SIGM. KEIL, Merkwürdige Lebens-umstän des sel. Zeugen Gottes, *D. Martin. Luther* Vier Theile 1764. 4.

Hn. CHRISTOPH. GOTTH. STEMLERS, Rectors, A handlung aus der Kirchen-geschichte von der Cu rende und den Currendanern 1765. 8.

V.C. JOA. HENR. MUCKE, Diss. *de Tribus Capitul Concilii Chalcedonensis* 1766.

Abhandlung von der Religions-duldung, aus dem Fran zösischen des Hn. *von Voltaire*, mit einigen An merkungen begleitet 1764. 8.

FERDINAND AMBROSIUS FIDLER, ehemaligen Catho lischen Priester, Lehrer der Philosophie, Polem schen Theologie im Geistlichen Rechte im Kaiserlic Königl. Hof-Closter der Augustiner, Der Proselyt oder Versuche über die wichtigsten Glaubens-Lehre der Römisch Catholischen Kirche, Zwei Theile 1769 8. Laudantur hæc Tentamina, quæ, præte historiam evasionis Auctoris, multa Anecdot habent de monasteriis, eorumque divitiis Auctor nunc vitam agere dicitur Hamburgi.

Pragmatische Geschichte der so berufenen Bulle *in Cœna Domini* Vier Theile 1769. 4. Valde laudatur.

Ist ein Lehrer verbunden, nach Entfernungen von dem Lehrbegrif seiner Kirche, sein Amt in derselben nieder zu legen 1767. 8. und noch eine Zugabe 1768.

Sendschreiben an den Ungenannten Hn. Verfasser vom falschen Religions-eyfer 1768. Quæstiones sequentes examinantur 1) sintne libri Symbolici in Ecclesia Protestantium necessarii? 2) An tales habeat, & quinam sint? 3) quale eorum sit obligandi jus?

Ἰωσὴφ Μοναχοῦ τοῦ Βρυεννίου τὰ εὑρεθέντα δ᾽ ἐπιμελείας Εὐγενίου Διακόνου τοῦ Βουλγάρεως, ἤδη τὸ πρῶτον τύποις ἐκδοθέντα *Vol.* 2. 1768. 8.

Y. C.

V.C. MICH. CHRIST. HANOVII, *Philosoph. Prof. & Bibliothecarii „Potiores Philosophiæ recentioris controversiæ„ publice expositæ* 1765. 8.

Hn. JO. HENR. LAMBERT, Prof. *Neues Organum,* oder gedanken über die Erforschung und Bezeichnung des Wahren und dessen Unterscheidung von Irrthum und Schein / zwey Theile 1764. 8. Maxime laudatur in Allgem. deutsche Biblioth.

Les Oeuvres du Philosophe Bienfaisant. Vol. IV. 1764. 8. Regalem spirant animum.

V.C. CAR. GODOFR. ZAAKE, *Rectoris Pirnensis,* Diss. *qua legem Aequilibritatis, in natura observatam, ad artium præcepta cuncta æque ac ad moralia, aliaque in Universum extendi ostenditur* 1764.

Hn. JOHANN MASON, Selbst-erkenntnis / worin die Natur und der Nuzzen dieser wichtigen Wissenschaft/ und die mittel dazu zu gelangen / angezeiget werden/ mit eingestreueten Betrachtungen und Anmerkungen uber die menschliche Natur. Aus dem Englischen 1765. 8.

V.C. CHRISTIANUS GARVE, Diss. *de nonnullis, quæ pertinent ad Logicam Probabilium* 1766.

— JOA. CHRISTOPH. POTTLEBERI, *Rectoris Scholæ Annæbergensis, Illustratio & Discussio Argumentorum aliquot in Platonis Phædone de Animi Immortalitate. Specimen primum & Alterum* 1764.

— JACOBI BRUCKERI *Historia Criticæ Philosophiæ* heic non tantum *recusa,* sed etiam *emendata,* imo Volumine sexto integro, *vel Adpendice aucta* 1767. 4. quod Reip. Litt. gratulamur.

— J. F. WINKLER, *Philos. Prof.* Diss. *de Tentaminibus circa soni celeritatem per aërem athmosphæricum* 1764.

Hn. ABT SPALLANZANI Physikalische und Mathematische Abhandlungen 1769. 8.

Hn. JOH. GEORG KRUNITZ, Verzeichnis der vornehmsten Schriften von der Elektricität und den Elektrischen Curen 1769. 8.

EUCLIDIS *Elementorum l. XV. ad Græci contextu fidem recensiti, ad usum Tironum accommodat* 1769. 8. Editor fuit V. C. GEO. FRID. BÄRMANNUS, *Mathem. Prof. Witteberg*, præterito anno demortuus.

J. C. E. C. Physicalische Untersuchung, ob auch Patagonische Riesen möglich sind 1769. 8.

A. C. CELSI, de *Medicina libri VIII. ex fide vetustissimorum librorum. Recensuit, innumeris depravationibus liberavit, lectiones Variantes & Animadvers. tum aliorum probatissimorum Auctorum, Cæsarii, Constantini, Jo. Scaligeri, Casauboni Almelovenii, Morgagni, Trilleri, tum suas, nec non Indices copiosos aliaque adjecit* V. C. CAR. CHRIST. KRAUSE 1766. 8.

V. C. GEO. ERN. HEBENSTREIT, A. M, Diss. *de Jamblichi, Philosophi Syri, doctrina, Christianæ religioni, quam imitari studet, noxia* 1764.

THEOCRITI *Reliquiæ, utroque sermone cum Scholiis Græcis & Comment. H. Stephani, Jos. Scaligeri & Is. Casauboni. Curavit h. editionem, Græca ad optimos Codices emendavit, libros tres Animadversionem, indicesque Verborum Theocritorum addidit* V. C. J. J. REISKE, *Vol.* 2. 1765. 4.

SOPHOCLIS *Ajax*, edidit *cum Scholiis tam antiquis quam novis & translatione soluta metris, ante vincta, & Indicibus* V. C. JOA. GOTTFR. HOERIUS 1765. 8.

ISO-

ISOCRATIS *Panegyricus*; recensuit *& Animadversionibus illustravit* V. C. SAM. FRID. NATH. MORUS 1766. 8.

AESCHINIS, *Socratici, Dialogi Tres, Græce;* Recensuit, *animadversionibus illustravit, indicemque verborum adjecit* V. C. JOA. FRID. FISCHERUS 1766. 8.

Des Flavius Arrianus 7 Bücher von den Feldzügen Alexanders des Grossen / nebst dessen Indischer Geschichte / aus dem Griechischen übersezt und mit Anmerkungen begleitet von Hn. G. C. L. TIMÆUS Rector zu Hameln 1765. 8.

MANUELIS PHILE *Carmina Græca, maximam partem è Codicibus Augustanis & Oxoniensibus nunc primum in lucem producta, aliqua etiam iterum publicata; omnia nunc in unum, excepto Poëmate de Animalibus, collecta, emendata, Latine interpretata & annotationibus illustrata; accedit ignoti Poëtæ antiquioris Carmen in S. Theodorum, ex Augustano Codice nunc primum editum. Præmittitur Diss. de Philæ vita, ætate & scriptis,* cura GOTTL. WERNSDORFII, *Theologi Gedanensis* 1768. 8.

Demosthenis und Aeschines Reden / verdeutschet und mit nötigen Anmerkungen erläutert von Hn. J. J. REISKE, Professor. Zwei Theile 1764. 65. 8.

V.C. J. J. REISKE, P. P. Animadversiones *ad Græcos Auctores,* Volumen Quintum, *quo Libanius, Artemidorus & Callimachus pertractantur &c.* 1766. 8.

— Proben der Arabischen Dichtkunst / in verliebten und traurigen Gedichten / aus dem *Motanabbi*, Arabisch und Deutsch / nebst Anmerkungen 1765. 4.

Hn. PHIL. DAN. LIPPERT, Dactyliothek / das ist / Sammlung Geschnittener Steine der Alten / aus

denen vornehmsten Museis in Europa / zum nutze der Schönen Künste und Künstler in 2000 Al drukken. Erster Band 1767. 4. Quam max me laudatur in Allgem. deutsche Biblioth. T. IX P. 2.

V.C. CHRIST. AUG. CLODII, P. P. Exercit. *supe Quinctiliani judicio de sublimitate Homeri* 1764

—— Versuche aus der Literatur und Moral; drey stükt 1767. 8.

V.C. JO. JOACH. SCHWABE, Progr. *ad Orat. Inaug pro Cathedra Philos. extraord. de Semnotheis Veterum Germanorum Philosophis*, 1765.

—— JOA. FRID. LEISNERI, *Rectoris*, Progr. *d rituum antiquorum fontibus* 1765.

—— ——— *de Musarum insignibus & notis, e picturis Herculanensibus* 1766.

Abhandlung von den Odeen der Alten 1767. 8. Lau datur

Hn. ANTONII BANIERS, Mittgliedes der Acad. de Wissenschaften &c Erläuterung der Götterlehre un Fabeln aus der Geschichte; aus den Französische übersezt von Hn. J. A. SCHLEGELN, und mit An merkungen begleitet von Hn. J. M SCHROECKH, Prof. der Philos. drey Bände 1764. 8.

V.C. JOA. FRID. NOLTENII, Lexici *Latinæ lingua Antibarbari Quadripartiti*, *Tomus posterior* Edidit & præfatus est V. C. JOA. ANDR NOLTENIUS 1768. 8.

—— J. J. ECK., Diss. Tres *de Darete Phrygio* una, altera *de Busbekio*, tertia *de Lazaro Bonamico* 1768—1769.

—— JOA. FRID. BURSCHER, *Philos. Prof.* Progr. *ad Orat. Inaug. quo disquiritur in Stephani Byzantini de Gaza narrationem* 1764. Promittit singularem Gazæ urbis historiam.

V.C.

V.C JOA. G. BOEHMII, *P. P.* Progr. *de Ordine Draconis, instituto a Sigismundo Imperatore* 1764.

— *Epitome rerum Germanicarum ab a.* 1617. *ad a.* 1643. *Recensuit & annotat. adspersit* V. C. JOA. GOTTL. BOEHMIUS, *Hist. Prof. a.* 1764.

— ——— *Acta Pacis Olivensis inedita, quæ recensuit, illustravit, tabulas publicas & Observat. adjecit* 1763. 4.

Hn. JO. JAC. MOSERS, Königl. Dänischen Etats-raths. Neuestes Reichs-staats Handbuch / oder hinlängliche Nachricht von denen seit den Hubertsburger Frieden öffentlich bekant gewordenen Staatshandlungen / welche den Kaiserlichen Hof / das Deutsche Reich / dessen Stände / wie auch die unmittelbare Reichsritterschaft betreffen u. s. w. 1765. 8.

— ——— von der Deutschen Reichsstände Landen / Landständen / Unterthanen / Landes-freyheiten / Beschwerden / Schulden und Zusammenkünften 1769. 4.

Institutions au Droit public d'Allemagne 1766. 8. Auctor dicitur esse Doctissimus GERARD, *Secretarius Legationis Gallicæ in Saxonia.* Laudatur & culpatur in Allgem. deutsche Biblioth. T. IV. P. 1.

Viri Inl. HENR. CHRIST. Baronis DE SENCKENBERG, *Consiliarii in Consilio Imperiali Aulico*, Visiones Diversæ, *de Collectionibus legum Germanicarum, a prima rerum memoria usque ad Novam Recessuum editionem earumque usu, præcipue etiam speculi Saxonici in Belgio: Accedunt statutorum & monimentorum Anecdotorum Adpendices duo, cum aliquibus figuris æneis* 1765. 8.

V.C J. L. E. PUTTMANNI, J. C. & *Antecessoris*, Probabilium *Juris Civilis* liber singularis. *Accedit ejusdem Diss. Juris Canonici de Legislatore Ephesino ad c. V. X. de præscript.* 1769. 8. Multa notatu digna in hoc libro occurrunt ad *Tacitum*, *Callistratum* & *Plinium*, ac ostenditur Pilatum, in condemnatione Christi, decretum Tiberianum, quod ante diem decimum condemnatum interficere prohibet, non præteriisse.

— CHR. AD. KLOTZII, Auctarium *Jurisprudentiæ Numismaticæ a. C. F. Hommelio edita* 1765. 8.

— ——— *Carmina omnia* 1766. 8.

— GOTFR. SIGISM. SEYFRIED, *Advocati Dresdensis*, Diss. Inaug. *de Matrimonio sine proposito liberos procreandi legitimo* 1764.

Versuche über verscheidene wichtige Gegenstände der Politik und Moral / aus den Französischen übersezt von Hn. J. A. HILLERN. Zwei Theile 1764. 8.

V.C. G. A. MARCHE, Historia *Juris Civilis de Divortiis* 1764.

Hn. LE BEAU, Prof. zu Paris u. s. w. Geschichte des Morgenländischen Kaiserthums von Constantin den Grossen / als eine Fortsetzung der werken der Hn. *Rollin* und *Crevier*, aus dem Französischen. Vier Theile 1765. 66. 8.

Hn. DAVID CRANTZ, Historie von Grönland / oder Beschreibung des Landes und der einwohner / insbesonder die Geschichte der dortigen Mission der Evangelischen Brüder zu Neu-Herrnhut und Lichtenfels / mit kupfer 1765. 8.

Histoire *de l'Empire de Russie sous Pierre le Grand, par l'Autheur de l'histoire de Charles XII. Tome second* 1764. 8.

Hn.

Hn. ALEXANDER GORDON, von *Assentoul*, Esq. General-Majors Geschichte Peters des Grossen/ Kaisers von Ruszland/ nebst einer kurzen Geschichte des Landes/ und einen kurzen Bericht von dem Leben des Verfassers/ aus dem Englischen/ Zwey Theile 1765. 8.

Neu verändertes *Ruszland*, oder Leben CATHARINA der Zweyten/ Kaiserin von Ruszland/ aus Authentischen Nachrichten beschrieben. *Actis ævum implet non segnibus annis* 1767. 8. Opus hoc non tam Biographia est, quam Collectio Edictorum & Constitutionum Catharinæ, Imperatoris Russorum.

Hn. MICHAILA LOMONOSSOFF, Etats-Raths/ Kurzgefasztes Jahrbuch der Russischen Regenten/ aus dem Russischen übersezt durch Hn. PETER VON STÄHLIN, Legations Secretair bei den Königl. Dänischen Hofe. 1765. 8.

Hn. D. ANT. FRID. BUSCHING, Direktors der Schule der Sprachen/ Künste und Wissenschaften bey der Evangelischen S. Peters-Kirche in Petersburg/ Gelehrte Abhandlungen und Nachrichten aus und von Ruszland/ Zwey stükke 1764. 8.

V.C. J. C. BEL, P. P. Diss. *de Almo Duce, deque Ducibus Hungariæ in universum* 1765.

Sir JAMES PORTERS, Anmerkungen über die Religion/ Regierungsform und Sitten der Türken/ aus dem Englischen 1768. 8.

Der BRITTISCHE PLUTARCH, oder Lebensbeschreibungen der grossen Männer in England und Irrland seit den zeiten Henrichs des VIII. bis unter Georg den II. aus dem Englischen/ Sechs Bände 1764-68. 8.

Hn. HENR. GOTT. VON JUSTI, Gesammlete Politische und Finantz-Schriften über wichtige Gegenstände

N 5 der

der Staatskunst / der Kriegs-Wissenschaft und des Cameral und Finantz wesens / drey Theile 1764. 8.

Hn. FRID. LUDW. ANTON HÖRSCHELMANS, Politische Statistik der Vereinigten Niederlanden / oder Begründete Nachricht von denen seit der Utrechter Union in dieser Republik vorgefallenen merkwürdigen Staatsbegebenheiten / und dem heutigen Zustande und Verfassung derselben 1767. 8. Multi hoc in libro sunt errores, multa falsa, quorum exempla dantur in Allgem. deutsche Biblioth. T. VII. p. 1.

Allgemeines Oekonomisches Lexicon u. s. w. / mit einer Vorrede von dem rechten Gebrauche dieses Lexici versehen von D. GEO. HENR. ZICKEN, Prof. der Rechten zu Helmstädt 1764. 8. Laudatur

Mineralogische Belustigungen zum behuf der Chymie und Natur-geschichte des Mineral-Reichs; Erster Theil 1768. 8.

Allgemeines Oekonomisches Forstmagazin u. s. w. unter der Aufsicht Hn. JOA. FRID. STAHLS. Neun Bände 1764-67.

Anekdoten zur Lebensgeschichte berühmter Französischer Deutscher / Italiänischer / Holländischer und anderer Gelehrte / bis an den Siebenden Theil 1765.

Hn. JO. MATTHIAS SCHROECKH, Prof. Abbildungen und Lebens-beschreibung berühmter Gelehrten / Drey Bände 1765-69. 8.

Schauplatz der Künste und Handwerker / oder Vollständige Beschreibung derselben / verfertiget oder gebilliget von den Herrn der Academie der Wissenschaften zu Paris / mit vielen Kupfertafeln / Vier Bände 1765. 4.

Nachtrag zu den Briefen der LADY MONTAGUE 1767. 8.

Hn.

Hn. JO. LUD. BIANCONI, Churſächſiſchen Reſidenten zu Rom zehen Sendſchreiben an Hn. Marcheſe Philip Herculani / Römiſch Kaiſerl. Kammerherrn / die Merkwurdigkeiten des Chur Bayeriſchen Hofes und der Reſidentz-Stadt München betreffend 1764. 8.

Hn. TH. SHAWS, Prof. und Rectors zu Oxford / Reiſen / oder Anmerkungen verſchiedene Theile der Barbarey und der Levante betreffend / nach der zweyten Engl. Ausgabe ins deutſche überſetzt / und mit vielen Landcharten und Kupfern erläutert 1766. 4.

Briefe eines Chineſiſchen Weltweiſen an ſeine Freunde in den Morgenländern / Zweiter Theil 1764. 8.

Briefe zur Bildung des Geſchmaks / an einen jungen Herrn vom Stande / Drey Theile 1766-68. 8.

Hn. C. C. L. HIRSCHFELDS, Verſuch über den Groſſen Mann / Erſter Band 1768. 8.

Hn. M. CHRIST. HENR. SCHMID'S, Theorie der Poëſie nach den neueſten Grundſätzen u. ſ. w. Zwei Theile 1767-68. 8. Belgicam Poëſin acriter reprehendit, quod omnino ridiculum eſt in Viro, qui vernaculam Belgicam non adeo callet, ut Judicis perſonam ferre poſſit. Poëſis enim omnis linguæ cujusvis gentis Vernaculæ ſe adtemperare ſolet.

Hn. D. BROWN, Betrachtungen über die Poëſie und Muſik nach ihrem Urſprunge / ihrer vereinigung / gewalt / wachsthum / trennung und verderbnis / aus dem Engliſchen / mit Anmerkungen und zween Anhängen begleitet von Hn. JO. JOACHIM ESCHENBURG, 1769. 8.

Hn. G. E. LINGKE, Die Sitze der Muſikaliſchen Hauptſätze in einem harten und weichen Tonnet entworfen und erklärt 1766. 4. Laudatur inventum, quod proponit in Muſica, Novum.

Mio.

Wöchentliche Nachrichten und Anmerkungen die Musik betreffend 1767. 4.

Grundsätze der Critik / in dreyen Theilen von HENR. HORRE, aus dem Englischen 1765 - 66. 8.

Hn. JAC. MARTIN HEROLD, Konrektors / die Vorzuge der öffentlichen Schulen vor dem Privat-unterricht / nebst einigen Anmerkungen über derselben Abnahme und verbesserung 1766: 8. Laudatur

Auszug aus der Alten Geschichte zur unterweisung der Kinder / mit einer Vorrede von Hn. Pastor JOH. ADOLPH. SCHLEGEL, zwey Theile 1766. 8. Laudatur

Hn. DID. PÖRTNERS, weil. Pred. zu Franckfurt am Mayn / Auserlesene Predigten / herausgegeben von Hn. G. J. ZOLLIKOFER, Pred. zu Leipzig / drey Theile 1766 - 68. Commendari merentur

Hn. G J. ZOLLIKOFER, Sammlung Geistlicher Lieder und Gesange zum gebrauch reformirter Religions-Verwandten 1767. 8. Laudari merentur.

Anecdota Historico - Ecclesiastica Novantiqua, oder Sammlung ungedrukter gelehrter Merkwürdigkeiten / Achtes und Neuntes stuk 1769 8. Editor est V. C. J. D WINCKLERUS, *Theologus Hamburgensis.*

GEORGII GEMISTI PLETHONIS, *de iis, quæ post pugnam Mantinensem apud Græcos gesta sunt,* libri II, *nunc primum seorsim editi, & notis illustrati ab* HENR. GODOF. REICHARDO, *Conrectore Grimmensi* V. C. 1770. 8.

Συνεχετης μαινομενος, oder die Dialogen des *Diogenes* von *Sinope* aus einer alten Handschrift / 1770. 8.

Animadversiones, quibus XENOPHONTIS *memorabilium Socratis dictorum & factorum libri emendantur, illustrantur; auctore* CAR. FRID. HINDENBURGIO V. C. 1769. 8. Laudantur a Goettingensibus Litteratis.

Dio-

Dionysius Longinus de Sublimitate, ex recensione Zach. Pearcii: Animadversiones Interpretum excerpsit, suas & novam versionem adjecit SAM. FRID. MORUS V. C. *Phil. P.* Lipſ. 1769. 8. Laudem merentur juxta Gotting. Litteratos.

Die Irrthümer des Hn. *von Voltaire,* aus dem Französischen des Hn. Abtes NONNOTTE übersezt / und mit nöthigen Anmerkungen versehen / *Vol. II.* 1768, 1769. 8.

V.C. JOA. HENR. WINKLERI, P. P. Progr. quo proponuntur *Tentamina, quæstiones & Conjecturæ circa Electricitatem animantium* 1770.

LONDINI ANGLORUM.

Diem ſuum obierunt VV. CC. & Doctiſſimi

EDW. YOUNG, ſcriptor cogitationum nocturnalium a. 1765.

JOA. LELAND, *S. Th. D.* qui veritatem relig. Chriſt. pluribus ſcriptis maſcule defendit 1766. January ſeptuagenario major. Sermone funeri ejus memoriam ſervavit *Iſaacus Waldius: A ſermon preached* 26. *Jan.* 1766. *on occaſion of the much lamented Death of the late Rev. and Learned* John Leland *by* ISAAC WALD, *D. D.* 1766.

SAM CHANDLER, *DD. Fr. & A. S. S.* a. 1766.

NATHANAEL LARDNER, cujus merita in hiſt. Eccleſ. & Canonem N. T. valde multa ſunt a. 1768. d. 17. Julii. Scripta ejus omnia ut in Latinum idioma transfundantur optandum eſt.

V. C.

V.C. WIL. DOOD, edi curat *The holy Bible illustrated with a Commentary and Practical Improvements.*

Prodierunt

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCUM *ad fidem Græcorum Codicum MSS. nunc primum expressum, adstipulante* J. J. WETSTENIO, *juxta sectiones* JOA. ALB. BENGELII *divisum, & nova interpunctione sæpius illustratum. Accessere in altero Volumine (& quidem Anglice) Emendationes Conjecturales VV. DD. undique collecta, cura & sumptibus* G. B. *Vol.* 2. 1763.

V.C. NATH—LARDNER, *Large collection of Ancient Jewish, and heathen testimonies to the truth of the Christian Religion vol.* 2. 1765. 4.

A Review on the History of the Man after God's own Heart, in which to Falschoods and misrepresentations of the Historian are exposed and corrected, by SAM. CHANDLER, *DD. Fr. & A. S. S.* 1762. Recensuit h. l. cum elogio *Bibl. des Sc.* T. XVIII. & XIX.

A Critical History of the Life of David, in which the principal events are ranged in order of thime; the chief objections of Mr. Bayle and others against the character of this Prince — are examined and refuted; an the Psalms, which refer to him, explained, by the late Rev. SAM. CHANDLER, *DD. Fr. and A. S. S. Vol.* 2. 1706. 8. Valde laudari meretur

Sermons on various subjects by te late SAMUEL CHANDLER *D. D.* &c. *Published from his Manuscript: with a Preface, giving a brief Account of the Life, Character and writings of*

of the Author, *by* THOMAS AMORY, *D. D. Vol. IV.* 1768. 8.

Sermons and Discourses on various subjects and occasions, *vol. the third*, *by Dr.* WILL. WARBURTON, *Lord Bishop of Gloacester* 1767. 8.

The Song of Salomon, newly translated from the Original Hebrew, *with a Commentary and annotations* 1764. 8. Auctor dicitur esse Rev. THOMAS PERCY, *V. D. M.* In Adpendice sententia *Calmeti* de septem scenis, ad dies septem Hebræorum nuptiales conformatis, contra Inl. *J. D. Michaelis* vindicatur.

An Essay on the Life of Jesus Christ, *by* WILLIAM CRAIG *D. D*, *one of the Ministers of Glasgow* 1767. 12. Rec. v. in Bibl. de Sc. T. XXVIII. p. 493.

Theological Dissertations by Rev. JOHN ERSKINE, *M. A. one of the Ministres of Edinburg* 1765. 8. *Prima* agit de *natura Foederis Sinaïtici* & lectu digna est; *Secunda* sistit *refutationem Taylorii, de Ecclesiæ Christianæ charactere. Tertia* agit *de natura fidei salvificæ. Quarta* contra *Campbellum* probat *jus Naturæ Gentibus satis fuisse patefactum. Quinta* disputat de *frequenti S. Coenæ communione*, ubi varia notatu digna occurrunt, quæ spectant ad statum Ecclesiæ Scoticæ.

A Paraphrase on the Books of Job, *Psalms*, *Proverbs and Ecclesiastes*, *with Notes Critical*, *historical and Practical*, *by* LAURENT HOLDEN *Vol. III.* 1763. 8.

A new English Translation from the original Hebrew of the Three first Chapters of Genesis, *with marginal Illustrations and notes Critical and Explanatory*, *by* ABRAH. DAWSON 1763. 4.

A

A Paraphrase upon the Fifteenth Chapter of the 1 *Epistle to the Corinthians, with Critical notes and observations, and a preliminary Dissertation and Commentary, with Critical remarks upon the VI, VII. and part of the VIII. Chapters of the Romans; To which is added a Sermon on Ecclesiaste IX,* 10. *composed by the Author the day precedings his death, by* JOHN ALEXANDER 1766. 4. Varia Paradoxa proponit. Præter animæ à corpore separatæ actuositatem, negat resurrectionem corporis numero ejusdem, & statuit Apostolos jam suo tempore exspectasse diem hujus mundi supremum.

A Vindication of the Right of Protestant Churches, to require the Clergy to subscribe to an established Confession of faith en Doctrines, in a charge delivered at a visitation July 1766. *by* M. RUTHERFORT. DD. 1766.

An Examination of Dr. Rutherforths Argument, respecting the Right of Protestant Churches to require the Clergy to subscribe to an established Confession of faith and Doctrines; wherein is considered the Tendency and Force of the Argument, by A CLERGYMAN *of the Church of England* 1766.

A second vindication of the Rights of Protestant Churches &c. by Dr. RUTHERFORT 1767.

A Letter to tho Rev. Dr. Rutherfort, Archdeacon of Essex &c. by a Clergyman of the Church of England 1767. 8.

The Confessional, or a full and free Enquiry into the Right, utility, edification and success of establishing systematical Confessions of faith and doctrine in Protestant Churches. The second

second Edition, enlarged: with Corrections, and on additional Preface, in Answer to Dr. Rutherfort 1767. 8.

Reflections upon some subjects in Dispute between te Author of the Divine Legation of Moses, and a late Professor in the University of Oxford, by a Layman 1766. 8.

A Letter to te Right Rev. the Lord Bishop of Glocester, in which the Divine Legation of Moses is vindicated, as wel from the misreprensations of his Lordships friends, as the misrepresentations of his ennemies, and in which his Lordships merits as a Writter are clearly proved to be far superior to the Encomiums of his warmest admirers 1766. 8.

Dissertations concerning the Antiquity of the Hebrew Language, Letters, Vowel Points and Accents, by JOHN GILL, *DD.* 1766. 8.

The Distinction between the ordinary and extraordinary Gifts of the Holy Spirit proved to have no foundation in the New Testament: in which is made appear, that in the Apostolic Age the Holy Spirit given to every Believer in Christ, in its operation in them, was after a miraculous manner; and therefore the promises of the Spirit in the New Testament are confined wholly to them at that time; consequently Believers in Christ, in after ages, are not included therein, by an impartial Hand. 1767. 8.

A new Introduction to the study, and knowledge of the New Testament, by E. HARWOOD 1767. 8. Præter paradoxas opiniones, multa utilissima continet ad illustrationem N. T. Pa-

Bibl. Haganæ C. III. F. I. O ratur

ratur hujus libri Versio Germanica, Goettingæ hoc anno prodeunda, cum animadversionibus & emendationibus.

A liberal Translation of the New Testament, being an Attempt to translate the sacred writings, with te same freedom, spirit and elegance, with which other English Translations from the Greek Classics have lately been executed; the design and scope of each Author being strictly and impartially explored, the true signification and force of the Original critically observed, and, as much as possible, transfused into our Language, and the whole elucidated and explained upon a new and rational Plan; with select Notes, critical and explanatory, by E. HARWOOD *Vol. II.* 1768. 8. Nimis libera est versio, & sæpius ad sententias Auctoris, Reformatæ Ecclesiæ fidei contrarias, adcommodata. Caute ergo legenda est. v. Recensionem in *Bibl. des Sciences* T. XXIX. p. 67.

An Appeal to Common sense in Behalf of Religion 1766. 8. Spectat ad defensionem religionis tum naturalis tum revelatæ.

Sermons to young Men, by JONATHAN MAYHEW, *DD.* 1767. 8.

An Attempt to explain the Words: Reason, Substance, Person, Creeds, Orthodoxy, Catholic—Church, Subscription and Index Expurgatorius; to which are added some Reflections, Miscellaneous Observations, Quotations, and Queries on the some subjects, by a Presbyter of the Church of England 1767. 8. Auctor est WITH. ROBERTSON, qui se muneri suo abdicavit: multa continet vera, & querelas refor-

formationem Clericorum suadentes, sed etiam multa Paradoxa, & peccat in excessu juxta Goetting. Litteratos.

An attempt to restore the supreme Worship of God, the Father almaghty, to which is now added a Dialogue between an Athanasian and a Unitarian, written for the use of poor Christians, by GEORGE WILLIAMS, *a livery Servant* 1768. 8. Videtur esse errori *Arii* addictus.

The Great Christian Doctrine of Original Sin defended, evidences of its Touth produced, and Arguments to the contrary answered. Containing in particular a Reply to the Objections and Arguings of Dr. Joh. Taylor in his Book, intitled: The Scripture Doctrine of original Sin proposed to free and Candid Examination &c. by the late Rev. JONATHAN EDWARDS, *A. M. President of the College of New Jersey, Bostoni* 1766. 8. Obiit Edwardus, antequam opus hoc lucem vidit.

A Collection of Tracts, published between the years 1729 *and* 1759. *in the Defence and Explanation of Christianity and its Evidence, by* HENRY STEBBING, *DD. late Chancellor of Sarum. Improved and prepared for the Press by the Author, and now republished, by Henry Stebbing, D. D. Morning Preacher to the honor. Soc. of Pray's Jnn.* 1766. 8. Laudatur

Sermons for the Use of Families, by G. ENFIELD 1768. 8.

V. Rev. THOMÆ EDWARDS *S. T. P. Duæ Dissertationes, in quarum priore probatur, Variantes Lectiones & menda, quæ in S. S. irrepserunt, non labefactare ejus Auctoritatem in rebus,*

quæ ad fidem & mores pertinent; in posteriore vero prædestinationem Paulinam ad gentilium vocationem totam spectare 1768. 8.

Four Dissertations 1) *on Providence* 2) *on Prayer,* 3) *on the Reasons for expecting, that Virtuous Man shall meet after Death in a State of Happines* 4) *on the importance of Christianity, the Nature of historical Evidence and Miracles, by* S. RICHARD PRICE 1768. 8. Valde laudantur tres posteriores Diss. quarum ultima *Humius* obpugnatur.

Observations and Inquiries relating to various Parts of Ancient History, containing Observations on the wind Euriclydon, and on the Island Melite, together with an Account of Egypt, in its most early state, and of the Shepherd Kings 1767. 4. Auctor dicitur esse Doctissimus BRYANT.

V.C. JOA. TOUPII, A. M. *Emendationum in* SUIDAM, *in quibus plurima loca Veterum Græcorum, Sophoclis & Aristophanis inprimis, cum explicantur tum emaculantur, Pars Tertia* 1767. 8.

— *Epistola Critica ad celeb. Virum, Episcopum Glacestriensem* 1767.

Remarks and Dissertations on Virgil, with some other Classical observations, by the late Mr. HOLDSWORTH *Published with several Notes, and additional Remarks by Mr.* SPENCE 1768. 4.

Six Assemblees; or ingenious Conversation of learned Man among the Arabians, upon a great variety of Useful and entertaining subjects; formerly published by the celebr. Schultens in Arabic and Latin, with large Notes and observations, explaining several peculiar Customs, Manners and Idioms of speech amongst the

the Eastern People; whereby much light is thrown upon many Passages of Scripture, both of the old and New Testament; together with a Collection of several Proverbial sayings among the Arabians, with an Explanation their singular beauty and Propriety, by LEONARD CHAPPELOW B. D. *Arabic Professor in the Univ. of Cambridge.*

Astronomical and Philological Conjectures on a Passage in HOMER, *by* G. COSTARD, *M. A. Vicat of Twickenham* 1768. 4. Laudantur ob eruditionem & ingenium Auctoris.

The Ruins of Pæstum, otherwise Posidonia, in magna Græcia, by THOMAS MAJOR 1761. *fol.* v. Bibl. des Sc. T. XXX. p. 469.

A new Description of the Pictures, Statues, Bustes, Basso-Rilievos, and other Curiosities at the Earl of Pembroke's House at Wilton, a new Edition by JAMES KENNEDY 1769 8.

Observations upon a supposed antique Buste at Turin, in two Letters, addressed to the right Honor. the Earl of Macclesfield, President of the Royal Society, by EDWARD MONTAGU, *Esq. F. R. S.* 1764. 4. conf libellos *Needhami*, indicatos *Bibl. Br. N. Cl. IV. p.* 371. quibus hoc opus obpositum est.

Critical Dissertations on the Origin, Antiquities Language, Governement, Manners and Religion of the ancient Caledonians, their Posterity, the Piots and the British and Irish Scots, by JOHN MACPHERSON, *D. D.* 1768. 4. Valde laudantur.

An Historical and Chronological Deduction of the origin of Commerce from the earliest account to the

the present time, by ADAM ANDERSON, *Ecuyer Vol. II.* 1763. *fol.* Laudatur

The Chronology and History of the World from the Creation to the Year of Christ 1768. *illustrated in LVI Tables — by the Rev.* JOHN BLAER 1768. *fol.* Recusæ sunt hæ Tabulæ & novæ additæ.

The present State of all Nations. Containing a Geographical, Natural, Commercial and Political History of al the Countries in the known World, by TH. SMALLET 1768. Laudatur, ubi Anglicos sequitur Periegetas, sed cetera minus exacta sunt, quia Germanicis destitutus fuit subsidiis.

Nouveaux Memoires, ou Observations sur l'Italie, & sur les Italiens par deux Gentils-hommes Suedois, traduits de Suedois 1764. 8.

An Inquiry Historical and Critical in to the evidence against Mary, Queen of Scots &c. 1767. 8. Est demonstratio innocentiæ Reginæ Mariæ, contra Humium & Robertsonium.

The History of the Life of King Henry the Second, and of the Age in which be lifed, in five Books, by GEORGE, *Lord* LYTTLETON *vol.* 3. 1767. 4.

Historic Doubts on te Life and Reign of King Richard, the Third, by Mr. HORACE WALPOLE 1768. 8.

An Historical Dissertation, concerning the Antiquity of the English Constitution 1768. 8.

Biographia Brittannica, or the Lives of the most Eminents Persons, who have flourished in great Britain and Ireland Vol. VI. 1766. *fol.* Absolutum jam est opus hoc egregium.

The Life of Dr. NIC. RIDLEY, *sometime Bishop of London, by* GLOCESTER RIDLEY, *Bachelier on*

on Droit 1763. 4. Biographia hæc historiam Reformationis Anglicanæ hinc illinc egregie illustrat.

An Account of the Manners and Customs of Italy, with Observations on the Mistakes of some Travellers, with regard to that Country, by JOSEPH BARETTI *Vol. II.* 1768. 8. v. Rec. in *Bibl. des Sc.* T. XXX. p. 369. Jam in Belgicam linguam translata est hæc relatio Harlingæ 1770.

A Sentimental Journey through France and Italy, by Mr. YORICK, *Vol. II.* 1768. 8. Itinerarium hoc in linguam *Gallicam* translatum recensetur in *Biblioth. des Sc.* T. XXXI. p 119.

An Account of Corsica: the Journal of a Tour to that Island; and Memoirs of Pascal Paoli, *by* JAMES BOSWELL, *Esq.* 1768. 8. Exstat jam Versio Belgica.

Histoire de Louis de Bourbon, second de Nom, Prince de Condé, premier Prince du sang, surnommé le Grand &c. par Mr. DESORMEAUX *Vol. III & IV.* 1768. 8.

Lettres concerning the Spanish Nation, written at Madrid by Rev. ED. CLARKE, *D.* 1763. 4. Recens. v. in *Bibl. des Sciences* T XXI.

The Narrative of the Honor JOHN. BYRON, *containing an Account of the great Distresses suffered by hem self and his Companion on the Coast of Patagonie from* 1748. *till their Arrival in England, written by hem self, and now first published* 1768. 8.

Essay on the History of Civil Society, by AD. FERGUSON 1767. Laudatur, & jam exstat Versio Germanica, cujus recens. v. in Allgemeine Deutsche Biblioth. T. XI. P. I. p. 153.

The History and present State of Electricity, with Original Experiments, by JOS. PRIESTLY, *LL. D.* 1767. 4.

Experiments and Observations on Electricity, by BENJAMIN FRANCKLIN, *L. L. D. and F. R. S.* 1769. 4.

British Zoology, by THOM. PENHART *Vol. II.* 1768. 8.

A Letter to his Excellency Count on Poëtry, Painting and Sculpture 1768. 8.

Duties of the Greats, by D. DODD. *D. D.* 1769. 8.

An Essay on Original Genious and its various Modes of exertion in Philosophy, and the fine Arts, particularly in Poëtry 1767. 8.

A Dialogue between a Tutor and his Pupil, by EDWARD LORD HERBERT OF CHERBURY 1768. 4. Libellus procul dubio subpostititius, & contra Religionem Christianam virulentus.

Sermons on several important subjects, by SLOANE ELSMERE, *D. D. late Rector of Chelsea Vol. II.* 1767. 8. Laudantur

An Essay on personal identity in two parts 1769. 8.

A Defense of M. Locke's opinion, concerning personal Identity 1769. 8.

A Free Addres to Protestant Dissenters on the subjects of the Lord's Supper, by JOSEPH PRIESTLY, *L. L. D.* 1768. 8. Communionem S. Coenæ nil inferre aliud putat, quam professionem Christianismi v. Recens. in *Bibl. d. Sc.* T. XXIX. p. 205.

An Essay on the future Life of Brute Creatures, by RICHARD DEAN, *Curate of Middleton* 1768. 12.

De Primatu Romani Pontificis, (*etiam Gallice de la Primaute du Pape*) 1768. 4. Libellus dicitur

tur editus esse ab Jansenista in Belgio, & non solum Pontif. Rom. Principatum super Principes, sed etiam, ejus Primatum in Ecclesia obpugnat. Recens. v. in *Bibl. des Scienc.* T. XXXI p. 476.

The Journal of a two months Tour, with a view of promoting Religion among the Frontier Inhabitants of Pensylvania — by CHARLES BEATTY 1768. 8.

Tales translated from the Persian of Ihatulla of Delhi. Vol. II. 1769. 8.

The great probability of a North-West Passage, deduced from observations on the Letter of Admiral de Fonte-proving the Authenticity of the Admiral's Letter 1768. 4.

The complete Dictionary of Arts and Sciences, in which the whole Circle of human Learning is explained &c. Vol. III. 1768. *fol.*

Chinki, Histoire Cochinchinoise 1768. 8. Dicitur *Voltairii* foetus, & continet Satyram in constrictionem Artium per Societates & Magisteria.

A short Account of that Part of Africa inhabited by the Negrees 1768. 8.

The History of Hindostan, from the earliest Account of Time, to the death of Akbar; translated from the Persian of Mahummud Casim Ferishta of Delhi: together with a Dissertation concerning the Religion and Philosophy of the Brahmins; with an Appendix, containing the History of the Mogul Empire, from its Decline in the Reign of Mahummud Shaw, to the present Times, by ALEXANDER DOW *Vol. II.* 1768. 4.

The American Traveller, or Observations on th present State, culture and Commerce of th British Colonies in America, and the furthe Improvements, of which they are capabl 1769. 4.

Letters, written by the late JONATHAN SWIFT *D. D. Dean of St. Patrick's Dublin, an several of his Friends from the Year* 1710 *t* 1742. *published from the Originals; collected and revised by* DEANE SWIFT, *Esq. Vol. IV. V. and VI.* 1768. 8.

Philosophical Transactions Tom. LVII. qui Opuscula anni 1767. continet. 1769.

JOA. WALLISII *Grammatica linguæ Anglicanæ, cui præfigitur de Loquela, seu de sonorum omnium loquelarium formatione Tract. Grammatico-Physicus. Editio Sexta: Accessit Epistola ad Thomam Beverley de mutis surdisque informandis* 1765. 8.

An Essay on the Original Genius of Homer 1769. 4. Auctor hujus libri juxta præfationem est ROBERTUS WOOD, Vir. Inl. & Doctissimus, qui Homero comite ipsa ora Trojana perlustravit, & vel ex hoc capite multa detexit, quibus Homero egregiam lucem adfundit. Summis laudibus hunc librum extollunt *Goettingenses Litterati*, quorum recensio legi meretur in *Ephemeridibus hujus anni pag.* 257.

The Light of Nature pursued by EDWARD SEARCH *Esq. Vol. V.* 1769. 8. *Goetting. Litterati* l. c. p. 393. & hunc librum adnunciant, & recensent ut librum optimæ frugis. Volumina duo priora *naturam humanam*, posteriora *Theologiam Naturalem* exponunt.

LO-

LOVANII.

BENEDICTI *XIV. Pontif. Rom. Libri XIII. de Synodo Diocesana Vol. IV.* 1764. 8.

Opuscules de Mr. BOSSUET *Eveque de Meaux Vol. III.* 1764. 8.

LUBECÆ.

Prodierunt

Hn. FRIED. DAN. BOHN, Gedanken über die gewisheit der menschlichen Erkentnis von Geometrischen und Metaphysischen warheiten / wie auch von den ersten Grundsäzen der Natürlichen Theologie und Sittenlehre / und von den möglichen graden in derselben 1764. 8.

— MARTIN EHLERS, Rectors / Gedanken von den zur Verbesserung der Schulen notwendigen Erfordernissen 1766. 8. Valde laudantur a Gottingensibus Litteratis.

Sendschreiben an den Hn. *von Voltaire* über den Character des *D. Martin Luthers* und seine Reformation. Aus dem Französischen 1765. 8. Est Apologia pro Luthero. Auctor dicitur esse Moserus V. C.

LUCCÆ.

V. C. JOA. BAPT. PASSERII, *Pisauriensis Nob. Eugubini, in Th. Demsteri libros de Eturia regali Paralipomena* 1767. *fol.* Summis laudibus hoc opus extollunt Gottingenses.

LUCERNÆ.

Anonymi libellus *de Helvetiorum juribus circa Sacra.* oder: Kurzer Historischer Entwurf de Freyheiten und der Gerichtsbarkeit der Eydgenosse in so genannten Geistlichen dingen. Zurich 1768. 8 Pontificis Rom. Auctoritatem & prætensi jura circa Helvetiorum Sacra obpugnat & destruit.

LUGDUNI BATAVORUM.

V.C. ÆGIDIUS GILLISSEN, Franequera evocatus, *Professionem Theologiæ Ordinariam* capessivit Oratione Inaugurali *de Veterum Hæreticorum injusta defensione* a. 1765. Quum abiret Magistratu Academico Orationem dixit d. 8. Febr. 1769. *de fabulis Ecclesiastici., temere arreptis ad infirmandam Evangelii veritatem*, quæ excusa est, & cum laude recensita in *Biblioth. des Sciences* T. XXXI. p. 244.

— Sub ejus præsidio edidit JOA. SCHOUTEN, *Diss. Theol. de Pauli verbis Col.* I; 27. — 1768.

In locum b. PETRI COUWENBURG DE BOIS V. C. vocatus Theologiæ Professor, postquam hoc sibi oblatum munus Vir pl. Reverendus & Doctissimus ROBERTUS CASTENDYK, *V. D. M. Haganus*, recusasset, HERMANUS SCHOLTEN, hactenus *V. D. M. Diepenhemiensis*, V. C., cujus *vitam Græcorum Carminibus restitutam, vel leges Accentuum genuinas* inferuimus

ruimus *Bibl. Brem. N. Cl. V.* p. 339. Professionem ipsi demandatam auspicatus est Oratione Inaug. dicta a. d. 18. Junii 1765. *de hominis peccatoris coram Deo justificatione, olim festo expiationis die in intimis tabernaculi Mosaici adytis ab ipso Deo elegantissime depicta* 1765. quæ excusa legitur.

V.C. GERLACIUS SCHELTINGA, Jurium Antecessor, ætate profectus a. d. 9. Febr. 1765. diem suum obiit. Substitutus fuit in ejus locum a Nob. Curatoribus.

V.C. BAVIUS VOORDA, Franequera evocatus, qui muneri suo publice inauguratus fuit a. d. 24. Junii 1765. Oratione, qua ostendit: *plus esse Civitatibus præsidii in bonis Jurisconsultis, quam in ipsis legibus. A.* 1770. d. 8. Febr. Rectoratu se exuit Oratione, quam inscripsit: *Papinianus, seu Jurisconsulti & Viri Optimi forma, in persona Æmilii Papiniani spectata.*

— DIONYSIUS GODOFREDUS VAN DER KEESSEL, J. U. D. & Antecessor *Groninganus*, inde evocatus, Professionem Juris Civilis auspicatus est die 12 Martii labentis anni 1770. Oratione habita Inaugurali *de Legislatorum Belgarum in recipiendo Jure Romano prudentia.*

— TIBERIUS HEMSTERHUSIUS, Vir Summus, obiit d. 7. Aprilis a. 1766. magnamque ejus obitu Academia & resp. Litteraria jacturam passæ fuerunt. Quanta autem hæc jactura fuerit.

— DAVID RUHNKENIUS, eleganti Oratione coram concione numerosissima exposuit, quum Magistratum Academicum deponens d. 8. Febr.

Febr. 1768. dixit *de Perfecto Critico, spectati in exemplo Tiberii Hemsterhusii* „ Quod „ Orationis argumentum omnibus tam ju„ cundum accidit, ut me nunquam memi„ nariam attentius audiri. " Ita loquitur elegantissimus Orator in *præfatione editi Elogii* TIBERII HEMSTERHUSII, *auctore* DAVIDE RUHNKENIO 1768. 8. In hanc enim formam orationem suam immutavit Vir cel., ut *non tam oratio quam Elogium* esse videretur. Interest quam maxime omnium, qui solidam eruditionem sibi comparare amant, & recta ad eam via duci cupiunt, elogium hoc sæpius relegere, & vestigia Summi Viri sequi, etsi vel ex longinquo, umbraticam ut fugiant eruditionis speciem.

Repararunt jacturam *Hemsterhusii* Ampl. Curatores, eligendo ejus in locum LUDOVICUM CASPARUM VALCKENARIUM, Virum celebratissimum, Franequera evocatum, qui muneri suo inauguratus d. 3. Junii 1766. dixit pro Concione *de publicis Atheniensium moribus, pro temporum diversitate, crescentis labentisque Reipublicæ caussis.* Edita est elegantissima hæc Oratio unâ cum altera *de Philippi Macedonis, Amyntæ F. indole, virtutibus, rebusque gestis, caussis externis fractæ Græcorum libertatis*, habita Kal. Oct. anni 1760. Franequeræ, *quum Magistratu Academico abiret.*

Postea a. 1769. demandata ipsi quoque fuit altera b. *Hemsterhusii* Provincia, *Historiæ sc. Patriæ* Professio, quam a. d. 1. Martii 1769. auspicatus est Orat. Inaug. *de Virtutibus, rebusque gestis Guilielmi Primi, Principis Au-*

Auriaci, Belgicæ Libertatis Vindicis, Foederatæ hujus Reip. fundatoris.

Edidit Vir Eruditissimus mox elegantissimam *Diatriben in* EURIPIDIS *perditorum Dramatum reliquias* a 1767. 4. & sequenti iterum anno EURIPIDIS *Tragoediam*, HIPPOLYTUS dictam, *Latino carmine conversam a Georgio Ratellero, adnotationibus suis instructam* 1768. 4. Exhibent bini hi libri eruditionis Græcanicæ thesaurum, & ostendunt Criticum, quo nemo dignior succedere potuerit magno *Hemsterhusio*.

Constitutus est a. 1766. *Historiæ Ecclesiasticæ Professor* V. C. DIDERICUS VAN DER KEMP, *S. Th. D. & Ecclesiastes Leidensis*, qui provinciam hanc auspicatus est Orat. Inaugurali, dicta d 29. Sept., *de bona Spe, quæ etiam nunc Ecclesiæ Batavæ supersit, ac præcipuis nonnullis ejus ex Historia potissimum Ecclesiastica argumentis*. 1766. Insurrexit contra hanc Viri summi Reverendi Orationem *Anonymus*, quem doctissimum *H. Goodrickum* esse notum est, in *Epistola ad Virum Doctissimum T. P. de momentis & pondere Orationis hujus Inauguralis* & sine loco impressionis, en dein in libello, e quam inscripsit: *Proeve ter opheldering van zommige zaaken, waardoor de Schryver van den Naamloozen Latynschen Brief, over de Inaugurale Oratie van den Heer Professor van der Kemp, zyne redeneeeingen nader aandringt &c.* Groningæ edito 1768. 8. Avide exspectat Ecclesia Batava, quam cl. *van der Kemp* dicitur parare, Orationis suæ Apologiam, qua Ecclesia Christiana in eam spem adduci poterit,

terit, quod maximopere velim, fore, ut membra ejus Belgica, veritatis & amoris vinculis conjuncta, mansuetudinis, tolerantiæ & mutui amoris exemplum præbeant, omnibus aliis imitandum. Videntur nonnulla in Epistola vere, sunt vero cum contemtus specie dicta; lenius dici potuissent & debuissent contra Virum Doctissimum, publico in munere constitutum.

Vulnus denuo acerbum a. 1768. d. 4. Nov. Academiæ inflixit obitus V. C. JOANNIS LULOFS, *A. L. M. Philos. & J. U. D. Philos. Astron. & Mathem. P. O. Superattendentis fluviorum Hollandiæ & West-Frisiæ, ut & variarum Societatum Scientiarum membri.*

Dignus hujus in locum successor ab Ampl. Curatoribus designatus fuit V. C. DIONYSIUS VAN DE WYNPERSSE, Groninga evocatus, qui a. d. 29. Maji, 1769. muneris sui initia fecit Oratione Inaugurali, qua *præcipua naturæ humanæ insignia & decora* exposuit, quæ typis excusa est.

V.C. EWALDUS HOLLEBEEK, *Th. D. & P. O.* Magistratu Academico abiit, dicta a. d. 8. Febr. 1765. solemni Oratione, *de Divinæ Revelationis in Belgio contemtu, atque causis ejus præcipuis*; typis mandata.

—— Edidit tres Dissertationes *de optimo Concionum genere, quibus ea Divinas litteras e suggestu sacro exponendi methodus, quæ vulgo Anglicana dicitur, modeste defenditur, & simul a præcipuis, quæ Viri Docti in contrarium adducunt, argumentis placide vindicatur,* resp. *Petro, Wilh. Leemans* 1768. 69. Exstat jam harum Dissertat. conjunctarum *Editio*

tio secunda, multis Animadversionibus, tum illustrandi tum confirmandi gratia adjectis, priore auctior 1770. 8. Præfatio, Dissertationi huic præmissa, docet, præcipuam iteratæ Editionis caussam in eo sitam esse, quod resciverit, plerisque in Belgio Ecclesiastis, & inter eos quoque talibus, quos magni facit, meditationes suas de vulgari concionandi ratione, illisque addita de emendandis sermonibus Sacris consilia non tantum non placuisse, sed & nonnullis ita bilem commovisse, ut se tanquam sacri ordinis contemtorem, dogmatum receptorum violatorem, novarumque sententiarum fautorem &c. deformare non sint veriti. Animadversiones itaque in notis adjectæ eo tendunt, ut scrupuli, qui nonnullos male habent, eximantur, & præjudicia, sine ratione adversus ipsum creata, tollantur, saltim minuantur; & cuncti, quibus mens non læva est, fateri cogantur, tantum abesse, ut innocente hoc scripto ordini Ecclesiastico, quem diligit, veneraturque, ullum damnum intulisse possit censeri, ut potius vero ejus decori ac emolumento consuluisse debeat existimari. Nulli dubitamus, quin illi, quibus mens læva non est, quique absque partium studio lecturi sunt quæ cl. *Hollebeekius*, Theologus erectioris animi, candide non minus quam vere, eleganter non minus quam placidissime exposuit, scrupulum omnem sibi injectum evellant, & ad emendandos sermones suos sacros cordate adspirent. Ceteri, qui opinantur se jam optima quæque potitos esse, nihilque in

Sacris posse emendari, gaudeant secum de felicitate sua, eamque placide aliis exponant & defendant.

Sub *ejus* præsidio scripsit & defendit publice a. d. 12. Dec. a. 1767. & d. 23. Martii a. 1768. PETRUS DE WILDE *Lugd. Bat.* duas Dissertationes doctissimas, quæ *exhibent Vindicias Pentateuchi Mosaici adversus nuperum obtrectatorem Gallum.* Indigitat librum illum famosissimum: *Dictionnaire Philosophique portatif*, cujus Auctor dicitur esse *Voltairius.*

V.C. F. W. PESTEL, *J. U. D. & Prof. P. O.* a. 1766. Rectoratum Academicum exuit, dicta Oratione elegantissima *de Studio Boni communis, lege Civitatum prima.*

Pro gradu *Doctoratus Theologici* Dissertationes suas *Inaugurales* publico & solemni examini submiserunt PHILIPPUS VAN SWINDEN, *Phil. filius, Haga—Batavus,* tunc *ad Ecclesiam Gallo—Belgicam, quæ Voorburgi est, Pastor evocatus* a. d. 30. Aprilis 1766. & ANTONIUS CORNELIUS BARKEY, *Nic. fil., Zelandus, designatus tum in Inl. Arnaldino, quod Burgo-Steinfurti est, S. Theologiæ Professor ad d.* 28. *Aprilis* 1767.

Prior sistit *rationes, cur Salvator noster, qui tot tantasque morborum sanationes coram multitudine patravit, toties sanatos, ne eas referrent, vetuerit, curque in genere noluerit, se publice Messiam prædicari.*

Altera est *Theol. Exegetica de Pseudo—doctoribus, quorum mentio fit* 2 *Pet.* II: 1. f. Sedet ipsi sententia, Apostolum non loqui de abnegatione redemtionis, partæ per Christum, sed de servilis conditionis hominibus,

qui dominium detractant, & quisque contra herum suum rebellando insurgit, & præsertim de talibus, qui unico eique publico dominio suberant, puta Imperatori Romano, quem titulis Δεσποτη & Κυριε ornare solebant, se vero ejus Imperio subtrahere satagebant. Laudem quidem liberalis ingenii & studiorum non vulgarium hac Dissertatione, vel in Bibliotheca *Theol. Ernestiana*, reportavit filius meus, verum, quod ipsi prædixeram, restant plures nodi in hac sententia, difficulter admodum solvendi.

Pro gradu *Magisterii A. L.* & *Doctoratus Philosophici* Dissert. Philosoph. Inaug. publicæ Disquisitioni submisit ad d. 12. Junii a. 1766. JOANNES HENRICUS VAN SWINDEN, *Haga—Batavus*, *de Attractione*. Recensionem v. in *Bibl. des Sciences* T. XXVII. *p.* 435. Vir hic clarissimus jam Cathedram *Philosophicam* ornat in alma *Franequerana*.

Pro gradu *Doctoratus Juridici Specimen Historico-Juridicum Inaug.* placido Eruditorum examini submisit PETRUS VAN SPAAN, *Hensebroeka-West-Frisius*, *a. d.* 7 *Martii a.* 1768. *de Senatusconsulto de Inperio Vespasiani apud Gruterum Tomo II. pag.* 242. *spurio* —— Ediderat jam a. 1765. & publico Examini a. d. 15. Maji subjecerat Auctor sub præsidio *D. Ruhnkenii*, V. C. *Dissertationem Historicam de Antiphonte*, *Oratore Attico*. Utrique labores laudem merentur.

Ut & *Specimen Juridicum Inaugurale* HERMANNI VAN DE POLL, *Amstelod.* de *Privatione libertatis privatæ*, 1770. Disputat de libertatis ac servitutis notione, hu-

jus origine, æquitate, effectibus apud varios populos & usu.

Præter alias Dissertationes *Medicas Inaug.*, nuperrime talem scripsit & eruditorum examini subjecit a. d. 30. *Martii* a. 1770. JANUS BERNARDUS SANDIFORT, *Haga—Batavus*, qua *inquirit in vulgatissimum Proverbium: Medice vivere, misere vivere.* Ostendit præsertim, qualem vitam is agere debeat, qui jure dici poterit, medice vivere.

Sub præsidio *D. Ruhnkenii*, V. C. scripsit Auctor & publice defendit *Joannes Enschede, Harlemo—Batavus a. d.* 4 *Aprilis* 1770. Dissertationem *Philologicam* Doctissimam *de Tutelis & Insignibus Navium.*

Prodierunt etiam

V.C. BERNARDINI DE MOOR, Theologi Senioris, *Commentarii perpetui in Joannis Markii Compendium Theologiæ Christianæ Didactico-Elenchticæ Volumen Quintum* 1768. 4.

CAMPEGII VITRINGÆ, Patris, *Doctrinæ Christianæ Religionis per Aphorismos summatim descriptæ* jam exstant *Volumina IV.*, *curante* MARTINO VITRINGA V. C. *V. D. M. Arenacensi* 1768. 4.

Demorsos sapiunt ungues.

Ex Instituto *Stolpiano* præmia reportarunt VV. CC.

A. HULSHOF, *A. M. & Philos. D. Amstelod.* Dissertatione *de Fundamento potestatis Dei Legislatoriæ a.* 1765.

JOA: LEO GUDENIUS, *A. M. & V. D. M. Stadensis*, de *Argumento a priori pro Existentia Dei* 1767.

J. G.

J. G. TOELLNER, *S. Th. D. & Prof. Viadrinus* Diss. *de Potestate Dei Legislatoria, non mere arbitraria a.* 1769.

HESYCHII LEXICI, *cum notis VV. DD: integris, vel editis antehac, nunc auctis & emendatis, vel ineditis &c. Tomus Secundus*, curante b. JOANNE ALBERTI 1765. fol. v. *Recens.* in *Biblioth. des Sciences* T. XXIV.

FL. MELLII *liber de Metris; e vetustis Thesauri Guelpherbytani membranis antea protulerat, nunc ad fidem Codd. Parisiensium castigavit, observationibus illustravit, præterque scriptorum aliquot Veterum Apospasmatia, Cornelii Nepotis fragmenta Guelpherbytana, cum defensionibus suis adjecit* V. C. JAC. FRID. HEUSINGER 1766. 8.

Γρηγορίου, Μητροπολίτου Κορίνθου, περὶ διαλέκτων: GREGORIUS, *Metropolita Corinthi, de Dialectis, e Codd. MSS. emendavit ac notis illustravit* GYSBERTUS KOEN, *J. C. V. C. Accedit Grammatici Leidensis & Meermanniani de Dialectis Opuscula, ab iis, quæ sub Joannis Grammatici nomine circumferuntur, longe diversa* 1766. 8. v. Rec. in BIBL. DES SC. T. XXVII. p. 366.

P. RUTILII LUPI, *de figuris scientiarum & elocutionis Libri duo: recensuit & adnotationes adjecit* DAV. RUHNKENIUS, V. C. *Accedunt Aquilæ Romani & Julii Rufiniani de eodem Argumento libri* 1768. 8. v. Rec. in *Bibl. des Sc.* T. XXX. *p.* 140.

ZOOPHYLACII GRONOVIANI, *Bibl. Brem. N. Cl. IV. p.* 361. memorati, *Fasciculus Secundus* 1764. *fol.* Rarissima hic Novi Orbis conspiciuntur Insecta, quæ *L. Th. Gronovius*, V. C. debet liberalitati NICOLAI MASSIS,

Viri Nobil. & Ampl., *Indiæ Occidentalis Directoris*, Medioburgi residentis.

GERARDI JACOBI VAN SWINDEN, *J. C. Poëmata, edita & inedita, in unum collecta a* PHILIPPO VAN SWINDEN, Viro Consultissimo, *J. U. D. & curiæ Hollandiæ Advocato*, (qui etiam *Gerardi Jacobi* Notas MSS. in *Apollodorum* possidet) 1763. 8.

Discours Philosophiques de Maxime de Tyr, traduits de Grec par Mr. FORMEY 1764. 12.

Principe de Morale, appliqués aux determinations de la volonté par Mr. FORMEY *Vol. II.* 1765. 12,

Les Interets des Nations de l'Europe, developpés relativement au Commerce Vol. II. 1766. 4.

Progrés des Allemands dans les Sciences, les belles Lettres & les Arts, particulierement dans la Poësie, l'Eloquence & le Theatre, par Mr. le Baron DE BIELFELD (obiit a. d. 5 Aprilis hujus anni) *Troisieme Ed. revüe & considerablement augmentée Vol. II.* 1767. 8. Lectu digna est hujus operis recensio in der Allgemeinen Deutschen Bibliothek T. VIII. P. 2. p. 45, quæ ejus justum statuit pretium, & ostendit, Virum Nobilissimum scribendo huic operi imparem fuisse; siquidem ipsi, Germano, primarii in gente Germanica hujus seculi Scriptores ignoti fuerunt.

Lettre d'un Anonyme a Mr. J. J. Rousseau, contenant un Examen suivie du Plan d'Education, que cet Auteur a proposé dans son ouvrage intitulé: Emile, ou de l'Education. Ce qu'il y a de pis pour la Sagesse, est d'être savant a demi. Emile T. III. p. 195. 1766. 12. v. Rec. in *Bibl. des Sciences*. T. XXVI. p. 607.

Me-

Memoires sur les Finances & sur le Commerce de l'Angleterre, Ouvrage attribué a Mr. GREENVILLE, *Ministre d'Etat: traduit de l'Anglois, & augmenté de Notes, de Sommaires &c.* 1767. 12.

Les premiers Traits de l'Erudition Universelle, ou Analyse abregée de toutes les Sciences, de Beaux—Arts & de Belles Lettres 1767. 8. v. Rec in *Bibl. des Sc.* T. XXVII. *p.* 328.

Magazin des Pauvres, Artisans, Domestiques & Gens de la Campagne, par Mr. LE PRINCE DE BEAUMONT *Vol. II.* 1768. 12.

Reizen van Petersburg door verscheide Gewesten van Asiën, gedaan en beschreeven door den Heere Dr. JOHN. BELL, *uit het Engelsch, Eerste Deel* 1769. 8.

Prospectum operis magni momenti edendi sequentem jam a. 1768. publicavit *Biblioth. des Sciences & des Arts* T. XXIX. *p.* 447. s. Prospectus *d'un Ouvrage intitulé. La Constitution* UNIGENITUS, *deferée a l'Eglise Universelle; ou Recueil des Reclamations & Actes d'Appel interjettées au futur Concile General de ladite Constitution; avec les Arrêts, Arrétés, Remontrances & autres Actes des Parlemens & Jurisdiction du Royaume, rendus & publiés au sujet de la même Constitution & de ses faites. En trois parties, formant IV. Volumes in folio*, apud *le Mairium* Leidæ; *Potgieter*, Amstelodami & *van der Weyde*, Trajecti ad Rhenum &c. &c. Cadente Jesuitarum Ordine cadat oportet hæc Constitutio.

LUGDUNI SEGUSIANORUM.

Essai sur l'Art de former l'Esprit, ou premiers Ele mens de Logique par Mr. BERTRAND 1764. 12 *Institutions Leibnitiennes, ou Precis de la Mona dologie. Fungar vice cotis* 1767. 8. Intro ductio est ad scripta Ill. LEIBNITII recuden da in Gallia. Auctor fertur esse ZIGORGNI V. C. *Archidiaconus, Canonicus & Episco palis Officialis Mazonensis*, juxta *Ephemer Goettingenses.*

Cetera dabunt Fasciculi sequentes.

BIBLIOTHECA
HAGANA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA,

AD

CONTINUATIONEM

BIBLIOTHECÆ BREMENSIS

NOVÆ

CONSTRUCTA.

CLASSIS TERTIÆ,

FASCICULUS SECUNDUS.

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.
Sumptibus Bibliopolarum
HENR. VIEROOT & JOA. LE MAIR,
MDCCLXX.

CONSPECTUS CONTENTORUM, FASCICULI SECUNDI, CLASSIS TERTIÆ.

I V.

JO.

I.

JOA. AUGUSTI DATHE,

S. Theol. Licentiati & Prof. Linguæ Hebrææ Ordinarii Lipsiensis,

DISSERTATIO PHILOLOGICO-CRITICA, DE ORDINE PERICOPARUM BIBLICARUM NON MUTANDO. (*)

§. 1. *De difficultate Criticæ conjecturalis in Vet. Test.*
§. 2. *Trajectiones pericoparum e Critica profana ad Criticam librorum S. translata.*
§. 3. *A quibus?*

§. 4.

(*) Dissertationem hanc lectu dignissimam, pag. 188. Fasciculi hujus Classis primi, Bibliothecæ huic inserere promiseram. Eruditissimus Auctor illam, qua est humanitate ad me misit, pro quo munere debitas ipsi gratias refero. N. B.

§. 4. *Hypothesis non tam utilis est, quam perhibetur, quin potius noxia.*

§. 5. *Status quæstionis formatur. Non quæritur de Varr. lect. Vet. Test.*

§. 6. *Conceditur possibilitas ex analogia similis Criseos in libris profanis.*

§. 7. *Sumitur ab adversariis libros S. in rebus historicis & chronologicis semper ordinem accurate servasse.*

§. 8. *Quod negatur salva auctoritate & perfectione Scripturæ S.*

§. 9. *Quæ neque hac hypothesi admissa satis defenditur.*

§. 10. *Judæorum testimonia de diligentia sua in describendis Codd. quantum valeant ad hanc hypothesin refutandam?*

§. 11. *Ex historia recensionum textus hebræi hypothesis refutanda suscipitur.*

§. 12. *De recensione textus hebræi ab Esra curata.*

§. 13. *Quæ corrupta aut vitiata non est sequentibus temporibus.*

§. 14. *Quod probatur partim ex æmulatione sectarum Judaicarum.*

§. 15. *Partim ex institutione Synagogarum.*

§. 16. *In quibus omnes libri S. prælecti fuerunt.*

§. 17. *De recensione textus Hebræi ab Origene curata.*

§. 18. *De Versione Hieronymi.*

§. 19. *De Versione Syriaca.*

§. 20. *De paraphrasibus Chaldaicis.*

§. 21. *De collationibus textus hebræi cum Codd. MSS. tum Judæorum, Orientalium & Occidentalium, Bne Ascher & Bne Naphtali, tum Christianorum.*

§. 22. *Summa superioris disputationis.*

§. 23.

23. *Altera pars disputationis exponit figmenta, quibus patroni hujus hypotheseos eam adstruere conantur. Primo Harenbergii.*
24. *Deinde Richardi Simonii.*
25. *An locus Jer.* XXXVI. *probet membranas consutas? obiter* דְּלָתוֹת *quid sint, explicatur.*
26. *Fingitur omnes Codd. hac membranarum confusione esse vitiatos.*
27. *Etiam versiones antiquissimæ, quarum trajectiones sententiæ nostræ non adversantur.*
28. *Finguntur trajectiones paucorum versuum, quæ necessario longiorum [illegible] esse deberent.*
29. *Conclusio.*

§. 1.

Cum nostra ætate Ars critica Veteris Testamenti libris adhiberi inciperetur, atque eadem cura eis impendi, quæ, non dicam aliis libris antiquis humanæ saentiæ, sed divinæ etiam Novi Testamenti ris inde a repurgatæ doctrinæ initiis adbita est, repudiata illa pia credulitate, æ per Judæorum industriam hunc laborem pervacaneum dicebat: nemo mirabitur, nes artis criticæ partes esse ad tanti labos usum translatas. In his cum locum suum eatur, consentientibus omnibus hujus artis ...m hæc, quæ loca suspecta, aliis

certioribus & tutioribus remediis deficientibus, ex conjectura emendat, emendatrici Criticæ suas quoque partes esse debere quidam indicarunt, qui huic labori gravissimo suam dicare operam instituerunt, neque solum exemplis, sed præceptis etiam docuerunt, sive potius amplissimum aperuerunt campum, in quo ingenium exercere possent, qui ad loca difficiliora textus hebræi hærerent. Quamquam vero existimamus, ferri posse conjecturas super lectione textus hebræi dubia, cum nec Critici severissimi eas in libris humanis omnino repudient, eas tamen his conditionibus admitti, his legibus circumscribi debere censemus, quibus principes in hac arte viri earum usum definierunt. Paucis eas complexus est s R. ERNESTI in oratione, *de Institutis Criticorum in studiis theologiæ imitandis*, cujus verba integra huc adscribam, cum quam maxime ad rem, de qua dicere ingressus sum, faciant. *Eo autem*, inquit, *cum res deducta est*, (quando nempe verba a librariorum incuria vitii aliquid traxisse Criticis videntur) *non levibus conjecturis agendum putant, quam etiam ridere & vituperare solent, sed libros scriptos, eosque antiquos & bonos, aut qui ex iis diligenter editi sint, in consilium vocant; si hi destituant, ad conjecturas quidem interdum confugiunt, sed hac cum modestia, ut eas non in textum inferant, sed eruditis judi-*

judicandas & libris fortasse aliquando melioribus confirmandas, quod sæpe contigit, relinquant: in receptis autem omni modo reprimunt pruritum, & , ut appellant subinde, scabiem corrigendi, quæ quis non intelligat, & ut quisque ab ea est remotior, ita saniorem Criticum judicant. Videant igitur, quo morbo laborent, qui, quoties in locum difficiliorem textus hebræi incidunt, statim ad conjecturam tentandam incitantur; discant vero simul a perito harum rerum judice, quæ curatio ipsis subeunda sit, si ab isto morbo sanari velint, nomenque sanorum Criticorum tueri. Atque ego quidem non dubitem affirmare, hanc disciplinæ severitatem in Critica conjecturali librorum hebræorum, hoc est, Vet. Test. eo magis esse necessariam, quo major sit ejus exercendæ in illis, quam in libris græcis & latinis difficultas. Nam cum horum tanta supersit ex antiquitate copia, totque extent unius sæpe scriptoris volumina, quæ totam librorum hebræorum collectionem æquent, atque adeo superent; illarum linguarum genius viris doctis ita cognitus est & perspectus, ut de verborum significatione, de phrasium usu, de tota orationis structura, quæ fuerit apud Græcos & Latinos in vario dicendi genere, raro dubii hæreant; quæ porro idiomata cujusque scriptoris fuerint, ex aliis ejus scriptis sæpe

possint indubie demonstrare. Hæc vero utriusque linguæ perfecta & absoluta cognitio quantopere juvet Criticos, si conjectura tentanda est, facile intelligitur. Sed longe alia est & diversa linguæ hebr. ratio. Nam ex pura puta lingua hebræa, quæ olim non minus floruit, quam aliæ Orientis dialecti floruerunt aut adhuc in usu sunt, exiguum illud volumen superest, quod Codicem S. Vet. Test. constituit. Ex hoc igitur historia linguæ ter mille annorum discenda est, nec unius modo scribendi generis, sed variorum, tenuis & sublimis, historici & poëtici. Ex hoc usus & significatio vocabulorum & phrasium cognoscenda est, ex quibus tamen multa semel, bis, terve tantum occurrunt. Equidem non ignoro, qua ratione eruditi interpretes has superent difficultates. Non sum nescius, caliginem qua vocabula rariora, aut loquendi genera nimis diversa ab occidentalium linguarum natura, obducta sunt, linguarum cognatarum lumine inprimis posse illustrari, ut alia subsidia interpretandi V. T. taceam. Sed quamquam hæc ad sensum loci difficilioris eruendum sufficiunt, tamen genium antiquæ linguæ non ita declarant, ut in phrasi rariori hunc vel illum loquendi modum prorsus alienum ab usu linguæ hebrææ judicemus; ut quid in stilo sublimiori scriptoribus hebræis licuerit, ita clare intelli-

telligamus, ut vitium quod irrepſerit, facile retegere poſſimus, atque ſcriptori ſacro verbum, quod poſuerit, reddere; ut in carminibus metrum turbatum reſtituamus, aut, ſi non adeo cum MEIBOMIO & HARIO inſanimus, tamen de eorum lectione eodem modo judicemus, quo de aliis ſcribendi generibus. Quæ cum ita ſint, non placet, ut verum fatear, temeraria ſedulitas illorum Criticorum, qui larga manu ſuper textum hebræum ſuas effundunt conjecturas, magnaque cum fiducia receptæ præferunt lectioni, ſibi ipſi vehementer de ingenii ſui felicitate applaudentes. Quamquam enim præfracte negare nolim, in libris V. T., omnes alios antiquitate ſuperantibus, majorem eſſe, quam in aliis conjecturarum criticarum materiam; tamen, ut in libris humanis Critici præcipiunt, in Criſi exercenda a conjecturis non eſſe initium faciendum, ſi ſuppetant codices MSS. aut editiones antiquæ; ita in codice S. V. T. alia ratione non agendum eſſe, non ſolum artis præcepta jubent, ſed reverentia etiam libris ſacris debita. Et quid initium faciemus in lectionis emendatione a conjecturis ſemper incertis, nunquam teſtimoniis Codd. æquiparandis, quorum tamen ad textum hebræum tantus poteſt ex inſigni copia Codd. numerus colligi, & adhuc dum colligitur, quantus ad nullum alium librum ex

antiquitate superstitem. Parum enim profi- citur in instituto caeterum laudabili conje- cturis, quarum omnino evidentia raro tanta est, quae Criticos moveat, ut eas in textum recipiant. In plerisque, si vel maxime veri specie se commendant, suspicio quaedam lectori remanet, de alia lectione aeque pro- babili aut adhuc probabiliori, & multo etiam magis de ea, quae ab ipso scriptore posita sit. Nam quid scripserint Moses, David, Prophetae, quaestio est historica, quae non potest tuto, nisi testibus adhibitis, hoc est, ex libris antiquis decidi. Hi igitur audiendi sunt, atque horum testimonia, consentien- tia imprimis, non debent repudiari, si sen- sum ostendunt non incommodum, non pu- gnantem cum locis aliis; neque praeferri conjecturis, quamvis elegantibus & ingenio- sis. Nam si vel eae sunt, neque auctoribus suis tantum videntur, tamen nondum con- fectum est, Scriptorem S. istam elegantiam voluisse adhibere. Et quid tandem eveniet libris S. si quisque ingenio non prorsus desti- tutus, sibi liberum putat, verba textus he- braei ad quae ipsi forte aqua haeret, mutare, literam unam alteramque vel addere vel demere vel transponere, versus aliter distin- guere, verborum diversum omnino a re- cepta lectione ordinem fingere, atque levi ejusmodi, uti loqui amant, mutatione facta,

lectori-

lectoribus magna cum ostentatione commendare lectionem plane novam, venditare eam, ut indubie veram, quæ non possit non esse ab ipso scriptore S. posita, corruptam modo & depravatam a librariis, neque in hac commendatione acquiescere, sed suadere etiam, ut in textum, ejecta vulgari lectione, recipiatur, quamquam neque Codices MSS. istas mutationes firmant, neque versiones omnibus Codd. antiquioris istis egregie inventis favent. Digna est, quæ legatur ab istis conjectoribus aurea præfatio PETRI BURMANNI, præmissa ejus Commentario in *Phædrum*, in qua luculentur probat, quantopere ista emendandi ratio contraria sit Artis Criticæ præceptis; quantopere eam adversati sint summi hujus artis magistri, atque maxima cum dedignatione rejecerint & improbarint temerarios eorum conatus, qui in libris humanis textum ita innovare ausi essent, suasque ei conjecturas contra fidem Codd. MSS. aut librorum antiquorum obtrudere. Quod si præterea usus Artis Criticæ in libris hebræis plus difficultatis habet, quam in libris græcis & latinis, quod antea diximus, longe sane cautiores esse debemus in usu Criticæ conjecturalis circa illos libros, quam Critici circa hos solent esse providi atque adeo timidi. Igitur in loco obscuriori, cui non potest neque

ex usu linguæ hebrææ, neque ex linguis cognatis lux accendi, (ad quod tamen asserendum non sufficit proletaria linguæ hebrææ notitia, aut leviter tantum imbutum esse una alterave dialecto Orientis) non est a conjectura initium faciendum Criseos exercendæ. Videndum an Codd. MSS. an versiones antiquissimæ aliam lectionem afferant minus difficilem, quæ explicationem admittat. Quod, si est, raro vero ejusmodi examen cum cura institutum fructu suo carebit, lectio illa semper præferenda est conjecturis, si vel ingeniosissimæ sint, suisque auctoribus *majestati divinæ orationis convenientiores* videantur. Sed quid fieri debet loco, cujus obscuritatem neque linguarum usu, neque librorum antiquorum aut versionum testimoniis illustrare possumus? Tunc scilicet licebit urere, secare, atque medica manu restituere locum librariorum inscitia & negligentia male affectum. Magnus CASAUBONUS fassus est sibi vix millesimam linguæ latinæ partem esse cognitam & perspectam, ideoque temere quid de locutionibus rarioribus pronuntiare se vix sustinere. At Criticorum nostrorum tanta est tamque absoluta linguæ hebrææ omniumque Orientis dialectorum peritia, ut possint sine hæsitatione, quid repugnet genio orientalium linguarum, quid alienum sit a stili elegantia,

quid

quid minus pronuntiare. Mihi quidem tutius videtur in ejusmodi locis ignorantiam profiteri, quam temeritatis notam ſubire, cum penetralia linguæ hebrææ, reliquarumque orientalium dialectorum nondum ita ſint recluſa, pauciſſimis ſaltem pateant, ut non poſſit inde ab aliis lux obſcuriſſimis vocabulis aut phraſibus rarioribus afferri. Si quis tamen eſt ea ingenii facilitate, ut inter ſcrutandum ei conjecturæ ſubnaſcantur minime coactæ aut violentæ, atque hunc foetum ſuum nolit ſupprimere, aut luce privare, ponat eas in loco conjecturarum, hoc eſt, in margine, non intrudat eas aut inferendas dicat ipſi textui. Ita vero fiet, ut Critica V. T. referat exemplar ſeveriſſimorum Criticorum in libris humanis, neque male audiat apud eos, quorum eſt integritatem Scripturæ S. defendere, atque adverſus impetus hoſtiles tueri.

§. 2.

Hæc, quæ hactenus de ſumma conjecturalis Criticæ in V. T. difficultate, atque de cauto ejus uſu diſſeruimus, miſſis omnibus aliis exemplis, quorum largam copiam nobis facile ſuppeditaſſet Criticorum quorundam audacia, jam ex inſtituto illuſtrabimus, particula quadam Criticæ conjecturalis,

lis, parum accurate, uti videtur, ad libros ſacros V. T. translata. Nimirum Critici in libris humanis nonnunquam incidentes in loca male cohærentia, in quibus ordo rerum, verborum & temporum parum reſpondebat ἀκριβεία ſcriptoris in reliquis obſervatæ, ex æquitate rem judicantes noluerunt vitioſæ negligentiæ inſimulare ejusmodi ſcriptores, ſed potius ſuſpicati ſunt, ordinem foliorum eſſe incuria librariorum turbatum; quem cum tentarent trajectione unius alteriusve loci reſtituere, ſenſum invenerunt planum, bene cum antecedentibus & conſequentibus cohærentem, dignum ſtudio ſcriptoris, alias ordinis aptæque connexionis tenacis, atque adeo nonnunquam hujus ſuæ conjecturæ confirmandæ cauſa, indicia attulerunt ex Codd. MSS. quæ dubium non relinquerent, quin membranæ eſſent male collocatæ, atque verus ordo foliorum aliquot trajectione turbatus. Similem referre gratiam de libris ſacris ſibi perſuaſerunt viri quidam docti. Nam cum exiſtimarent, parum dignum eſſe ſcriptoris divinitus inſpirati auctoritate, ſi res geſtæ nonnunquam non eo ordine quo accidiſſent, narrarentur, aut ſi melior dictorum poſſet ſententiarumque oſtendi connexio, quam quæ in Codd. receptæ lectionis deprehenderetur; huic incommodo eodem modo me-

deri

deri voluerunt, quo Critici in libris profanis suorum scriptorum laudi prospexerunt. Igitur ordinem foliorum dictitarunt in libris sacris esse scissum & laceratum incuria & imprudentia eorum, qui sparsa sive separata folia voluminum collegissent; resarciendum filo historiæ sacræ & profanæ atque apta connexione sententiarum, in qua non superesset indicium violentæ luxationis olim factæ.

§. 3.

Primus, quantum ego quidem scio, qui hoc Criticorum institutum ad Criticam librorum V. T. transferret, fuit RICHARDUS SIMONIUS. Is nimirum in *Hist. Crit.* V. T. *Tom.* I. *cap.* V. *p.* 35. hanc hypothesin commendavit ut utilissimam, ex qua ratio reddi posset ordinis chronologici non satis accurate observati in sacris libris; eamque deinde defendit, & uberius exposuit in duplici libello, objectionibus *Clerici* opposito. Eandem prorsus sententiam defendit Bibliorum Criticorum editor HUBIGANTIUS, cujus verba *Jer.* XXII: 2. adscripta hoc loco lubet repetere, cum probent, eum de origine ordinis historici turbati idem, quod SIMONIUS, sensisse; quamquam in aliis locis, quos quidem inspexi, in quibus de ordine neglecto conqueritur, hoc argumentum non amplius

amplius urget, e. g. *Jer.* XXXIV: 5. Ita vero habet ad loci citati verba *rex Judæ*: „ Ille rex erat Joachin, qui regnavit ante „ Sedekiam, de quo Sedekia dictum est ca- „ pite superiori. Itaque ordo temporum „ non fuit servatus, non propter eam cau- „ sam, quam affert HIERONYMUS: *Aliud est* „ *historiam, aliud prophetiam scribere*, neque „ enim facile est credere, JEREMIAM cum „ dictaret prophetæ BARUCH vaticinationes „ suas, tempora susque deque vertisse, sed „ quia scribæ turbato ordine folia consue- „ runt, quæ antea erant separata." Horum vestigia premit doctissimus Anglus BENJ. KENNICOTTUS. Is in *Diss.* II. *super ratione textus hebræi* V. T. *pag.* 332. *vers. lat.* ex eadem hypothesi dissensum Codd. Hebræorum & Samaritanorum, in quibusdam locis explicari posse putat. Postquam enim dixerat, libros in corio vel membranis, quæ in laterum extremitatibus colligatæ essent, scriptos fuisse: „ unde proclive erat, „ inquit, varias transpositiones ex turbato „ interdum justo foliorum, quæ minus recte „ & accurate consuta erant, ordine com- „ mittere. Quædam in Pentateucho trans- „ positiones, in quibus hebræa & Samari- „ tana exemplaria hodie discrepant, huic „ causæ tribuere, non alienum a re est, „ atque idem etiam de insignioribus quibus-

„ dam

„ dam in reliquis sacris libris transpositioni-
„ bus valere existimem." Nemo vero majori studio id egit, atque hanc hypothesin vario lectionis apparatu ornare studuit, quam S. R. HARENBERGIUS in *Meletemate de Pericopis Biblicis recte instituendis & dijudicandis*, inserto *Bibliothecæ Bremensi novæ Classi* II. *Fasciculo* II. *p.* 203. *seq.* Et in duplici ejus *Spicilegio*, quod in eadem Bibliotheca legitur *Classe* III. *Fasc.* II. *pag.* 239. *seq.* Multa quidem Vir S. R. in his Disputationibus tractat, quæ, si verum dicere velimus, ad quæstionem propositam non pertinent, sed his omnibus omissis, quæ aliis dijudicanda relinquo, id modo dicimus, Cel. HARENBERGIUM, quoad summam rei, eandem de ordine Pericoparum biblicarum hypothesin defendere, licet in nonnullis dissentire videatur. Nimirum libros sacros olim schedulis sive membranis separatis inscriptos fuisse. Has deinde a Criticis christianis esse collectas, sed cum ad notas literarum, quibus membranæ istæ numeratæ erant, non attendissent, quæ & casu poterant esse deletæ, factum esse, ut multæ pericopæ aliter ac debebat collocarentur; (*Class.* II. *p.* 208. & 224.) hanc esse originem ordinis historici & chronologici in libris sacris sæpius turbati, restituendi vero diligenti lectione, adjuta ab historiæ & chronologiæ præsi-

ſidiis (*). Neque vero novitatis gratiam ſuæ hypotheſi Vir Cel. conciliare ſtudet, ſed potius ab aliis bene multis idem dictum eſſe aſſerit. In his laudat quosdam ex antiquioribus & recentioribus, quos haud ſcio an idem omnino ſenſerint. Quodſi enim quidam ex patribus, HIERONYMUS aut ATHANASIUS fatentur Pſalmos aut quædam loca in libris hiſtoricis & propheticis non eſſe ſecundum ordinem temporum digeſta, non

(*) Hanc eſſe Viri Cel. ſententiam quisque intelliget, qui loca citata inſpiciat, aut verba ejus, infra §. XXIII. ſub examen vocata, legat. Sed adverſarium nactus eſt Anonymum Batavum, qui commentationem, Belgice ſcriptam & inſertam Ephemeridibus obſervat. Amſtelod. cum univerſæ ejus hypotheſi, tum in ſpecie trajectioni Capitis XX. Geneſeos, de qua §. VIII. dicetur, oppoſuit. Huic reſpondit Cel. HARENBERGIUS ſub finem *Diſſ. quæ inſerta eſt Claſſi V^ta^ Bibl. Brem. Novæ pag.* 499. *ſeqq.* ita quidem, ut eandem ſententiam profiteretur (*pag.* 526. *ſeqq.*) negaret vero eam ullo modo auctoritati Scripturæ S. adverſari, quia his trajectionibus admiſſis, tamen pericopæ omnes locum ſuum conſuetum retinere debeant. Quod miror a Viro Cel. dictum eſſe, cum regulis Critices prorſus ſit contrarium. Nam ſi certum eſt, *librarios volumina non ubique eo ordine collocaſſe, quo a primis ſcriptoribus fuerunt exarata* (quod *l. c. pag.* 547. aſſerit)

non confusionem schedularum caussam hujus rei arguunt, neque suadent pericopas illas biblicas secundum temporis seriem digerere. Idem illud etiam LUTHERUS & BRENTIUS ad *Esaiam* fassi sunt, sed de lectione securi, ne verbum quidem habent de recepta lectione aliter instituenda. VITRINGA in commentario in *Esaiæ* vaticinia, ad ea delatus, quæ temporis ordini non satis respondent, docet

serit) sequitur illas pericopas loco suo motas ei iterum esse restituendas. Parum subtiliter provocat Vir S. R. ad harmonias euangelicas. Nam qui has contexuerunt, minime ordinem, quo libri ab auctoribus suis scripti sunt, librariorum negligentia turbatum dicunt, sed narrationes euangelistarum, quæ dissentire nonnunquam inter se videntur, conciliare student, singulisque historiæ partibus sua tempora assignare. Si Vir Cel. idem de libris Vet. Test. sentiret, nemo sane ejus conatus reprehenderet, simillimos optimorum interpretum, qui historiam & chronologiam in interpretatione adhibendam esse & dixerunt & suis exemplis comprobarunt. Sed cum ordinem textus valde turbatum contendat, quæstio hæc critica necessario accuratius examinanda est. Nam si vera sunt, quæ cum de confusione ipsa, tum de ejus occasione dicuntur, non ferri potest ordo adeo vitiosus, idque multo minus fieri debet, si historiæ & chronologiæ ope potest emendari.

docet quidem, qui ipsis conveniat ordo ex chronologia & historia, sed in iis pericopis confusionem membranarum librariorum negligentia factam esse, non asserit. Quin potius in Prolegomenis *p.* 12. contra SPINOZAM disputans, non prorsus improbabile esse judicat, ipsum *Esaiam* vaticinia sua collegisse, atque in eum, qui habetur, digessisse ordinem, cujus facti justas sine dubio habuerit rationes; quod ad *Jeremiam*, aliosque prophetas attinet, non dubitari posse, horum vaticinia e singulis schedis, quibus inscripta erant, a sacerdotibus aut discipulis eorum, viris piis, esse collecta. Ex quo clarum est, VITRINGAM ordinis chronologici neglectum non a librariis, sed a primis librorum sacrorum collectoribus repetiisse. LIGHTFOOTUS quidem Cel. HARENBERGIO (*pag.* 222. *l. c.*) ob idem institutum laudatus, eandem videtur pericoparum trajectionem in locis chronologiæ aut historiæ parum consentientibus statuisse. Dicit enim (in *Opp. Tom.* I. *p.* 236. in *Epistola ad Lect.*) *Se velle inire numerum textuum atque historiarum quaecunque in V. T. sede sua motæ sint, quod locis oppido multis factum sit; ostendere item, quæ propria iis sedes & ordo sit, & caussam exponere translationis in sedem aliam;* sed opus istud LIGHTFOOTI tantum intra promissa substitit, nescimus igitur, unde istam vio-

violentam pericoparum biblicarum trajectionem derivarit. Neque minus Cel. VENEMA e numero defenſorum hujus hypotheſeos eximendus videtur (HARENB. *Spicil. l. c. Claſſ.* III. *p.* 244.) Nam connexio illa *Gen.* VI: 1-8. cum fine capitis IV. cui pericopæ alia quaſi per parentheſin inſerta ſit, nempe integrum Caput V. a Viro Cel. non ex illa HARENBERGII hypotheſi probatur, ſed ex alia longe diverſa, a VITRINGA data opera adſtructa & defenſa (in *Obſerv.* S. L. 1. c. 3.) nimirum Moſen in conſcribenda hiſtoria patriarcharum, in manibus habuiſſe ſchedulas varias antiquiſſimorum temporum, ex quibus primum librum compoſuerit. Propterea etiam Cel. VENEMA *l. c.* non dixit, *collocandam* eſſe illam pericopam alio loco, ſed eam *connectendam* eſſe, nempe in lectione aut interpretatione cum antecedenti; atque adeo in *Commentario* in *Jeremiam* Vir ille Doctiſſimus neglectum temporum ordinem non ex ſchedulis confuſis derivat, ſed partim non conſtare fatetur, quæ ratio illius ordinis ſit, partim cauſam putat, non improbabiliter peti poſſe ex cognatione argumenti ſingulorum vaticiniorum, v. c. ad *Jeremiæ* caput XXV. Sed cum Cel. HARENBERGIUS nequaquam primus aut unus hujus hypotheſeos defenſor videri voluerit, jure aliquis miretur Triumviros illos, idem

prorſus cum eo ſentientes, SIMONIUM, HUBIGANTIUM & KENNICOTTUM ab eo non eſſe nominatos. Negat quidem (*Claſſe* V. *l. c. p.* 529.) contra *Cenſorem* BATAVUM, qui ei objecerat, inventum hoc eſſe RICH. SIMONII ſæpius refutatum, ſe auctoritate aliorum in ſententia ſua defendenda niti, ſed argumentis. In quo bene judicavit, quid ſibi faciendum eſſet. Sed quoniam alios nominarat ejusdem ſententiæ defenſores, non alienum videri poterat & eos nominare, qui quid ſenſerint de hac quæſtione, haud obſcure faſſi ſunt. Fortaſſe vero Vir Cel. videri noluit ſentire cum Criticis, quos nonnulli, quo jure quave injuria jam non quæro, ut audaciores & temerarios reprehendunt. Quidquid tamen hujus rei ſit, neque ego jam nimis curioſe quæram, num præter hos alii hanc hypotheſin defenderint aut adſtruxerint. Sint plures. Sed in pugna literaria victoria non a parte numeroſiore ſtare judicatur, ſed a rei veritate hujusque demonſtratione certa & ſolida. Non poſſunt adverſarii aliis armis pugnare, quam quibus jam pugnatum eſt ab eo, qui primus hanc controverſiam excitavit. Igitur eo tutius iſta disquiſitione ſuperſedere poſſum. Neque ego actum agere videbor, quibus in mentem veniat JO. HENR. MAJUM in *Diſſertat. S.* JO. MEYERUM in *Diſſertat.* II.

ad

ad Seder Olam, B. CARPZOVIUM in *Critica S. p.* 116. & alios hanc hypothesin SIMONII impugnasse, si horum virorum doctissimorum refutationes cum iis, quæ nos contra eum disputavimus, conferre velint. Quanquam enim lubenter concedo, multa ab eis bene & utiliter dicta esse, tamen haud scio an robur argumentorum SIMONII ita infregerint, ut recentiores Critici iis amplius insurgere aut eosdem impetus iterare non possint. Equidem existimavi ita pugnandum esse, ut concederem adversariis, quæ negari non possunt, hypothesin nempe eorum, universe consideratam, ex observationibus Criticorum in aliis libris veram esse, sed usum harum observationum esse posse, aut etiam necessarium esse in ordine textus hebræi constituendo, negavi. Idque probare studui, *partim* ex historia textus hebræi, *partim* ex modo quo adversarii, quod defendunt, accidisse fingunt. Quæ, si non improbabiliter, uti spero, disputata fuerint, non opus erit vindicias singulorum locorum suscipere, quæ adversarii in alium ordinem cogere volunt. Nam si historia huic hypothesi contraria est, atque in ratione ejus explicanda novæ hypotheses sive potius figmenta tantum afferuntur, quæ rei ipsi, quam probare debent, nullo modo conveniunt, corruunt omnia quæ ei superstruuntur,

tur, nempe, difficultates, quibus removendis adhiberi debebant, vel nullas esse apparebit vel alia ratione tollendas.

§. 4.

Antequam tamen ad partes indicatas tractationis meæ me accingam, præmittenda nonnulla sunt, quæ cum ad contradicentium sententiam tum ad meam recte intelligendam necessaria videntur. HARENBERGIUS quidem (in Meletem. §. 7 p. 222.) hanc hypothesin non solum minime noxiam aut adversantem integritati Scripturæ S. judicat, sed commendat eam etiam, tanquam admodum utilem atque validam ad repellendos omnes impetus, quibus aggrediantur S. Codicem, qui errores historicos & chronologicos haud paucos in eo deprehendisse sibi videantur. Reprehendit propterea curam providam eorum, qui *notationes ejusmodi criticas*, uti vocat, nolunt admittere, tanquam terrorem vanum & fictum: Nihil detrimenti verendum esse, hac hypothesi admissa, integritati SS., partes ipsas orationis manere integras & illibatas, modo collocandas esse alio ordine qui chronologiæ & historiæ conveniat, salva manere omnia fidei dogmata & præcepta morum, nihil mutari aut perire. Equidem nullus dubito de animi sinceritate,

qua

qua cum Cel. HARENBERGIUS, tum etiam alii, quibus fortaſſe hæc hypotheſis placeat, SS. auctoritatem tueri atque adverſus obtrectatorum reprehenſiones defendere cupiant. Sed vereor, ut conſilio eventus reſpondeat. Etenim ſperari non poteſt, ut hoſtes SS. deſinant eam ſpernere & calumniari, ſi vel omnes ejus partes hiſtoriæ & chronologiæ exactiſſime conveniant. Parum vero conſultum videtur concedere adverſariis, mutandum eſſe aliquid in Codice S. Hoc enim neceſſario fieri debet, quanquam S. R. HARENB. negat (cf. nota ſub * §. IV.) ſi damus errores a librariis membranarum confuſione admiſſos eſſe, qui hiſtoriæ & chronologiæ auxilio emendari poſſent. At ſalva manent verba ipſa, dogmata, præcepta. At non ſalva manet laus, quam SS. tribuimus, immunitatis ab omni corruptione. Hæc enim perit, ſi concedatur corruptio, ſive in ordine rerum ſit, ſive in rebus ipſis. Et ſi hoc datur adverſariis admitti potuiſſe in S. codice corruptionem, quæ ſit omnium Codd. (talis vero ſumitur eſſe ea contra quam diſputamus) nonne etiam quaſi jure ſuo adverſarii poſtulabunt, ut agnoſcamus etiam corruptiones dogmatum & præceptorum, quæ non minus ac illæ ordinis corruptiones omnes Codd. irrepſerint. Nimis deinde bene ſperat Cel. HARENBERGIUS de

hac lenitate sua atque indulgentia, quod hac hypothesi admissa omnes errorum a Scriptoribus S. commissorum reprehensiones a libris S. averterentur. Ipse agnoscit laborem pericoparum recte ordinandarum esse difficillimum, multa magnaque cautione opus esse, si recte & feliciter velimus in eo versari. Regulis in hanc rem praescriptis (§. 3.) ipse nonnunquam conditionem, *si fieri potest*, aut similes adjecit, quibus difficultates conatibus suis interdum obvios eosque insuperabiles prodidit. Num igitur sperari potest, ut talis ordo reperiatur, qui omnibus satisfaciat, in quo nullae difficultates supersint? Nonne novae orientur controversiae de ordine harum pericoparum restaurando? & si remanebunt, in aliquibus saltem difficultates quaedam, in quibus exsculpendis non segnes erunt adversarii, ut habeant quod reprehendant, nonne actum esse clamitabunt cum integritate & certitudine SS. quam tantopere gloriemur & sic quasi parta victoria triumphum agent? Igitur ne latum quidem unguem, uti est in proverbio, cedendum esse adversariis putem atque in eorum gratiam hypothesin admittere, quae, si vel in se possit esse innoxia, tamen temere allata Scripturae S. subversura sit ejus fundamenta. Haec enim ut inconcussa maneant

semper

ſemper videndum eſt omnibus, quibus verbi divini auctoritas curæ cordique eſſe debet.

§. 5.

Ne tamen hæc, quæ pro integritate SS. diximus, alio quam quo velimus trahantur, lectores monendi ſunt, ab hac hypotheſi excluſam eſſe famoſam illam de variis lectionibus Vet. Teſt. quæſtionem & diſputationem, quam utramque tandem noſtra ætate ita definitam & decertatam putem, ut nemo facile dixerit Varr. lect. Vet. Teſt. vel laborem earum colligendarum adverſari integritati SS. Nego corruptionem quæ ſit omnium Codd.; defendo integritatem SS. non unius modo Codicis ſed omnium quotquot ſuperſunt, ex quibus vera lectio eruenda, conferenda, reſtituenda eſt. Nihil mutandum eſſe cenſeo in textu ſine auctoritate Codd. Sed de hac parte integritatis jam non diſputatur, verum de ordine quo textus ipſe & loci ejus longiores, quos pericopas vocare ſolent, legitur. Hunc miſere turbatum ex rationibus §. II. allatis, reſtituendum ſuadent, non ex auctoritate & teſtimoniis Codd. quæ nulla habent, ſed ex conjecturis hiſtoria & chronologia ſuffultis. Quemadmodum vero conjecturas lectioni textus intrudendas nego, ita etiam hujus ge-

neris conjecturas censeo admittendas non esse, quæ ordinem textus concinniorem efficere putantur.

§. 6.

Sed jam audio voces Criticorum hanc hypothesin defendentium: itane negabis in Critica V. T. fieri posse, quod tam felici successu præstitum est a Criticis in libris humanis? Hoc remedio adhibito ARISTOTELIS de Poetica librum, multis in locis male affectum sanavit DANIEL HEINSIUS. Eandem medelam afferre HORATIO conatus est, quod idem, quanquam alia ratione postea tentarunt BOIVINUS & ALDRICHIUS. Quam male cohærebant in TACITI Historiis Lib. III. Capp. 5. & 65. in quibus jam nexus facillimus obvius est, postquam PICHENA & PUTEOLANUS trajectione unius durumve paginarum verum ordinem restituerunt? Quam feliciter GESNERUS LUCIANI Encomium Demosthenis librariorum incuria male divulsum ingenii sui εὐστοχίᾳ emendavit (*)? Quis

(*) Non alienum videtur ab hoc loco, observare similes trajectiones *typothetarum* errore etiam in *libris impressis* commissos esse. Talis est ea quam B. CARPZOVIUS commemorat in *editione tertia* Bibliorum BOMBERGI extare (in Critica S. p. 421.)

Quis dubitet igitur, quin hoc conjecturarum genus possit atque adeo debeat, si opus est, libris quoque Vet. Test. adhiberi. At enim vero

S. *p*. 421.) nempe in *Jeremia* inde a Cap. V. usque ad Cap. XVII. columnas male esse transpositas. Sed erravit Vir Doctiss. Non est hæc transpositio in Editione *tertia*, quæ Anno 1525. coepta & 1528. absoluta est, quod recte observat *l. c.* Sed alia similis per complures columnas decurrens in ea reperitur, quam, si hac occasione indicavero, historiæ literariæ studiosis non ingratum me facturum esse arbitror. Nempe in *Ecclesiaste* a Cap. III: 10. extremum columnæ vocabulum est האדם. Deinde sequitur ex libro *Esther* IX: 3. אשר, usque ad finem libri in duabus columnis. Porro *Eccles*. V: 17. אשר יפה usque ad finem ejus, quem excipit volumen *Esther* usque ad IX: 3. המלאכה. Tandem sequitur particula ex *Cohelet* quæ superest, nempe a Cap. III: 10. לענות בו usque ad V: 17. שוב Non dubito quin indicata a B. CARPZOVIO transpositio in alia quadam editione BOMBERGII reperiatur, quam evolvant, quibus harum editionum conferendarum copia datur. Equidem tertiam editionem possideo, ex qua hanc columnarum confusionem accurate notavi. B. BAUMGARTENIUS in *Relat. de libris memorabil.* II. *p*. 97. hanc editionem descripsit, sed neque hujus, neque illius a CARPZOVIO indicatæ transpositionis mentionem fecit.

vero neque ego is ſum, qui hoc neget. Potuerunt librarii in conſuendis voluminibus atque in plagulis librorum S. ordinandis errare & ſi ejusmodi errores in ea textus hebræi recenſione, quæ recepta eſt, evidenti ratione demonſtrari poſſunt, non amplius dubitabitur, quid facto opus ſit? Sed vereor ut Critici illi ad hoc emendandi genus adeo proclives unquam hanc conditionem impleant, qua præſtita demum ejusmodi conjecturæ viris harum rerum peritis probantur. Etenim his non qualiscunque difficultas in textu obvia videtur ſufficere, ut eam hac vi adhibita tollendam cenſeant, reprehendunt eos, qui ad hoc emendandi genus nimis properant, quod HEINSIO & BOIVINO evenit a BENTLEJO, qui connexionem minime coactam oſtendit in eo loco HORATII (Epiſt. II, 2, 87,) in quo illi erant trajectionem multorum verſuum ſuſpicati. Lubet adſcribere judicium ſuper hac re conjectoris feliciſſimi B. GESNERI. *Non valde commemorabiles putabam*, inquit, (in præfat. ad HORATIUM) *ullas trajectiones, quas* DAN. HEINSIUS *&* BOIVINUS *& non ita pridem* ALDRICHIUS *commenti ſunt, quod genus emendandi tum demum probabile ſit, cum poteſt ratio perturbationis vel folii unius pluriumve trajectione, vel ex verborum eorundem repetitione ita clare demonſtrari, ut oculis cerni & prope manu teneri res poſſit,*

quomodo

quomodo curatum a nobis Demosthenis encomium Lucianeum arbitramur. Atque ex eo genere sunt illæ trajectiones in TACITO admissæ, quas supra commemoravi;* in quarum prima, extrema paginæ vox in MSS. non cum prima proxime sequentis sed cum tertia demum legi & conjungi poterat. (cf. S. R. ERNESTI in notis ad ll. cc.) Quodsi igitur pari evidentia similes librariorum errores in compingendis Codd. commissi demonstrati fuerint, non habebunt hujus hypotheseos defensores neque nos neque alios, uti arbitror, refragantes. Quamdiu vero tantum ex eo, quod fieri potuit, ad ipsius facti veritatem argumentantur, non pudet nos modestiam summorum Criticorum imitari, qui conjecturas adeo improbabiles & ingenio tantum nixas serio improbant & rejiciunt.

§. 7.

Sed non parum juvatur judicium super sententia aliqua, si constat, quid moverit auctorem ut eam proferret aut defenderet. Nam fundamento retecto, quo hypothesis superstructa est, facilius de ipsa totius ædificii soliditate judicatur. Atque hujus quidem rei, de qua jam quæritur, non difficilis est indagatio. Ultro nobis ostendunt dissentientes fundamenta, quibus totum conjectu-

jecturarum suarum ædificium superstructum est. Nimirum tanquam indubie certum atque exploratum ponunt, scriptores S. ordinem historicum & chronologicum accurate servasse, Mosen in delineandis rerum omnium primordiis ita singula enarrasse uti quæque evenerint; eandem subtilitatem etiam reliquos S. historicos sectatos esse, prophetas sua vaticinia secundum eum temporis ordinem in librum collegisse, quo ab iis essent prolata. Quid enim, ita philosophantur, magis indignum est scriptore S. divinitus inspirato, quam rerum & temporum confusio? Quid moverit eos, cum historiam scriberent, res gestas alio quam evenerant ordine posteritati commendare? quid prophetas in colligendis vaticiniis suis tam parum temporis, quo dicta sint, rationem habere? Sane non verisimile videtur, hunc ordinis neglectum ab ipsis scriptoribus S. esse; liberi sunt viri sancti ab omni confusionis culpa aut negligentiæ reprehensione. Ast librarii, homines inscii, historiæ & chronologiæ ignari membranas adeo male ordinarunt, ut ista multis in locis confusio exsisteret. Quid igitur dubitemus pristinum ordinem restituere, quem rerum gestarum memoria temporumque notationes suggerunt? Hæc illi. Quibus etiam quædam universe dicta liceat regerere.

§. 8.

§. 8.

In interpretatione librorum antiquorum, si forsan incidant viri docti in loca difficiliora & quæ adeo de mendo suspecta sunt, optima & reliquis præferenda ratio difficultatis tollendæ habetur ea, quæ textu quam *minimam* vim inferat, quæ, quantum fieri potest, lectionem antiquitus traditam servet, atque aliunde potius quam ex Critica emendatrice subsidia afferat. Ex hoc genere esse videntur difficultates, quæ propter historiam & chronologiam neglectam nonnullis Scripturæ S. locis moventur. Peritissimis librorum S. interpretibus eæ nondum tantæ visæ sunt, ut necesse esset ordinem lectionis antiquissimum immutare. Duplici vero modo eos video solvisse nodos illos nexos, ut vel concederent, neglectum esse interdum ordinem historicum, vel negarent, esse difficultatem in ordine recepto. Atque illud quidem dare poterant his, qui sine reprehensione hoc de scriptoribus S. dici non posse existimarent, dummodo probetur, partim licitum esse historico interdum non nimis accurate ordinem servare, partim non temere sed ob rationes probabiliter cognoscendas hunc ordinem præ alio esse electum. Quod ad prius attinet, non ignorabunt, qui scripto-

ſcriptores græcos & latinos diligenter tractarunt, eos, qui præ aliis laudem elegantiæ, perſpicuitatis atque ἀκριβείας, in narrationibus habent, tamen nonnunquam a ſerie temporis recedere. TACITUS quidem (Annal. XII, 40.) poſtquam conjunxerat, quæ per plures annos geſta erant, monet lectorem hoc non per negligentiam aut ignorantiam factam eſſe, ſed conſilio, *ne diviſa haud perinde ad memoriam ſui valerent*. THUCYDIDES contra propter obſcuritatem reprehenditur a DIONYSIO HALICARNASS. quæ ex eo veniat, quod nimis ſtudioſe temporis ordinem ſecutus ſit (vid. VOSSIUS *de Arte Hiſtorica* Cap. 24.) Quid igitur vitio vertatur Moſi, aut aliis ſcriptoribus ſacris, quod interdum jungunt, quæ, ſi annorum ſeriem ſpectas, ſeparanda fuiſſent? Atque etiam præterea ſicuti ſcriptores humani non ſine ratione, ordinem, quem rerum geſtarum conſecutiones requirere videbantur, deſerunt: ita etiam divinorum librorum auctores non temere, quem elegerunt ordinem alii prætuliſſe nobis videri debent, qui adeo interdum ſatis veriſimiliter rationem illius conſilii intelligere poſſumus. Sic narratio illa *Geneſ.* XX. de pulchritudine Saræ, qua Abimelech rex Geraræ captus eſt; RICH. SIMONIO (in præfat. ad Hiſt. Crit.) atque etiam S. R. HARENBERGIO (in Meletem. p. 218.) loco ſuo mota

vide-

videtur, collocanda ex ſententia HARENB. inter verſ. 2 & 3. Capitis XIII; minime enim probabile eſſe, Saram quæ jam nonageſimum annum compleverat XVII, 17. pulchritudine ſua potuiſſe regem allicere. Equidem neque cum his duumviris voluminum confuſionem ſtatuendam eſſe putem, neque confugiendum cum quibusdam aliis ad miraculoſam pulchritudinis Saræ conſervationem, aut alias æque improbabiles rationes, ut narrationem ſuo loco ſtare defendatur. Sit ei locus, ſi annorum ſeriem ſpectes, proprius, quem Cel. HARENB. tribuit; Moſes vero eam, quippe cum alia illius hiſtoriæ parte non arcte cohærentem, rectiſſime in h. l. collocavit, ſerie non interrupta partem hiſtoriæ Abrahami Cap. XIII. inchoatam, continuans. Similis locus eſt *Exod.* XVIII. de adventu Jethronis, quem Moſes ante profectionem verſus montem Sinai ponit XIX, 1, 2. cum tamen ſecundum v. 5. poſt iter populi ad montem illum accidiſſe neceſſe ſit. SIMONIUS quidem (Hiſt. Crit. Lib. I. Cap. V. p. 36.) ut avertat a Moſe reprehenſionem ordinis neglecti, iterum culpam in ſchedularum confuſionem conjicit, nec tamen alium locum huic narrationi magis proprium aſſignat. Fecerat vero hoc jam ante eum LIGHTFOOTUS (in Chronica Temp. Tom. I. Opp.

p. 33. & 34.) non quidem ex eadem hypothesi sed propter connexionem totius historiæ, quæ vult, ut hoc Caput inter versum decimum & undecimum Capitis X. Numerorum ponatur. Ratio vero quæ Mosen moverit, ut hanc historiam ad hunc locum referret, ab ipso videtur in primo versu subindicata. Postquam nempe Jethro fama acceperat ista tanta miracula, quæ Deus in Mosis populique sui gratiam ediderat, iter illud suscepit. Cum igitur in antecedentibus Capitibus hujus libri Moses illa miracula omnia ex ordine exposuisset, non incommode effectum huic narrationi subjungit, quem fama de illis produxerat in animo Jethronis nempe reverentiam & venerationem Dei Israëlitarum. Quanquam hæc satis plana sunt, uti arbitror, tamen Cel. HARENBERGIUS, LIGHTFOOTII sententiam improbat (in Meletem. p. 231.) atque argumenta, quibus huic Capiti sedem suam in Numerorum libro vindicare studuerat, tanquam admodum infirma rejicit. Illud vero, quod nos supra indicavimus & quod Prolipsin historicam in h. l. evincit, intactum reliquit. Alter modus quo docti Scripturæ S. interpretes difficultates indicatas removent, est is, ut negent deesse ordinem in narratione, atque hunc ex totius loci connexione demonstrent. Dici non potest, quam procli-

ves

ves sint ad ejusmodi nodos nectendos, qui hac hypothesi decepti ad SS. lectionem accedunt; ubique ordinem turbatum, folia trajecta, pericopas rectius ordinandas vident. Ex multis exemplis unum alterumque afferre liceat. *Genes.* XXI. *versus* 3, 4, 5. SIMONIUS l. c. ordine inverso legendos putat, cum rei narratæ melius conveniat, ut primo Abrahami ætas indicetur, qua ei filius natus sit, deinde circumcisio et tandem nominis impositio, quæ illam semper secuta sit, exponatur. Sed quis unquam historicum ita in ordinem coget, ut etiam in rebus eodem fere tempore gestis, quales sunt circumcisio & nominis impositio apud Judæos, summam semper subtilitatem sectetur. Ejusdem valoris est crisis Simoniana *l.* c. ad *Genes.* XXXI: 46. quo in loco etiam alium ordinem nescio quem desiderat. Videtur ei Moses convivium, quo Labanem excepit parum accurate foederis pactioni præposuisse. Similes argutias affert ad *Exod.* XXII: 1-4. (l. c. p. 30.) in quibus refellendis non est quod copiosi simus. Nam ut alia taceam infra proferenda, quibus breves illæ singulorum versuum trajectiones ex ipsa horum Criticorum hypothesi refutantur, semper meminisse debemus, in gente Hebræa artem scribendi nunquam ad præcepta esse effictam & formatam; iniquum igitur

p. 33. & 34.) non qu
theſi ſed propter conn
riæ, quæ vult, ut hoc
decimum & undecimu
rorum ponatur. Rat
moverit, ut hanc hiſt
referret, ab ipſo vic
ſubindicata. Poſtquam
acceperat iſta tanta m
Moſis populique ſui g
illud ſuſcepit. Cum ig
Capitibus hujus libri
omnia ex ordine exp
de effectum huic nar
fama de illis produ
nempe reverentiam
Iſraëlitarum. Qua
, uti arbitror
LIGHTFOO
Meletem. p.
s huic Cap
libro vi
dum infi
ſupra in
ricam i
r mod
tes

...dæorum de se ipsis, ...gnam esse vanitatem ...rumque suorum meri- ...dum dubiam & incer- ...læi scrupulosam istam ...dhibeant sedulitatem, ...mis temporibus eadem ...ne sic quidem immunes ...mni errandi periculo. ...c omnino negare non ...Judæorum traditioni- ...fidem tribuere, nimis ...primis cum res ipsa pro ...m primo leges illæ de dili- ...one Codd. observanda non ...omnes, recentioris ætatis, ...Talmudico, cui a scribis ...um est, (מַסֶּכֶת סוֹפְרִים) ...ipitur de tota illa ἀκριβεία in ...gis observanda. Aucta qui- ...c concedo a recentioribus Ju- ...oribus & commentatoribus in ...m, variis præceptis novisque ...s, pro male sedula istius gentis ...xcogitatis; sed hæc non obstant, ...s iste libellus testimonium perhi- ...æ non improbandæ antiquorum Ju- ...a pro Codd. diligenter & accurate Neque hoc ignoro, hunc tracta- habere parem cum ipso opere Tal-

adhibere volumus, quae multis verborum ambagibus describunt summum studium, maximamque curam & circumspectionem, jam antiquissimis temporibus adhibitam in descriptione legis Mosaicae, res fere esset confecta: nec egeret ulteriore probatione. Etenim leges enumerant tot tantaque cum cautione latas observandas ei qui Codicem S. velit describere, ut errores adeo graves, qui tantam libris S. inferrent confusionem, nullo modo potuissent admitti. Quisque rerum Judaicarum paullulum modo peritus intelliget, me illam Judaeorum sedulitatem innuere, qua in libris Mosaicis describendis utuntur. Qui corruptionis librorum S. accusationem a Judaeis amovere cupiunt, solent eam plerumque tanquam primarium argumentum afferre. Sed nolo ego copiosus esse in repetendis hoc loco legibus illis, quibus Judaei studium suum in Pentateuchi descriptione commendare solent. Non quod his nullum prorsus argumentum inesse putem, quod pro integritate Scripturae S. afferri posset, sed quod non tantum ejus robur mihi quidem, quantum plerisque videatur. Nam quibus illa Judaeorum diligentia in describendis Codd. suis opponitur, qua omni librorum S. corruptioni cautum sit: hos scio vim hujus argumenti eo eludere, quod non adeo multum tribuendum esse

dicant

dicant testimoniis Judæorum de se ipsis, quorum constet permagnam esse vanitatem in laudandis suis majorumque suorum meritis, remque esse admodum dubiam & incertam, si vel hodie Judæi scrupulosam istam in depingendis Codd. adhibeant sedulitatem, parem esse antiquissimis temporibus eadem in re usurpatam & ne sic quidem immunes fuisse scribas ab omni errandi periculo. Quanquam vero hæc omnino negare non audeam, tamen his Judæorum traditionibus, nullam plane fidem tribuere, nimis iniquum videtur, inprimis cum res ipsa pro iis loquatur. Nam primo leges illæ de diligentia in descriptione Codd. observanda non sunt, saltem non omnes, recentioris ætatis, sed in Tractatu Talmudico, cui a scribis nomen impositum est, (מַסֶּכֶת סוֹפְרִים)

diligenter præcipitur de tota illa ἀκριβείᾳ in descriptione legis observanda. Aucta quidem esse hæc concedo a recentioribus Judæorum doctoribus & commentatoribus in hunc libellum, variis præceptis novisque subtilitatibus, pro male sedula istius gentis diligentia excogitatis; sed hæc non obstant, quo minus iste libellus testimonium perhibeat curæ non improbandæ antiquorum Judæorum pro Codd. diligenter & accurate scriptis. Neque hoc ignoro, hunc tractatum non habere parem cum ipso opere Tal-

mudico antiquitatem atque propterea partem ejus stricte sic dictam non constituere: est tamen omnibus aliis scriptoribus, qui hac de re exposuerunt antiquior, ita ut ex eo instituta Judæorum proximis a Talmude confecto temporibus cognoscere liceat. Deinde inspectio Codd. qui antiquissimi habentur, de hac ipsa cura & diligentia Judæorum in libris S. describendis testatur. In illis enim admirantur omnes, quibus tales manibus versari copia fuit, nigrorem atramenti, laudant curam in dimetiendis lineis, prædicant artificium in ductu literarum conspicuum. Quæ cum a Criticis in signis bonorum Codd. numerantur, sequitur istas leges de ratione Codd. describendorum non esse recentius Judæorum inventum, sed jam antiquissimis temporibus Judæos esse in hoc labore cum cura versatos. Quorsum vero hæc? Ut Judæorum scribas omnium omnino errorum immunes faciamus? ut nullibi in tali Codice, ista tanta cura & circumspectione scripto & correcto, calami errores dicamus superfuisse? Minime. Sed ut intelligatur perquam improbabile esse & fere fieri non potuisse, ut in tanta Judæorum sedulitate membranæ ordine confuso consuerentur, atque si vel hoc ponatur aliquando accidisse, ut in Codicis revisione iterata error adeo crassus & supina negligentia mox deprehenderetur.

§. 11.

§. 11.

Sed cum omnis laus incorruptæ & minus vitiosæ lectionis pendeat a fide recensionis diligenter factæ, optimum ad consilii nostri rationem videtur, ut in antiquissimarum recensionum historias inquiramus, & a quibus quamque diligenter curatæ sint, investigemus. Etenim si vel probabiliter tantum poterit demonstrari lectionem vulgarem esse nobis traditam ab iis, quibus in recensendo neque fides defuit, neque diligentia, valde iniquus sit necesse est receptæ lectioni, qui mera possibilitate, ut hoc verbo utar, permotus, confusiones membranarum adeo insignes & frequentes ei illatas esse dicere sustineat.

§. 12.

Atque prima recensionis diligenter factæ vestigia in temporibus Esræ quærenda esse nullus dubitem affirmare. Judæos quidem si testes audire volumus, Esra perfectum Criseos exercendæ exemplum exhibuit, atque muneribus Critici in recensendo textu hebræo, per longum illud captivitatis tempus valde depravato, omni ex parte satisfecit, adjutus hac in re a collegis suis, viris Synagogæ Magnæ. Dicunt enim eum

tribus Codd. usum fuisse ex quibus veram lectionem, inprimis in genealogiis, restituerit, puncta & apices (תגין) literarum appinxisse, sine quibus genuina lectio non constet, versus atque adeo literas omnes numerasse, inque iis omnibus, θεοπνευςίας beneficio esse a Deo dignatum. Sed in his Esrae laudibus partim Judaeos ipsos non satis constantes esse, partim multa ab iis dici sine idoneis argumentis, nec non rebus ipsis adversa, dudum observarunt viri docti, artis Criticae vere periti. (cf. HAVEMANNI Hyle ex scriptis Judaeorum ad Criticam S. spectans, quod insertum legitur Tom. III. pag. 461. seqq. Symbolarum literar. Bremens.) Etenim si Esra in illo labore θεόπνευςος fuit, quid adjutoribus opus erat viris Synagogae M., quid tribus Codd. ex quibus tam curiose veram indagabat lectionem? quis dignum censeat viro divinitus inspirato laborem prorsus inutilem, versuum vel literarum numerandarum reliquarumque minutiarum Masorae, longe recentioris Esrae temporibus inventi. Sed quod VITRINGA rectissime, uti arbitror, judicavit, (in Synagog. Vet. Lib. I. P. II. Cap. 12.) Judaeos in historia gentis suae multa quidem fingere, ita tamen ut veritas per fictiones eorum facile pelluceat: idem de adjectionibus illis, quibus Esrae merita circa Cod. S. ornarunt,

sen-

ſentiendum eſſe puto: Nam quis a veritate alienum judicet, virum illum divinum, qui flagrabat ſtudio non ſolum ſtatus civilis patriæ ſuæ reſtituendi, ſed eccleſiaſtici etiam, cujus, ut in omni rep. ita inprimis Judaica cum altero maxima fuit conjunctio, ſecundum inſtituta Dei iterum ordinandi, librorum S. qui norma eſſe debebant, novi emendatique ordinis, primam curam geſſiſſe? Ea vero alia eſſe non poterat, quam quæ in eorum integritate atque accurata lectione ſe proderet. Atque in hoc labore, vel dicamus Esram Codd. uſum fuiſſe, quorum collatione vitia correxerit, quæ fortaſſe in libros uſus vulgaris irrepſerint, vel ſtatuamus eum θεοπνευστίας munere in hoc negotio eſſe a Deo dignatum, dubitari certe non poteſt, quin Codd. ab eo vel ſcripti vel curati, fuerint emendatiſſimi. Nolo equidem pertinacius defendere Esram ſua manu Codd. ſcripſiſſe, quæ multorum eſt ſententia eaque non prorſus improbabilis; ſed hoc negare nemo ſuſtineat, Codd. ab Esra cultui ſacro recens ab eo conſtituto, deſtinatos, diligenter ſcriptos & correctos fuiſſe. Illud enim honoris titulus, quo Esra inſignitur סֹפֵר מָהִיר Cap. VII, 6, non extra omnem dubitationem ponit, quoniam ספר non tantum librarium aut ſcribam notat, ſed etiam inter-

interpretem, doctorem, quales fuerunt γραμματεῖς tempore Christi, qui non tantum librarii sed quam maxime etiam populi doctores fuerunt, *Matth.* VII: 29. *Marci* XII: 35. atque multo minus jactata a Judæis antiquitas *Codicis Bononiensis*, quem manu ipsius Esræ scriptum venditarunt (vid. WOLFII Bibl. Hebr. T. II. p. 285. & KENNICOTTI Disp. I. vers. lat. p. 293.) Hoc vero summa cnm probabilitate colligitur ex historia quæ ferventissimum illud Esræ studium testatur, Nehemiæ, prophetarum ultimorum aliorumque virorum divinorum horum ætatem proxime sequentium, quo incensi, quin in Codd. describendis summam curam adhibuerint & circumspectionem, nemo improbabile dixerit. Ast, quæso, quam exigua cautione opus est, quo minus membranæ ordine inverso consuantur?

§. 13.

Sed dicat aliquis: magna quidem sunt in rempublicam Judaicam cum civilem tum ecclesiasticam Esræ & collegarum suorum merita, sed unde constat illa sapienter & pie instituta esse sequentibus temporibus servata? unde probatur in tantis illis tempestatibus quibus Judæorum resp. jactata fuit, non omnia iterum sublata esse tantumque Codicis

S.

S. neglectum denuo obtinuisse, quantus antea fuerit? Ingens iste traditionum cumulus a Pharisæis legi divinæ superadditus arguit ejus contemtum, ex quo Codd. corruptio aut depravatio sponte sua traxerit originem. At enim vero duo nobis succurrunt ex historia Judaica, quæ non solum probant, istas Judæorum dissensiones circa legem divinam *ejus* conservationi non offecisse, sed etiam Codd. descriptionem minime negligenter esse institutam, evincunt. Primum est dissensus sectarum inter Judæos in traditionibus vel defendendis vel rejiciendis. Alterum, origo Synagogarum ad hæc tempora referenda. De utroque igitur est dicendum.

§. 14.

Quanquam illa religionis patriæ puritas cultusque publici ad mandatum divinum restauratio, ab Esra aliisque viris divinis instituta, non diu post eorum ætatem variis errorum maculis foedata fuit, tamen librorum S. integritatem a corruptione liberam mansisse existimo. Etenim ex historia sectarum istarum inter Judæos dominantium satis constat, eas divinam Scripturæ S. auctoritatem minime in dubium vocasse, sed de ejus sufficientia diversimode sensisse. Pharisæi quidem traditionum observationem defen-

defendebant, sed iidem illi nihil minus quam legis divinæ volebant contemtores videri, quin potius diligentissimi ejus interpretes atque adeo cultores. Karæi & Sadducæi, qui omne traditionum studium improbantes, literam legis tantum urgebant, eo minus corruptionis Scripturæ S. aut contemtus possunt accusari, quin potius strenui ejus defensores & custodes adversus omnem corruptionem, si qua forte a Pharisæis tentata fuerit, (quanquam nullum hujus suspicionis indicium in historia reperitur) videri debent. Reliqua harum sectarum dogmata, quia cum instituta disputatione nullam conjunctionem habent, non tango, neque alia quæ ad historiam earum pertinent, ex libris, qui vel de rebus Judæorum universe exponunt, vel in origines harum sectarum data opera inquisiverunt, petenda. Mihi quidem sufficit in præsenti lectoribus in memoriam revocasse summum studium & reverentiam librorum divinorum, quam Judæi omni tempore post restitutam, Esræ & collegarum suorum opera, rempublicam, vel in summa morum & religionis corruptione præ se ferebant, quamque diversæ & plane contrariæ Pharisæorum & Karæorum sententiæ tollere non videbantur. Etenim Pharisæi contra Karæos & hi contra illos disputantes placita sua eadem ratione, qua hodienum diverse

sen-

ſentientes in religione utuntur, calumniando SS. defendebant. Ipſa vero verba librorum S. immutata manebant, nec ab ulla diſſentientium parte ſollicitabantur. Karæos vero literam textus, quam vocare ſolent, adverſus myſticas & allegoricas interpretationes atque adverſus traditiones urgentes, quis dubitet Codicibus ne ulla inferretur corruptio caviſſe, atque ut ipſi ſemper Codd. haberent accuratiſſime ſcriptos omnem dediſſe operam? Ex quibus id modo colligi velim, non eſſe cur ſuſpicemur, per ſectas poſt Esræ tempora inter Judæos ortas textui S. illatas eſſe corruptiones, aut eum ita negligenter eſſe habitum, ut deeſſent, qui ejus pure & integre ſervandi curam agerent.

§. 15.

Porro diximus Synagogarum inſtitutionem argumentum ſuppeditare non contemnendum, quo probari poſſit, poſt Esræ tempora inter Judæos Codd. fuiſſe ſat multos eosque emendate ſcriptos, quod quale ſit jam videamus. Equidem non ignoro quæſtionem eſſe admodum implicatam de origine Synagogarum, & qui eam inveſtigarunt, prima initia exercitiorum religionis certis locis habitorum, ſibi viſos eſſe inveniſſe vel ante captivitatem Babylonicam, vel poſt reditum

Ju-

Judæorum in patriam remque publicam restitutam. Sed missis illis disputationibus quæ ad rem propositam parum faciunt, loquar tantum de temporibus Esræ & Nehemiæ, in quibus clariora Synagogarum indicia reperimus. Illos enim duumviros de emendatione status civilis & ecclesiastici in patria sua optime meritos, occasionem dedisse Synagogis exercitiisque religionis in iis habendis admodum probabiliter adstruxit doctissimus VITRINGA (de Synagog. Lib. I. P. II. Cap. 12.) In conventu illo solenni religionis ergo habito, quem Nehemias Capite VIII. descripsit, plerosque eosque præcipuos esse ritus observatos legimus, qui postea Synagogarum fuerunt atque hodienum a Judæis observantur. Loca quidem his piis exercitiis destinata fuisse atque in hunc finem exstructa, in horum temporum historiis nondum legimus, neque adeo in libris Maccabæorum Synagogarum mentio fit, cum sæpe earum commemorandarum occasio esset; ex quo VITRINGA colligit, aliis tamen contradicentibus, ne illis quidem temporibus ædificia certa his sacris destinata fuisse. Sed his quoque disputationibus supersedere possumus, cum tantum indicia quæramus Codicum S. a Judæis scriptorum & lectorum. Ea vero in illis Synagogarum originibus admodum luculenta deprehendimus.

tibus. Esra enim ipſe Scriba peritus, collegas habuit ſacerdotes & Levitas multos pari ſtudio legis divinæ incenſos, num hos unum alterumve modo Codicem, eumque negligenter ſcriptum, manibus triviſſe credemus? Populum deinde, exemplo & adhortationibus doctorum ſuorum amore legis divinæ imbutum, ſibi quoque exemplaria librorum S. deſcribenda curaſſe, nemo improbabile dixerit. In hiſtoria quidem Maccabæorum Lib. I. c. 1, 59, 60.) narratur, *libros S. ſciſſos & igne combuſtos eſſe, eos vero apud quos inventi fuerint, ſupplicio eſſe affectos:* in literis ad Spartanos a Jonatha nomine populi miſſis, ſolatium ſibi eſſe prædicant *libros S. quos diligenti manu verſentur.* Etenim hoc eſt hiſtoria conſtat atque ab aliis jam eſt obſervatum, Judæos poſt reditum ex captivitate Babylonica idololatriam, cauſam exilii adeo funeſti, quam maxime eſſe deteſtatos & lectioni legis diligentius longe quam antea dediſſe operam. Quo in ſtudio vehementer adiuti ſunt lectione ſolenni legis Moſaicæ ſingulis Sabbathis in Synagogis habenda, quæ quin inter Judæos inde ab Esræ temporibus obtinuerit, quanquam ſubinde illa religionis exercitia novis ritibus aucta ſint, dubitari vix ſinit teſtimonium Jacobi Apoſtoli *Act.* XV: 21: Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος.

In quibus verbis duo velim attendi. Primum, institutam esse hanc prælectionem inde ab antiquis temporibus in Synagogis; alterum, factam eam esse per singula oppida. Quod ad prius attinet, scio quidem viros doctos negare, ex illis verbis, ἐκ γενεῶν ἀρχαίων tempus certum illi lectioni assignari posse. Quod nec ego facere audeam. Sufficit si ei tempus Esræ ætate non posterius conceditur. Quodsi quis antiquiora adhuc ei tribuere velit, non contradicam. Alterum quod est in verbis Jacobi, factam esse hanc prædicationem κατὰ πόλιν *oppidatim* inprimis facit ad rem nostram. Dicitur enim lectitatos esse Mosis libros non in una urbium, nec unius Cananææ urbibus, sed in omnibus in quibus Judæi Synagogas haberent. Quænam vero urbs illorum temporum celebris extitit, in qua Judæi sedes suas non fixerint? Multa hoc loco transscribere possem testimonia ex JOSEPHO & PHILONE, si hoc agerem, nec res satis nota esset & probata ab aliis, qui ex instituto de ea exposuerunt. Hoc vero silentio præterire non possum, Judæos, in omnibus illis regionibus & urbibus quas tanta frequentia inhabitabant, patrios mores patria instituta observasse atque propterea eo minus pepercisse sumtibus exstruendarum Synagogarum, quo fortunatiores plerumque res eorum erant inter gentes inter quas vivebant. Sed quorsum

ſum hæc diſputo? Nempe ut intelligatur
§ XIII.) non remiſiſſe poſt Esræ tempora
iter Judæos ſtudium librorum S. nec de-
iiſſe exemplaria diligenter ſcripta. Nam
um tantus eſſet Synagogarum numerus in
mnibus locis, in quibus Judæi habitabant,
iſignis etiam fuit copia Codicum S. quibus
i lectione publica utebantur. Atqui vero
jusmodi Codices uſibus ſacris deſtinati, quin
umma diligentia ſcripti fuerint, quis ambi-
at, qui meminerit Judæos ſemper poſt re-
itum ex captivitate Babylonica earum re-
um, quæ externum religionis ſuæ exerci-
ium conſtituebant, diligentiſſimos fuiſſe &
n rebus minimis fere modum exceſſiſſe.
gitur dicere auſim, fieri non potuiſſe, ut
n Codicibus illis, qui prælectionibus publi-
is inſervire debebant, ejusmodi membra-
arum confuſiones, de quibus jam diſputa-
ur, ſcribarum negligentia admitterentur.

§. 16.

Sed nondum poſſum dimittere locum illum
e Codicibus Synagogicis. Habet enim an-
exas duas alias quæſtiones non omittendas.
Nimirum num præter libros Moſaicos etiam
eliqui Vet. Teſt prælecti ſint? porro, num
ectio facta ſit ex voluminibus, an ex libris
uadratis? De utraque paucis dicam. Pri-
a quidem poſſet in dubitationem vocari,
i verum eſſet, quod Judæi tradunt, pera-
tam eſſe lectionem in Synagogis, jam anti-

quiſſimis temporibus ſecundum ſectiones eas, quas *Paraſchas* & *Haphtharas* vocant, ſecundum quas hodie lectionem librorum S. ſolent inſtituere. Etenim *Haphtharæ*, quod ſatis conſtat, pericopæ ſunt ex libris propheticis, cum prioribus tum poſterioribus, excerptæ, quarum igitur prælectione a Judæis magna pars horum librorum omittitur; præterea ex tertia parte, quam ipſi conſtituunt, omnium librorum S. Vet. Teſt. quam *Cetubim* ſ. Hagiographa vocant, quosdam libros prorſus a lectione publica rejiciunt; Proverbia nimirum, Jobum, Danielem, Esram, Nehemiam, Libros Chronicorum. Quodſi igitur pars adeo inſignis librorum S. olim jam in Synagogis Judæorum lecta non fuit, horum librorum quoque exemplaria in eis reperta nulla ſunt, neque adeo tanta multitudo fuit Codd. Hebræorum, quantam ex multitudine Synagogarum antea probaveram. Sed bene habet. Diviſio illa librorum Moſis in Paraſchas, & Sectiones illæ prophetarum in Haptharas, tantam non habent antiquitatem, quantam eis Judæi affinxerunt, nec ullo teſtimonio ex ſcriptoribus qui harum ſectionum commemorandarum occaſionem habebant, poteſt probari (*).

Lecti

(*) Vid. HENR. SCHARBAU Diſſ. de Veſtigiis Pericoparum Synagogæ in N. T. fruſtra quæſitis; quæ inſerta eſt Vol. I. *Novæ Bibliothecæ Lubec.* Eandem quam B. SCHARBAU in hac Diſſer-

Lecti olim fuerunt libri S. omnes in antiquissima ecclesia Judaica sine delectu, quemadmodum postea in Christiana factum est. Christi quidem temporibus volumen Esaiæ in Synagoga reperiebatur, quod nunc ex Judæorum Synagogis exulat. Prælegit enim teste Luca Cap. IV: 16. ex Esaiæ libro locum quendam, qui ipsi commodus videbatur, qui tamen in Haphthararum Judaicarum numero non habetur. Igitur dubitari non potest quin olim in Synagogis Judaicis exemplaria omnium librorum S. extiterint, eaque pro studio Judæorum erga legem suam accuratissime scripta. Tanta ergo Codd. S, inter Judæos copia fuit, quanta Synagogarum multitudo; immo si quis in una Synagoga

Dissertatione docte & solide defendit sententiam, antea jam, paucis tamen, subindicarat Theologus de Ecclesia nostra meritissimus, B. LOESCHERUS in libro, de Causis Linguæ Hebr. p 69. cujus verba, cum pauca sint, non alienum videtur hoc loco adscribere: *Ipsam tamen*, inquit, *Paraschbarum divisionem & ad Sabbatha certa adstrictionem post excidium urbis demum factam existimo, quippe cum Christus die Sabbathi in Synagoga prælecturus elegerit, quam volebat Esaiæ partem, Luc.* IV: 17. *quod, si legibus fuisset contrarium, ipse vitandæ offensionis gratia non fecisset, aut sine Judæorum obmurmuratione facere potuisset: etsi sciam plerosque doctissimos viros pro moris istius antiquitate tamquam pro aris & focis depugnare.*

goga plura librorum S. exemplaria ſervata eſſe dixerit, nobis quidem hoc a rei veritate alienum minime videretur. De altera quæſtione, quam ſupra poſuimus, utrum lectio facta ſit ex voluminibus an ex libris quadratis, ſtatuatur in quamcunque partem, fieri potuit, ut membranæ ſive folia confunderentur. Sed quoniam nobis hoc loco ſermo eſt de Codd. Synagogicis, prius affirmare non dubitem. Judæos enim patriorum rituum tenaciſſimos, volumina cum commodiori Codd. uſu permutaſſe, credibile non eſt. Videmus eos etiamnum ſimulacrum quoddam antiquæ Synagogæ ſervare in ſcriptione Pentateuchi non niſi in Volumine. Sed indubium argumentum videtur præbere locus Lucæ ſupra allatus. Chriſto Synagogam Nazarethanam ingreſſo offertur Volumen Eſaiæ: ϰ̀ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον κ. λ. Si quis hæc verba vertere velit: *& aperiens librum*, & librum quadratum intelligere, quo Jeſus uſus ſit, non prorſus repugnaret ſignificatio uſui verbi ἀναπτύσσειν alias obvio, ſed huic loco parum apta eſſet. Nam cum Jeſus lectionem abſolviſſet dicitur ille iterum πτύσσειν τὸ βιβλίον, verſ. 20. quod de Codice intelligi non poteſt. Neque juvatur hæc explicatio varia lectione ϰ̀ ἀνοίξας, quæ eſt Codd. quorundam. Nam ſi vel plurium eſſet majoriſque auctoritatis, tamen poſſet ex uſu loquendi hebræo de volumine

intel-

intelligi. Verbum enim פתח Hebræis hac de re dicitur atque adeo videtur proprium fuiſſe. Esra quidem in lectione legis ſolemni ſine dubio Volumine uſus, dicitur *aperuiſſe* librum *Nehem* VIII: 5.

§. 17.

A Judæis Codices ſuos acceperunt Chriſtiani. At quam bonos, quam accurate ſcriptos? At deeſſe non poterat copia exemplarium correctorum coetibus Chriſtianis, in quibus tot erant gente Judæi fidem Chriſti profeſſi. Sub ipſa religionis Chriſtianæ initia multos ex ſacerdotibus nomen dediſſe Chriſto auctor eſt D. Lucas *Act.* VI: 7. Ab his, quis improbabile dixerit, multa exemplaria allata eſſe coetibus ſacris pura & incorrupta? Sed cum poſtea per uſum linguæ græcæ, linguæ hebrææ notitia tantum inter Judæos conſervaretur atque libri S. ex verſione græca à plerisque legerentur, huic vero per temporis injuriam aliasque cauſas, hoc loco non repetendas, maxima illata eſſet corruptio: ORIGENES arduum hoc opus aggreſſus eſt, atque emendationem hujus verſionis, quæ tum omnium manibus verſabatur, ſuſcepit. Sed hanc recenſionem ita inſtituit, uti decebat Criticum ab artis grammaticæ præceptis omnibus inſtructum. Etenim probe perſpexit, verſionis emendationem non recte fieri poſſe, niſi ex textu originali ex quo facta ſit. Igitur cum illius

correctionem moliretur, hujus quoque *recensionem* ad fidem optimorum Codicum exhibuit. Nimirum constat ex historia operis Hexaplaris, in primo cujusque paginæ laterculo scriptum fuisse contextum librorum sacrorum literis hebraicis, ex quo cognosceretur, quo modo huic versiones græcæ e regione positæ vel responderent, vel respondere deberent. At enim vero non ex uno tantum Codice, qui forsan ad manus fuerit, ORIGINEM textum Hebræum descripsisse, sed plures a se esse adhibitos, ipse testis est in Epistola ad AFRICANUM. (Tom. I. *Opp.* pag. 13. edit. RUÆI). Atque etiam bene illum laborem ORIGENI successisse testatur ingens applausus, quo hæc ejus cum textus hebræi tum versionum græcarum recensio excepta est. Sed quid? num hæc melius respondet temporum rationibus quam vulgaris, qua nos utimur? num res gestæ quam in Mose reliquisque historicis libris legimus eo ordine narrantur, quo SIMONIUS & qui ejus hypothesin defendunt eas legendas esse dicunt? Ipsius quidem textus hebraici recensio, quomodo ab ORIGENE curata est, ad nostram ætatem non pervenit, sed licet, id quod nos quærimus, satis tuto colligere ex Codd. Versionis græcæ, Alexandrino & Vaticano, descriptis, quod Viris doctissimis videtur, ex recensione illa ORIGENIS. (vid. Epistola MORINI ad PATRICIUM JUNIUM in Anti-

Antiquitt. Eccl. Orient. Epist. 54.) Quanquam vero magnus est dissensus a textu hebræo horum Codd. tamen eos in iis locis, quæ jam maxime in disceptationem veniunt, consentientes deprehendimus cum lectione hebræa. Ex quo sequitur, neque ORIGENEM alium ordinem vel invenisse in antiquissimis Codicibus a se consultis, neque exhibuisse in sua recensione.

§. 18.

ORIGENIS studio incensus HIERONYMUS, uti ipse fatetur in præfatione in Genesin, laborem suscepit non minoris difficultatis, nec tamen etiam utilitatis minoris, latine nimirum vertendi libros S. ex textu hebræo. Qua in re, quam religiose versatus sit, ipse testis est in præfationibus singulis libris novæ suæ versionis præmissis, in quibus plerumque defensio ei suscipienda fuit, laboris, qui multos obtrectatores & calumniatores inveniebat; eos nimirum, qui ferre non poterant, versionem græcam, quantumvis vitiosam, sua auctoritate nova hac versione privari. At HIERONYMUS strenue, uti decebat virum constantem & tenacem propositi, caute tamen prosecutus est laborem, negans subinde a se fieri, quod re vera fiebat (in præfat. in Josuam) ut modo invidiam adversus se apud imperitos concitatam, declinaret. Præterea vero neque sumtibus neque labori pepercit, ut versio textui authentico

reſponderet atque eatenus principatum præ græcis teneret. Primum Codices adhibuit bonos & emendatos, de quibus juvabit, ipſum loquentem audire. *Habeant*, inquit, (in præfat. in Jobum) *qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis, auro argentoque deſcriptos, vel uncialibus (ut vulgo ajunt) literis onera magis exarata quam Codices, dummodo mihi meisque permittant pauperes habere ſchedulas & non tam pulchros Codices quam emendatos.* Deinde præceptores habuit Linguæ Hebrææ Judæum Lyddæum & Tiberienſem (in præfatt. ad libros Chronicorum & ad Jobum) a quibus, ut linguæ ſcientiam, ita & Codicum inſpiciendorum & conferendorum copiam habebat. Quid amplius deſiderabimus in HIERONYMO quoad criticam diligentiam? Num recte negabitur fides recenſioni librorum S. ab eo exhibitæ. Verum enim vero neque hæc eum ordinem contextus hebræi habet, quem Critici illi, contra quos diſputamus, præoptant. Confuſiones, ſive, ſi malis, trajectiones vaticiniorum Jeremiæ jam tum in verſionibus græcis & latinis fuerunt; HIERONYMUS vero in verſione ſua fidem Codicum hebræorum ſecutus eſt, quod nemo facile reprehendet. Igitur neque in HIERONYMI ætate præſidium invenitur, pro ordine pericoparum bilicarum mutando.

§. 19.

HIERONYMI verſione non inferior, ſi non ſupe-

ſuperior, cenſenda eſt, ut fide ita antiquitate, *Verſio Syriaca*. Equidem non ignoro, utramque eſſe in dubium vocatam, ſed ne nunc quidem poenitet eorum, quæ de præſtantia atque utilitate hujus verſionis a me dicta ſunt in præfatione ad Pſalterium Syriacum. Quodſi igitur certum eſt, hanc verſionem ad initia ſecundi Sæculi eſſe referendam, ſi porro negari non poteſt, factam eam eſſe ex textu hebræo, ſi tandem ex tota vertendi ratione conſtat, interpreti neque peritiam neque diligentiam defuiſſe; digna ſane videri debet, cujus teſtimonium de ordine, quo contextus ſacer olim lectus ſit, non negligatur. Atqui vero nullam earum trajectionum, quæ in verſione græca reperitur, nedum earum tranſpoſitionum, quæ ut neceſſariæ finguntur, in verſione Syrorum ſimplici deprehendimus. Ex quo ſequitur Codicem Sæculi ſecundi quoad ordinem pericoparum biblicarum, cum contextu recepto conſenſiſſe.

§. 20.

Paraphraſium Chaldaicarum auctoritas in dijudicanda textus hebraici lectione valde imminuta eſt a KENNICOTTO (in Diſſert. II. Cap. II. p. 161. verſ. lat.) partim teſtimoniis aliorum ſcriptorum, qui, quanquam eas magni æſtimabant, tamen rei veritate coacti faſſi ſunt, magnam eſſe earum quidem, quæ typis divulgatæ ſint, corruptionem,

nem, ſcatere eas vitioſis lectionibus & creberrimam eſſe in lectione varietatem; partim etiam ſuo, quo rationem conſenſus oſtendit, qui eſt inter textum hebræum & has paraphraſes, ſaltem in plerisque locis, parum honorificam fidei recentiorum Judæorum in ſervandis MSS. hebræis. Nimirum probavit KENNICOTTUS l. c. Judæos in multis locis correxiſſe has paraphraſes, ut conformes eſſent lectioni Maſorethicæ, quam ut unice verum amplectantur, a qua nullibi ſit diſcedendum. Sed effugiſſe manibus eorum corruptricibus Codd. MSS. haud paucos, in bibliothecis latentes, qui in locis dubiis & ſuſpectis diverſam lectionem non ſolum a textu hebræo, ſed etiam a paraphraſibus illis impreſſis exhibeant; quod exemplis quoque ſat multis clare probavit. Hinc vero colligit Vir Doctiſſimus paraphraſibus chaldaicis, quæ in Bibliis Polyglottis & Rabbinicis ex MSS. paucis iisque parum accuratis editæ ſint, in quæſtionibus criticis parum eſſe tribuendum. Atque ſane, fateor, mihi quoque Judæi ab illa accuſatione abſolvendi non videntur. Exempla a KENNICOTTO allata manifeſta ſunt; teſtantur eandem corrigendi licentiam in Codicibus hebræis ſuſceptam SIMONIUS, (*) HOUBIGANTIUS, (**) RUCKERSFELDERUS,

(*) In *Disquiſitionibus criticis*, p. 20.
(**) In *Prolegomenis* p. 97.

DERUS, (*) SCHULZIUS, (**) VOGELIUS; (***) hinc frustra defensionem suscipias. At enim vero num similem correctionem in transponendis pericopis integris tentarunt? Minime vero. Immo ne potuerunt quidem. Quomodo enim trajectionem multorum versuum & locorum longiorum effecissent? An delendo in eo loco in quo legebantur, & reponendo in quo loco legi vellent? At qui labor! quanta in MSS. tunc visenda fuisset mutatio! quæ non verenda erat litura unius alteriusve vocis & paucarum literarum. Et quid multa, nullum hujus generis exemplum neque a KENNICOTTO neque ab aliis allatum esse video. Igitur auctoritatem paraphrasium chaldaicarum in summa argumentorum pro ordine pericoparum biblicarum non mutato, numerare nullus dubito.

§. 21.

Tandem *Collationes Codicum hebræorum MSS.* cum a Judæis tum a Christianis institutæ non nihil roboris nostræ sententiæ addere videntur. Quanquam enim hac in re, quæ summa est, adeo ut nisi hæc ad aliquam saltem per-

(*) In *Sylloge Commentatt. & Observatt.* cf. I. A. ERNESTI Biblioth. theol. Parte III. p. 983.

(**) In libro germanice scripto, cui titulum fecit: Vollständigere Critik über die gewöhnlichen Ausgaben der hebräischen Bibel.

(***) In *Collatione Codicis Helmstadiensis*, adjecta Dissertationi IIdæ KENNICOTTI, vers. lat.

perfectionem perducta ſit, non tuto poſſimus quæſtiones criticas de lectione dubia decidere, parum adhuc præſtitum ſit, & longe maxima hujus laboris pars ſuperet, tamen, quæ habemus contemnenda non ſunt, grati potius agnoſcamus laudabile ſtudium virorum doctorum, qui laboris adeo difficilis initia fecerunt. Hos igitur catalogos variarum lectionum teſtes citamus ordinis in textu hebræo minime turbati; quod eorum auctores in Codd. antiquiſſimis nullum in ipſa ſerie contextus hebræi diſſenſum deprehenderunt. Et primo quidem huc referendæ videntur collationes Judæorum, ex æmulatione doctorum Judaicorum ſummæ ἀκριβείας in recenſendis libris S. ortæ, viris doctis ſub inſcriptione *Diſſenſus occidentalium & orientalium*, nec non *Bne' Aſcher & Bne Naphtali* laudatæ. Quanquam enim de auctoribus harum collationum ne quidem ſatis conſtat, quod *Felix Pratenſis* primus eas Bibliis Bombergianis adjecit, nec, unde eas ſumſerit, indicavit, tamen inſpectio ipſa docet, eas diſſenſum exhibere, qui fuit in Codicibus ſcholarum Judaicarum, Babylone maxime & Tiberiade, de ſtudio librorum S. inter ſe æmulantium. Sed quam exigui & fere nullius momenti ſint, ſciunt omnes, qui eas vel leviter inſpexerint. Quæ ſub nomine Occidentalium & Orientalium citantur, in diſſenſu literarum recen-

ſendo

ſendo verſantur, quæ vero ex ſcholis Aſcher & Naphtali dicuntur originem habere, puncta vocalia & accentus, ſedulitate parum fructuoſa excutiunt. Quid? ſi doctores illi Judaici adeo curioſi fuerunt in annotando omni diſſenſu Codicum etiam leviſſimo, num veriſimile eſt, eos adeo negligentes fuiſſe in obſervando ordine, quo contextus ſacer legendus fuiſſet? Nonne veriſſime ex his catalogis poſſumus colligere, Sæc. X aut XI, (nam ad hæc circiter tempora referuntur) nullum in ordine pericoparum biblicarum in Codd. Judaicis fuiſſe diſſenſum? Non vereor, ne quis forte excipiat, has Judæorum ſcholas, ut punctis vocalibus & accentibus, (quæ Cappelli aliorumque eſt ſententia) ita & ordini pericoparum in textu Maſorethico recepto dediſſe originem. Nam ſi ordinem contextus S. ſine Codicum auctoritate mutaſſent, inſignis corruptionis ſe reos feciſſent, cujus tamen a patronis hypotheſeos, quam impugnamus, hac quidem in re non accuſantur, qui omnem hanc pericoparum confuſionem ex ſcribarum negligentia deducunt. Quomodo vero illi Critici Judæorum, quibus ἀκριβείας laudem nemo negabit, vitia illa, quæ non niſi paucorum Codicum eſſe potuiſſent, non obſervaſſent? Similem laborem ſuſcepit R. MENACHEM *de* LONZANO, de quo igitur ſimile eſt judicium ferendum. Is nimirum in libro rariſſimo, cui titulum fecit

cit שְׁתֵּי יָדוֹת *duæ manus*, præter alia hoc egit, ut Biblia Rabbinica BOMBERGI ex decem antiquissimis MSS. præcipue hispanicis, quorum nonnulli quingentorum ex sexcentorum annorum essent, emendaret. Sed nullas ex iis afferre potuit emendationes, quam quæ literas, puncta vocalia & accentus spectarent, easdemque auctore RICH. SIMONIO, (in *literis selectis* Tom. I. pag. 26.) non magni momenti. cf. de hoc libro WOLFIUS in Bibl. Hebr. Tom. I. p. 765. Quodsi deinde collationes Codicum a Christianis curatas, consideramus, neque in his aliquid deprehendemus, quod ordini pericoparum quarundam mutando fidem faciat. HUBIGANTIUS quidem qui hypothesin, quam impugnamus defendit, ut supra ostendimus, eam tamen ex Codicibus a se collatis minime probare potuit. RUCKERSFELDERUS, SCHULZIUS, VOGELIUS, Viri Doctissimi, in Codicibus magnæ antiquitatis, quorum collationem instituerunt, in verbis quidem aliquem dissensum, in ordine vero pericoparum integrarum nullum omnino a lectione recepta invenerunt. Sed ecce occurrit nobis Cel. KENNICOTTUS, qui hypothesin jam disceptandam insigni quodam exemplo probasse sibi visus est. Adscribamus ipsa ejus verba, ut lectores eo melius judicari possint. *Critici quidem*, inquit, (in Diss. II. p 554. vers. lat.) *sæpius suspicati sunt, multas easque haud leves trans-*

transpositiones ab inepta membranarum in MSS. convolutione ortas esse, cum vero nullum huc usque transpositionis exemplum idoneum ab ipsis productum sit, (grati accipimus hoc veritatis testimonium) *operæ pretium existimo, in medium proferre aliquod, quod nuper in Bibliotheca Bodlejana a me repertum est.* Audiamus igitur quam idoneum illnd sit: *Pag.* 501. *tria larga volumina Pentateuchum continere dicuntur, sed, uti deinceps inveni, ab Exod.* XII: 28. *usque ad* XVII: 9. *deficiunt. Versiculi enim* 129. *qui in Volumine* 5748. *&* 5749. *desunt, in alio quodam volumine N°.* 5752. *continentur, quod a librario quodam separatum atque inscriptum est; volumen parvum continens lectiones aliquot biblicas. —— Parvum istud volumen duabus consistit membranis, una ab Exod.* XII: 38. *usque ad* XIV: 28. *atque altera ab Exod.* XIV: 28. *usque ad* XVII: 9 *continuata, ultima tamen membrana non* post *sed* ante *primam adsuta est, ita ut Exod.* XVII. *hoc loco Exod.* XII. *sequatur, atque hac ratione transpositio versuum* 75. *reperiatur.* Hactenus KENNICOTTUS. Ad quæ sic respondemus. Primo, si vel allatum exemplum ita esset comparatum, ut quæstioni jam disceptandæ omni ex parte conveniret, tamen *unicum* hoc exemplum pro asserenda hypothesi parum faceret. Possibilitatem, ut hoc verbo utar, probaret, non quid re vera factum sit in Codd. ex quibus recepta lectio ad nos derivata est, de quo

tantum quæritur. Illud vero ab initio hujus disputationis concessimus, fieri potuisse ut in quibusdam Codd. ejusmodi errores admitterentur. Neque tamen hæc mens Cel. KENNICOTTI fuisse videtur, sed, quod hactenus hypotheseos hujus defensores, ipso KENNICOTTO fatente, exemplis idoneis (nullo omnino exemplo dicere debuisset) probare non potuerunt, hoc descriptione illius Codicis, in quo ipsi quidem ille error admissus videtur, præstare quodammodo voluit. Verum enim vero allatum exemplum non ita idoneum est, uti Cel. KENNICOTTO videtur. Transpositio enim facta esse deberet in eodem Codice, in quo Capita Exodi citata prorsus non leguntur; in alio loco, in quo legi non debebant, debebant esse inserta, tunc Codex ille idoneum exemplum quæstioni illustrandæ suppeditasset. Sed longe aliter habet. Desunt omnino duæ membranæ in isto Codice, quæ deinde forte inventæ sunt atque ordine præpostero consutæ. Unde probabit KENNICOTTUS duas istas membranas in illo Codice ab initio suo ordine non fuisse insertas? Inepta harum duarum membranarum compactio, probat quidem fieri posse, ut duo plurave folia male jungantur, sed de eo nemo dubitat, neque nunc in disceptationem venit. Duæ vero membranæ, quæ ex integro Codice exciderant, &, ne prorsus perderentur, utcunque compactæ sunt, Codicis nomine venire non possunt. §. 22.

§. 22.

Jam summam superioris disputationis colligamus, ut lectores uno quasi adspectu experiantur, quæ vis insit argumentis hactenus pro sententia nostra allatis. Primis reipublicæ Judaicæ restitutæ initiis Esra vel divino auxilio, vel Codicibus aut viris doctis, rerum sacrarum peritis, adjutus, libros S. accurate recensuit, hujusque recensionis mox quam plurima exempla sumta sunt a scribis & Levitis, & in populo divulgata pro summo legis studio, illo tempore inter Judæos reduces incenso. Neque postea remisit illud studium propter Pharisæorum sectam, traditiones humanas commendantem atque adeo legi divinæ præferentem, impediente hoc secta contraria Sadducæorum & Karæorum, rejiciente præcepta humana, & legem tantum divinitus scriptam commendante. Synagogæ porro Codicibus S. insigni præsidio fuerunt. Nam cum in his Codices librorum S., prælectioni solenni in cultu sacro destinati, servarentur, pro multitudine Synagogarum non solum in Palæstina sed per omnes fere regiones librorum S. ingens fere numerus exemplarium extiterit necesse est, non negligenter, sed pro studio Judæorum cultus externi in religione sua, summa diligentia adhibita scriptorum. Fieri igitur non potuit, ut tempore Christi & Apostolorum Codices librorum S. inter Judæos ita corrupti

essent, ut multæ in iis pericopæ ordine confuso & perturbato legerentur. Verum enimvero illi ipsi Codices, quorum fidem ut suspectam reddamus justam causam non habemus, a Judæis & cum eis simul ad Christianos transierunt. Inter hos quidem usus librorum S. hebraice scriptorum non adeo frequens fuisse videtur, plerisque linguæ hebraicæ ignaris & versione græca LXX. interpretum utentibus, sed tamen non ita antiquatus, ut nemo esset, qui eam intelligeret. ORIGENES quidem cum emendationem versionis græcæ corruptissimæ moliretur, eam instituit secundum lectionem textus hebræi, quem cum multis Codicibus hebræis contulit, quorum copiam a Judæis inter quos vivebat & quibuscum quotidie versabatur, adjutus aliis præsidiis ad hanc rem necessariis, facile habere poterat. Ex hac Origeniana recensione multa alia exemplaria descripta sunt. Hac etiam HIERONYMUS usus est in versione sua, quam ex textu hebræo adornabat, non destitutus tamen etiam aliis Codicibus hebræis, vel suis vel Judæorum, quibus magistris utebatur, partim in lingua hebræa, partim in vertendi labore. Neque vero in ORIGENIS neque in HIERONYMI Codicibus ordo pericoparum biblicarum diversus fuit ab eo, qui in recensione masorethica deprehenditur. Cum eodem quoque consentiunt versiones Syriaca & Chaldaica.

Qui-

Quibus tandem adjunximus catalogos variarum lectionum ex collationibus Codd. antiquissimorum cum Judæorum tum Christianorum, qui eundem consensum in ordine pericoparum biblicarum testantur. Quidni igitur recte ex his concludamus ordinem pericoparum biblicarum receptum eundem esse, qui olim antiquissimis temporibus in Codicibus fuerit.

§. 23.

Veniamus ad *alteram partem* institutæ disputationis, quæ brevior erit immo & facilior. Versabitur enim in enarrando modo, quo hæc multarum pericoparum biblicarum confusio facta sit; qui cum nullis argumentis ex historia probetur, sed contra eam, immo & contra omnem verisimilitudinem fingatur, non operosa erit harum opinionum refutatio. HARENBERGIUS quidem hac ex parte cautior & accuratior SIMONIO aliisque, qui tantum de eo quod fieri potuit, loquuntur, videri voluit, atque ex historia docere, quo tempore, qua occasione istæ insignes in locis chronologicis membranarum confusiones factæ sint. Sed tam male cohærent omnia, tam manifeste historiæ cum librorum S. tum artis librariæ veterum repugnant, ut non satis mirari possim Virum Doctissimum, qui pro varia sua eruditione rectiora nosse debebat, tot figmentis hypothesin superstruere potuisse, quam ab insigni

 utili-

utilitate tam ſtudioſe commendarat. Ne vero hæc temere dixiſſe videar, lubet integrum illum locum, in quo ſententiam ſuam planius quam alibi expoſuit, ipſis Celeberrimi Auctoris verbis adſcribere atque interſperſis annotationibus lectorem de iis, quæ parum accurate dicta ſunt, monere. Impedimenta nimirum expoſiturus (in Meletem. §. 2. p. 207.) quæ inveſtigationem ordinis chronologici nonnunquam paulo difficiliorem reddant, ea primo dicit deprehendi in eo, quod initia & finis pericoparum majorum non indicantur verbis luculentis, ſed demum ex argumento & ejus partibus ſcopo conſentaneis ſunt eruenda. Quæ, ſi de diſtinctione ſermonum propheticorum intelligi debent, vera ſunt. In libris vero hiſtoricis illa inveſtigatio nullam habere videtur difficultatem, quoniam materia ipſa hiſtoriæ, nempe res geſtæ quæ narrantur, ſuis indiciis ſe produnt. *Alibi turbant nos*, inquit Cel. HARENBERGIUS, *diviſiones in capita & harum diſtributiones in minora inciſa ſæpius ordini pericoparum adverſæ.* Quænam capita, quænam minora inciſa Vir Cel. intelligat neſcio. Num ea in quæ libri Nov. Teſt. olim diviſa fuerunt? Sed de his mox ſeparatim egit. An quæ hodienum in Codd. noſtris obtinent? Sed hæc quoque infra ſpeciatim commemorat. An Judæorum in סדרים in פתוחות & סתומות? Sed ne hæc

hæc quidem inter Judæos amplius in uſu ſunt atque Chriſtiano interpreti non poſſunt eſſe impedimento. *Sæculo III. & IV. nec non quinto coeperunt Critici Chriſtiani libros biblicos, e variis pericopis collectos, dividere in κεφάλαια capita & ςίχους enunciationes, unam ſententiam integram complectentes.* Primo Criticum agam ad hæc verba, *e variis pericopis collectos* Cum Pericopa ipſi Cel. HARENB. ſit locus quidam unum argumentum tractans (§. 1. Meletem.) libri S. non poſſunt eſſe e variis *pericopis* collecti. Emendo igitur errorem vel calami vel typographi ſic ut legam: *e variis membranis collectos.* Hæc enim eſt hypotheſis Viri Doctiſſimi, libros S. pluribus membranis iisque non conſutis inſcriptos fuiſſe, de qua mox commodior erit dicendi locus. Deinde non ſatis accurate dictum eſt, libros S. omnes olim in κεφαλαια & ςιχους eſſe diviſos. De Novi quidem Teſtamenti libris res eſt in vulgus nota. Sed Vet. Teſt. libri, præter eos, quos Judæi metro ligatos eſſe putant, non niſi in Canticis, libris hiſtoricis inſperſis, olim ea ratione ſcripti ſunt, quæ cum diviſione in ςίχους aliquam habent ſimilitudinem. Hinc etiam HIERONYMO, qui primus hoc auſus fuerat etiam imitari in verſione ſua prophetarum, neceſſarium videbatur de eo lectores monere. *Nemo*, inquit, (in præfat. ad Eſaiam) *cum prophetas verſibus viderit deſcriptos metrò eos exiſtimet apud Hebræos*

 ligari,

ligari, & aliquid ſimile habere de Pſalmis & operibus Salomonis, ſed quod in Demoſthene & in Tullio fieri ſolet, ut per cola ſcribantur & commata, qui utique proſa & non verſibus ſcripſerunt: nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam novo ſcribendi genere diſtinximus. Quæ deinde habet S. R. HARENBERGIUS de incommodis ex hac diviſione venientibus omittam. Nec tamen video quomodo hæc diviſio, cujus in Codicibus noſtris uſus diu jam deſiit, impedimento eſſe poſſit, ad ſententias librorum S. recte diſtinguendas & inveniendas ſingularum connexiones. Sed ita pergit S. R. HARENBERGIUS: *Succeſſit priori illi diviſioni in capita & ſtichos tandem Sæculis XII. & XIII. diviſio in capita longiora ad pericopas definiendas & dignoſcendas inhabilis & ſæpius incommoda.* Recte quidem reprehenditur diviſio in Capita, in Codicibus noſtris recepta, tanquam parum accurata; ſed non vidi interpretem adeo imperitum, qui hanc diſtinctionem ad Concordantiarum uſum tantum inventam, adhibuiſſet ad pericopas recte ſecernendas & dividendas. Doctiſſimi quique interpretes in connexione ſingulorum locorum declaranda parum tribuunt huic diſtinctioni, v. c. VITRINGA in Eſaiam, VENEMA in Jeremiam, ut alios taceam. His, de impedimentis ad pericopas recte ſecernendas, dictis alia addit S. R. HARENB. de origine confuſionis, quæ ipſi admiſſa videtur in locis hiſto-

hiſtoricis. *Si qua pericopa erat longior, quam ut uni membranæ inſcribi poſſet, pluribus membranis ea inſcriberetur neceſſe erat. Id ſi uſu venerit, membranæ earundem materiarum erant indiciis ſeu notis literarum numerandæ.* Hoc eſt figmentum iſtud inſigne, cui HARENBERGIUS totam ſuam hypotheſin, de ordine pericoparum biblicarum confuſo, ſuperſtruxit; Voluminum membranas Sæculis adeo III. & IV. nondum eſſe conſutas aut conglutinatas, ſed ſeparatim ſibi invicem eſſe involutas, ordine, quo legendæ eſſent, in dorſo (cf. pag. 224.) literæ indicio notato. Quibus ſane nihil dici potuit magis a vero alienum & contra veterum ſcriptorum teſtimonia atque adeo contra omnem probabilitatem. Itane homines, ut de hoc primum dicam, tam parum intelligentes fuerunt, ut inde ab artis ſcribendi inventione usque ad Sæc. III. & IV. poſt Chriſtum natum non viderent, cum ad lectionis facilitatem, tum ad ipſorum librorum conſervationem melius eſſe membranas vel conſuendo vel conglutinando jungere? Porro, quinam fuerunt illi Critici Chriſtiani Sæc. III. & IV., qui hoc conſilium ceperunt libros S. e variis membranis collectos in ordinem certum redigere? Cur hujus tantæ rei, dignæ cujus memoria poſteris commendaretur, nulla apud ſcriptores horum temporum mentio fit? Illine igitur inventores fuerunt artis utiliſſimæ

membranarum consuendarum? Qua auctoritate suffulti, an sua tantum an totius ecclesiæ, effecerunt, ut ille ordo in quem libri S redegerant, reciperetur ab omnibus? qu factum est, ut nemo confusiones in digerendis membranis admissas observaret aut indicaret? Has & similes dubitationes Cel. HARENBERGIUS testimoniis certis & indubiis removere debebat, antequam de novo ordine pericoparum biblicarum cogitaret? Sed tantum abest, ut ad hanc hypothesin stabiliendam ullum possit ex antiquitate testimonium afferri, ut potius certo certius constet membranas integrum volumen constituentes, jam antiquissimis temporibus esse consutas. Judæis quidem hanc artem minime ignotam fuisse testis est JOSEPHUS, (Antiquitt. XII, 2.) quando narrat librum legis a Pontifice Eleazaro Ptolomæo Aegypti regi misso, tanta arte fuisse consutum, ut rex commissuras latentes, quæ visu discerni non poterant, magnopere admiraretur. Mitto alia aliorum scriptorum testimonia collecta ab iis, qui de arte libraria veterum exposuerunt. Qui, cum nec ipsi Cel. HARENBERGIO ignoti essent, eo magis miror, Virum Doctissimum §. 2. Dissertationis suæ tam multa scribere potuisse, quæ ex scriptoribus §. 1. laudatis, meliora & rectiora nosse debebat. Quo pertinent quoque ea, quæ habet de notis literarum, quibus singulas membranas notatas

tas dicit. Nemo ex ſcriptoribus antiquis horum indiciorum mentionem facit. Integri quidem voluminis oræ extimæ in averſa chartarum parte agglutinatum fuiſſe fruſtulum membranæ, purpureo vel alio colore tinctum, cui titulus libri & nomen auctoris inſcriptum fuerit, teſtantur veteres. (cf. SCHWARZ de Ornament. librorum p. 83.) ſed de ſingulis membranis literis notatis nihil legitur. Atque tamen ex hoc figmento probat S. R. HARENB. pericoparum biblicarum confuſionem. Ita enim pergit poſt verba ſupra citata: *Quis vero auſit contendere ſacramento, indicia illa ex crebro uſu membranarum, vel ex aliis caſibus nunquam fuiſſe obliterata? nunquam fuiſſe detrita? nunquam evanuiſſe? Id ſi contigit forte, membranæ ſ. volumina ſic potuerunt collocari, ut pericopæ veterem amiſerint locum.* Non quæram, quam probabile ſit id, quod S. R. HARENBERGIUS ex ficta illa membranas numerandi ratione deducit; id modo obſervo, eum, qui in his verbis poſſibilitatem tantum confuſionis probavit, mox hujus modeſtiæ oblitum atque ſine hæſitatione hoc ſuum figmentum, ut rem certam & indubiam, paucis tamen intellectam, lectoribus propinaſſe. *Volumen unum & alterum membranaceum*, inquit (pag. 224.) *eo quod numeri literis notati in dorſo detriti fuerant, contextui orationis ibi a poſteris inſerta fuerunt, ubi volumen vel ei inſcriptum opus non debebat locum occu-*

occupare. Hinc collocat Matthæi XII. & XIII. ante IX, 28. & *Act.* XVIII—XX, 3. ante XVI, 7. Sed de harum trajectionum pretio alii judicent. Neque ego amplius morabor, quæ præterea §. cit. leguntur de incommodo pericoparum historicarum ordine. Nam fundamento illius ædificii subruto, videat architectus vel de alio eoque solidiori jaciendo, vel suffulciat labantes partes, quacunque ratione ipsi placeat.

§. 24.

Longe antiquiorem originem confusionis istius opinatæ in membranis ordinandis admissæ, finxit RICH. SIMONIUS, dum eam inde ab illis temporibus repetendam existimavit, quibus sacrorum librorum facta est collectio. (Hist. Crist. Lib. I. Cap. V. pag. 35.) Membranas enim singulas super bacillum volutas esse dicit, non consutas, quo facto earum ordo, adeoque rerum ipsarum sit turbatus, sine culpa Mosis aut reliquorum scribarum S., qui curam colligendorum librorum divinorum haberent. Jam primo quidem non negabo id, quod SIMONIUS contra CLERICUM, parum subtiliter hoc negantem, inprimis urgebat; (in Respons. ad Judicium Theol. Bat. pag. 96.) ipsam hypothesin ex arte critica profanorum librorum posse etiam ad Crisin librorum S. transferri. Quam recte vero, quamque accurate hoc fiat, non alienum est quærere, neque

potest

poteſt ſe SIMONIUS & qui ejus hypotheſi favent, huic diſputationi ſubtrahere. Principio quidem non ſatis mirari poſſum SIMONIUM ordinis turbati originem ex membranis non conſutis derivare, cum tamen concedat, ipſam artem membranas conſuendi antiquiſſimis temporibus notam fuiſſe, atque inter Judæos in voluminibus Synagogicis obtinuiſſe (in Reſponſ. ad Defenſ. Judicii p. 152.) At enim vero id, quod omnium maxime probari debebat, libros olim in voluminibus vel conſutis vel non conſutis ſcriptos fuiſſe, tanquam rem certam & indubiam ponit: *artis criticæ periti*, inquit, *conſentiunt extitiſſe olim ejusmodi volumina.* Cur non nominavit quosdam? Equidem nullum novi, qui id dixerit. Sint quoque qui ita ſentiant, an recte propterea? SIMONIUS quidem tot bibliothecarum diligentiſſimus ſcrutator, non invenit volumina, quæ ex pluribus membranis iisque non conſutis conſtarent; indicaſſet enim, quod alias in quæſtionibus criticis facere ſolet, loca ubi inveniantur & inſpici poſſint. Neque id mirum. Nam cum uſus commodior & facilior homines ſine dubio docuerit membranas connectere, parum profecto credibile eſt, hoc neglectum eſſe in voluminibus longioribus, ſive, quando complures membranæ unum volumen integrum efficere debebant. Igitur SIMONIUS partim ſine teſtimoniis, partim

tim præter verisimilitudinem finxit, Judæo extra usum Synagogæ libros S. membrani non consutis inscripsisse. Argumentum verc non contemnendum pro contraria sententiz videtur suppeditare, ordo constans & perpetuus, quem omnes, quantum scio, MSS. Codices tenent in prophetis, qui minores vocari solent & in Psalmis; varius contra & diversus in prophetis majoribus & in Hagiographis. Illi nimirum uni volumini inscribebantur, ne si singuli singula volumina constituerent, unus eorum, cum breviores plerisque sint, periret. Jesaiæ vero, Jeremiæ & reliquorum vaticinia & scripta, sola efficiunt volumina satis prolixa, propterea etiam quisque eorum uno volumine comprehendebatur. At enim vero, si ex singulis membranis non consutis, unum tamen volumen efficientibus, quæ est SIMONII sententia, pericoparum trajectio suam habet originem, longe facilius ejusmodo confusio existere poterat in ordine, quo se prophetæ minores nec non Psalmi excipiunt, qualis revera deprehenditur in prophetis majoribus, cum in aliis Codicibus Jeremiam Esaias, in aliis hic illum sequatur. Ex quo recte, uti arbitror, colligitur, voluminum longiorum membranas apud Judæos semper consutas fuisse.

§. 25.

In controversia quæ SIMONIUM inter & CLE-

CLERICUM agitata eſt ſuper eadem illa quæſtione, hic illius hypotheſin præter alia etiam ex Jeremiæ Cap. XXXVI. impugnavit, in quo narratur, Jojakimum regem volumen illud, cui Jeremiæ vaticinia inſcripta erant, tribus aut quatuor paginis perlectis ſcalpello diſcidiſſe & projeciſſe in ignem. CLERICUS ex hoc regis facto argumentatus fuerat, ſi volumen illud ex quo regi prælectum fuit, diverſis ſchedulis iisque non conſutis conſtitiſſet, non opus fuiſſet ſcalpello ad illud ſcindendum, particulas voluminis potuiſſe ſingulas in ignem abjici; ſed quoniam volumen majus fuerit, quam quod totum comburi potuiſſet, propterea in partes ſecandum fuiſſe (in Judicio Theol. Bat. ſuper Hiſt. Crit. p. 170.) Ridet hanc argumentationem SIMONIUS l. c. & negat, hoc regis conſilium in ſecando volumine fuiſſe, quod CLERICO videbatur, ejus enim in textu hebræo nullum deprehendi indicium; regem ira commotum membranas quasdam ſcidiſſe, parum facere ad quæſtionem propoſitam, qua ratione ipſum volumen ſit combuſtum. Mihi quidem hic locus ita videtur eſſe comparatus, ut ex eo fruſtra SIMONII hypotheſis impugnetur. Nam ſi verum eſt, quod ille aſſerit, membranas volumen unum efficientes, non ſemper conſutas eſſe atque tamen voluminis nomine veniſſe, uti nos *librum* vocamus, ſive ſint folia ejus complicata ſive

minus;

minus; fieri potuit, ut illud Jeremiæ volu men consutum esset, sed nihil impedit, qu minus etiam membranæ singulæ sibi fuerin involutæ. Utroque modo poterant scalpell secari & comburi. Sed usus voluminis grandioris imprimis, incommodus, confusio membranarum metuenda & vix vitanda, consuetudo Judæorum, volumina consuendi, ab ipso SIMONIO concessa, hæc, uti ipsam hypothesin parum probabilem reddunt, ita neminem dubitare sinunt, quin volumen illud, ex quo regi, Jeremiæ sermones prælegebantur, consutas habuerit membranas. Sed quoniam semel hujus loci mentionem injecimus, juvat in gratiam S. literarum studiosorum explicare, quænam sint illæ דלתות quæ vers. 23. commemorantur, inprimis cum viderim hoc vocabulum ejusque significatum parum accurate a doctissimis Criticis & interpretibus esse intellectum. HUBIGANTIUS quidem recte vocabulum hebræum vertit, *paginas*, sed quæ ratio sit illarum *paginarum* minus recte docuit. Adscribam ipsa ejus verba, cum liber in paucorum manibus versetur. Ita vero habet ad *Jer.* XXXVI: 23. „ *Nos paginas tres & fere* „ *quatuor*. Non tam difficile est quam Edm. „ Calmeto videbatur, explicare quales es- „ sent illæ paginæ. Nempe tales erant, „ quales adhuc sunt in membranis, quæ „ appellantur *Volumina Synagogæ*, in quibus „ mem-

„ membranæ consutæ sunt, non una supra, „ altera infra alteram, quod si esset, unam „ tantum paginam volumen haberet, cujus „ initium esset in membranæ summa, finis „ in infima, sed una membrana ex latere „ alterius, quæ leguntur volumine repli„ cando, vel a dextra ad sinistram, vel a „ sinistra ad dextram, ita ut tot sint pagi„ næ, quot sunt membranæ." Quis non his lectis existimet, HUBIGANTIUM ex diligenti Voluminum Synagogicorum inspectione rationem τῶν דלתות accurate explicasse. Atque tamen falsa sunt omnia, quæ super iis dixit. Illud quidem verum est, Judæos singulas membranas ex latere singulorum nectere. Sed falsum est, unam membranam unam דלת s. paginam efficere, sive, quod idem est, tot esse paginas, quot membranæ. Nimirum lineas non per longitudinem totius membranæ deducunt, sed in plures areas sive columnas singulas membranas dividunt, quas דְּלָתוֹת *Januas* vocant, quod figuram *januæ* referunt. Possis eas *paginas* vocare, uti HUBIGANTIUS fecit, nam optime respondent paginis librorum quadratorum. Utrum certus sit τῶν דלתות in quaque membrana numerus, an pro ejus longitudine variare possit, nescio. In duplici quidem volumine Legis, quod in Bibliotheca nostra Academica servatur, ternas esse singularum

 X mem-

membranarum דלתות observavi. Sed qui plures esse possint, atque olim forsan plure fuerint, pro longitudine pergameni ve linearum vel pro magnitudine literarum nemo dubitet. Ex quo sequitur, longe plures esse דלתות s. paginas quam membranas tot nempe quot cuique membranæ pro eju capacitate inscribi possunt. cf. BUXTORFIUS in Institut. Epist. Hebr. p. 4. & SCHWARZIUS de Ornamentis Libr. Vet. Disp. III. p. 114 apud quem ratio hujus scripturæ in figura æri incisa bene repræsentatur. Eadem fere cum HUBIGANTIO sentit Cel. VENEMA in Commentario ad h. l. nominis rationem ex Etymologia illustrans: „ Vox דלתות, inquit, „ non paginas nostras aut quid simile, denotat, quod *volumen* fuerit, sed *schedas*, „ quæ compaginatæ *volumen* constituebant, „ hac voce appellatas, quod instar *tabularum versatilium* erant, quæ continuo reci„ procabantur in *aperiendo* & *claudendo*, quales fores vel tabulæ-januarum erant, hac „ voce signari solitæ, a radice דלה cujus „ vis est in *reciprocatione*, nunc sursum nunc „ deorsum facta, qualis est in *situlis* in pu„ teo, alternatim ascendentibus & descen„ dentibus, cui convenit דלה." Sed hæc nemini facile nisi Etymologiæ valde studioso probabuntur. Quid est quod in significatione tropica substantivi explicanda ad primam

verbi

verbi originem aſcendamus, cum uſus & conſuetudo ſcribendi per illas דלתות hodienum inter Judæos obtinens, facillimam minimeque coactam nominis rationem oſtendat? Sed ſatis de hoc loco & fortaſſe plusquam ſatis. Veniamus ad aliud hypotheſeos Simonianæ figmentum.

§. 26.

Non iniqua videri poteſt poſtulatio, ut, qui ordinem pericoparum biblicarum in rebus hiſtoricis inprimis & chronologicis mire turbatum dicant, unum ſaltem alterumque codicem afferant, in quo vel idem ille ordo, quem reſtitutum cupiunt, in iisdem illis locis, vel alius in aliis legatur. Sed hactenus ipſo KENNICOTTO fatente (cf. §. 21.) nullum idoneum exemplum ex Codd. MSS. afferri potuit, quo iſta trajectionum frequentia probaretur. Atque tamen cum ab HUBIGANTIO, tum ab Anglo illo Doctiſſimo, tum ab aliis viris doctiſſimis ſupra laudatis, tot Codices collati ſunt, qui manifeſta inſignis antiquitatis indicia præ ſe ferunt, ex quibus etiam non exiguam variarum lectionum copiam collegerunt, ſed quoad ordinem ſingularum pericoparum nullum deprehenderunt diſſenſum. Igitur illa membranarum confuſio in omnes Codd. qui quidem ſuperſunt, venerit neceſſe eſt, neque eam auctoritate Codd. reſtituendi ſpes eſt, niſi forte aliquis ſomniet, futurum eſſe, ut ali-

quando Codices reperiantur, ex quibus antiquissimus ille ordo revocari possit. Expectet ille tempus istud quo Criticæ Vet. Test tanta lux orietur, nos jam utemur ea, quam habemus. Hæc vero ordinem, quo loci singuli librorum S. leguntur, minime turbatum monstrat. Quam parum vero probabile est, illas trajectiones, quæ olim in uno alteroque Codice admissæ dicantur, jam in omnes, qui quidem nobis supersunt, transiisse. Trajectiones enim illæ, quæ ex mente SIMONII & HARENBERGII adeo frequentes sunt, ab initio plurium Codicum fuerint, necesse est, ita ut unus his, secundus aliis, tertius denuo aliis esset corruptus. Nam cum illæ membranarum confusiones vitio & negligentia librariorum admissæ dicantur, non statim omnes unius Codicis, sed plurium esse potuerunt. Jam vero quis non videt, præter omnem veri speciem fingi a SIMONIO & HARENBERGIO, hos librariorum errores in compluribus Codicibus admissos, a nemine esse notatos, quin potius tandem in uno Codice omnes convenisse, atque ex hoc nostros, quos habemus, Codices esse descriptos. Sed fortasse sunt, qui, ad conciliandam his figmentis aliquam veri speciem, dicant, non mirum videri debere consensum illum Codicum nostrorum, qui omnes ex uno fonte, ex recensione Masorethica derivati sint; hanc apud Judæos tan-

tam

tam esse auctoritatem consecutam, ut ad eam omnes Codices scriberent & corrigerent. Sane ita est. Consentiunt Judæorum Codices recentiores in lectione quam Masoræ legibus conformare solent. Sed supersunt Codices haud pauci, ista Masoretharum recensione antiquiores, tales sunt HUBIGANTII Codd. Berolinensis, Helmstadiensis, alii, qui, quanquam in locis sat multis a recepta lectione dissentiunt, quod ex correctionibus tentatis recentiorum Judæorum intelligitur, tamen in illis pericopis, quæ de ordine suspectæ videntur, omni ex parte cum lectione recepta concordant. Et quid de ORIGENIS & HIERONYMI Codicibus, quid de Codice ex quo versio Syriaca facta est, sentiendum? Adeone hi quoque ista vitiosa confusione infecti fuerunt?

§. 27.

Sed negabunt fortasse qui hanc hypothesin defendunt, versiones antiquas posse argumentum pro ordine pericoparum biblicarum recepto suppeditare, quippe quæ manifeste ejusmodi trajectiones prodant, quemadmodum viris doctis dudum jam observatum sit. *Transpositiones*, inquit GRABIUS (*), *textuum quod attinet, illam quidem in postremis Exodi capi-*

(*) In Diss. *de vitiis LXXvirali vers. illatis.* Attulit h. l. KENNICOTTUS in Diss. II. p. 333. cf. Editio BREITINGER. Vers. gr. Tom. I. p. 173.

bendi super pellibus. Præterea, cui non mirum videatur, quod ista membrana tantum istam historiam caperet, nihilque contineret neque ex ῥήσει præcedente, neque ex sequente. In illis quidem locis, quæ Critici in libris profanis ex hac hypothesi emendarunt, initium & finis produnt illam confusionem & conjecturam probabilem reddunt. Atque idem omnino sentiendum puto de Exodi Capite XVIII. cui locum suum supra jam §. 8. adversus SIMONIUM vindicavimus. Cur vero S. R. HARENBERGIUS Caput ultimum Cantici Cant. inter vers. 16. & 17. Capitis II. collocandum putet (in Meletem. pag. 217.) non possum divinare. Ipse novi hujus ordinis rationem non reddidit, neque ego cum Viro Ingeniosissimo de laude conjectandi cupio decretare. Multo autem magis rationi hujus hypotheseos adversantur exempla a SIMONIO l. c. allata, quæ trajectiones sunt paucorum tantum versuum. v. c. *Genes.* XXI: *vers.* 3, 4, 5. quos ordine inverso legendos dicit, nec non *Exod.* XXII: 1-4. ubi commata versus primi & tertii transponenda censet. Quæ, ut & reliqua exempla, nec tamen adeo multa, quam aliena sint ab illa emendandi ratione Criticorum, a SIMONIO ad libros S. translata, vix eget ulteriori demonstratione atque jam ab aliis observatum est. CLERICUS quidem (l. c. pag. 166.) hoc notavit & post eum alii,

alii, ad quod SIMONIUS in *Responsione* sua CLERICO nihil regessit, manifesto indicio, ei defuisse exempla clariora & certiora ad hypothesin probandam, quæ ei tantum ex Analogia Criticæ profanæ & sacræ subnata videtur. Mitto trajectiones eas versuum Capitis primi & secundi Geneseos, quos Anglus quidam ante aliquot annos exsculpsit ad ordinem planiorem & faciliorem historiæ Mosaicæ inferendum. Nescio cui hypothesi conjecturas suas superstruxit. Novi conatus hominis prorsus inutiles & temerarios tantum ex relatione S. R. HARENBERGII (in Spicilegio pag. 293.) qui ordinem illum ex ingenio fictum a recepto plane diversum (quem etiam exhibet) laudat quidem, ut faciliorem & commodiorem, nec tamen admittendum aut præferendum censet, propter consensum antiquissimorum interpretum in lectione recepta.

§. 29.

Atque hæc quidem sunt, quæ pro ordine pericoparum vulgato dicenda habui. Hypothesis quam impugnavi, fateor, ita est comparata, ut, nisi argumenta ejus paullo accuratius examinentur & ponderentur, placere possit omnibus, qui Criticæ artis præcepta & instituta ad Vet. Test. libros transferri posse concedant. Nam si verum est, libros S. eandem sortem subiisse, quam omnes libri antiqui, in iis nimirum describendis

varios commissos esse scribarum & librariorum errores, negari non potest, hujus generis errores, qui in confusione membranarum nonnunquam in libris profanis admissi sunt, in libris S. Vet. Test. quoque potuisse committi; atque adeo ordinem in rebus historicis & chronologicis haud raro neglectum & connexionem singularum pericoparum difficiliorem, movere suspicionem, re vera illatos esse hujus generis errores librariorum negligentia. Verum enimvero his omnibus concessis nihil amplius probatur, quam, ut breviter dicam, *hypotheseos possibilitas* Jam vero si de *probabilitate* quæritur, magis verisimile videtur, libros S. Vet. Test. ab his quidem librariorum erroribus immunes mansisse, atque hoc est, quod inprimis §. 10–22. probare studui. Porro, si modum & rationem examinamus, quo trajectiones illæ factæ perhibentur, nihil afferri intelligitur, quo ex historia probentur, quod tamen in quæstione, de eo quod factum sit, fieri debet; de quo inde a § 23. dictum est. Judicent igitur lectores, an temere negarim usum partis hujus Criticæ conjecturalis in Critica Vet. Test. Mihi quidem ista virorum doctorum in defendenda hypothesi, pertinacia, ex eo inprimis venire videtur, quod *omnia* Criticorum instituta ad Criticam Vet. Test. translata cupiant, neque meminerint, Criticos in emendandis libris profanis, non

semper

ſemper *omnia* artis ſuæ ſubſidia afferre, ſed ea tantum quæ contextus, quem ad Criticæ regulas examinant, requirit. Multi vero ſuperſunt ex antiquitate libri, in quibus illius generis emendationes neceſſariæ non fuerunt. Quid igitur impedit, quo minus & libri S. Vet. Teſt. eis non indigeant? Quam male agitur cum ægroto, quem medicus morbo laborare ſuſpicatur, a quo tamen affectus non eſt! Neque minus nocent ſuſpiciones iſtorum Criticorum, qui corruptiones librorum S. quærunt, ubi nullæ ſunt. Optabile igitur eſt, ut munus Criſeos in Vet Teſt. libris exercendæ ſuſpiciant, non qui ingenii ſui tantum ſpecimina edere velint, ſed qui a præceptis ex exercitatione ſanæ & modeſtæ Criticæ probe inſtructi, præſtantiſſimæ artis uſum ad libros Vet. Teſt. transferre recte didicerunt.

„ mihi cognomen erat, Castalionem voci-
„ taret, quod ego nomen audiens, a Musa-
„ rum fonte Castalio derivatum, adamavi,
„ atque amplexus sum, meque omisso dein-
„ ceps Castellionis nomine patrio Castalio-
„ nem appellavi. Quin etiam hoc idem
„ nomen primis mei prodromi litteris pri-
„ morum versuum consignavi, videlicet ut
„ esset insignior etiam ad posteros mea su-
„ perbia. Eram enim, si Musis placet,
„ Poëta, & græcæ plane levitatis Muso
„ patagus," hoc est Prælector poematum suorum. Postea tamen consilium mutavit, huic vanitati valedicens, de quo ipse scribit: „ deinceps omissa illa gloriola græca,
„ nactus, quam sæpe optavi, occasionem
„ mutandi, patrio me nomine Castellionem
„ appellari cupio." Non negat ab adversariis hoc sibi exprobratum fuisse, sed adjicit hoc etiam sibi ansam præbuisse, in sese descendendi & consilii mutandi; seque aliis exemplo proponit, ut discant, illum, qui se extollat, casui propiorem esse. Non dubito, quin casum vocet, quod Genevæ rude donatus, & aliquot annis cum paupertate conflictatus fuerit. Recentiores scriptores mutationem consilii ejus aut non animadverterunt, aut prorsus ignorarunt. RICHARDUS SIMONIUS & complures alii, qui post hunc scripsere, Castalionis nomine illum semper in-

lites cum Viris celeberrimis JOA. CALVINO & THEODORO BEZA habitas hodie adhuc celebratur. Lites hæ ideo alicujus momenti ſunt, quia factio *Arminianorum* in Hollandia poſtea ex illis, ſi non nata, attamen aucta eſſe videtur. Arminiani enim libros Caſtellionis non ſolum legere, ſed etiam in lucem produxere. PETRUS BAYLIUS, hiſtoricus & Criticus noſtri ſeculi celebratiſſimus in *Dictionario* ſuo ſingulari capite vitam Caſtellionis perſcripſit, ita tamen, ut illud illuſtrari, emendari, & augeri poſſit. Hocce munus in me ſuſcepi. A *nomine* incipiam. In libris primum a ſe editis *Caſtalionis* nomen pro Caſtellione aſſumſit. Qui hodie de illo ſcribunt, prius poſteriori præponunt, aut utrumque ſcriptis ſuis inſerunt, *Caſtalio*, qui etiam *Caſtellio* dictus eſt, litteris mandantes. Sed verum ejus nomen *Caſtellio* fuit; in Gallia enim ortus fuit & Gallice *Chaſteillon* dictus eſt. Rationem, cur Caſtalionis nomen ſuſceperit, poſtea vero iterum mutaverit, in *defenſione ad auctorem libri, cui Titulus eſt, Calumniæ Nebulonis* (*) ipſe exponit, his quidem verbis: „ Lugduni cum „ degerem adoleſcens accidit, ut me quidam errore nominis pro Caſtellione, quod „ mihi

(*) vide *Scripta ſelecta & rariſſima Sebaſtiani Caſtellionis. p.* 383.

dedit, adeo ut quamprimum inclaruerit, verſus Græcos & Latinos fecerit inque iis poſtea libros exaraverit, qui elegantes atque venuſti habiti ſunt. Ex quo intelligi poteſt, quod Poëtas in juventute diligenter legerit atque didicerit. THEODORUS BEZA, quamvis inimicus ejus eſſet & inimice de illo ſcriberet, vitæ tamen genus & ſtudiorum rationem in *Vita Joannis Calvini* a ſe facta paucis verbis complexus eſt, dicens: erat quadam ταπεινοφροσύνης ſpecie ineptiſſime ambitioſus ac plane ex illorum genere, quos Græci ἰδιογνώμονας (*) appellant. Quod vir ille alias præclarus in vitio ponit, ego in laudem traho, fuit humilis, hoc eſt, animo demiſſo, quo ſenſu Seneca dixit, virtus debet humilis eſſe. Præterea ἰδιογνώμων fuit, quod hi eſſe volunt, qui a Spiritu edocti eſſe videri cupiunt. Ego vero interpretor: αὐτοδίδακτον, quia proprio ingenio excitatus multa didicit, nam a bonis præceptoribus inſtrui tum temporis rarum fuit. Silentio prætereundum non eſt, quod linguæ hebraicæ peritus fuerit, eamque peritiam ad Sacra Biblia traducenda & explicanda impenderit. Fuit autem diligens & aſſiduus Sacrarum litterarum lector & perſcrutator, uti ipſe in *defen-*

(*) Ἰδιογνώμων apud Græcos eſt is, qui ipſe ſibi ſapit & in ſententia pertinaciter permanet, quod quidem in bonam partem interpretor.

defenſione (*) ſcripſit: „ Sciunt, qui me „ norunt, Sacrarum litterarum ſtudium a „ me ſemper tanti fuiſſe habitum, ut cætera „ ſtudia cum hoc collata apud me vileſcant, „ & huic ancillari debere videantur, ſicuti „ revera debent. " Hoc ſtudium ipſum pertraxiſſe videtur, ut ſe ab Eccleſia Romana ſegregaverit & ad Reformatores applicaverit.

§. 3.

Anno S. MDXL. *Calvinum* quæſivit, illumque *Argentorati* invenit. Vir hic de Religione reformata bene meritus anno ſuperiore ob diſciplinam Eccleſiaſticam, quam introducere inſtituit, Geneva pulſus Argentoratum conceſſit, ibique in ſumma celebritate vixit. Multi ob Religionem ex Gallia profugi, multi quoque Eruditi ad illum ſe contulerunt. Fama hujus viri etiam Caſtellionem Argentoratum pellexiſſe videtur. Annos XXV. natus ad illum venit & aliquantum temporis domi ejus commoratus eſt, ita ſe gerens, ut Calvinus ipſum in amicitiam acceperit, cumque Anno MDXLI. ſumma cum gloria *Genevam* revocatus, quaſi triumphans in hanc urbem rediiſſet, Caſtellioni perſuaſerit, ut Rectoris munus in

(*) p. 391.

schola Genevensi susciperet, qua in re ipsi morem gessit. Uterque igitur Genevam venit, munere suo præclare fungens. Calvinus reformationis laude non solum Galliam, sed totam Europam implevit. Sed hæc amicitia non diuturna fuit, quia Calvino non conveniebat cum Castellione; nam quæ hic fecit, non omnia illi probata sunt & Castellioni nonnulla displicebant in Reformatore. Ex hoc inimicitiæ natæ sunt, quæ Castellionem anno MDXLIV. Geneva expulerunt, & ab hoc tempore tantum auctæ fuere, ut bellum atrocissimum inter hos viros pepererint, cui *Beza* se admiscuit, qui a partibus Calvini contra Castellionem stetit. Castellio, Geneva relicta, *Basileam* profectus est, ubi aliquot annis sine munere publico vivens, Typographisque tantum corrigendo inserviens, parco & tenui victu usus est. Nescio, an Genevæ vel hic loci matrimonium iniverit; hoc constat, quod Basileæ liberos alere debuerit, & quod ægre tantum comparaverit, quantum ad illos alendos satis esset.

§. 4.

Antequam ad ea veniam, quæ Basileæ egerit, dicendum erit, quomodo Genevam reliquerit, & a Calvino discesserit; res enim non ab omnibus eodem modo narratur. Alii

Alii illum officium ſponte ſua depoſuiſſe, alii a Senatu demiſſum fuiſſe ſcribunt. Omnes in hoc conveniunt, quod diſſenſio inter ipſum & Calvinum orta ſit. Sed cauſam diſſenſionis non aperiunt; hanc igitur perſequar, & quantum potero, in claram lucem protraham. Uti dictum eſt, ab initio controverſia non tam concitata fuit. Caſtellio loco ceſſit, Calvinus ipſi Teſtimonium exhibuit, quod opus habuit, quo alibi alimentum inveniret. Hoc Teſtimonium Caſtellio in *ſui defenſione* (*) refert, in quo inter alia hæc ſcripta erant. „ Ne quis „ igitur illud quidpiam cauſæ eſſe ſuſpice„ tur, cur a nobis diſcedat Sebaſtianus, „ hoc, quocunque venerit, teſtatum eſſe „ volumus. Scholæ miniſterio ſponte ſeſe „ abdicavit. In eo ita ſe geſſerat, ut ſacro „ miniſterio dignum judicaremus. Quo mi„ nus autem receptus fuerit, (in munus „ paſtorale) non aliqua vitæ macula, non „ impium aliquod in fidei noſtræ capitibus „ dogma, ſed hæc una, quam expoſuimus, „ cauſa obſtitit. " Quæ hæc cauſa fuerit, Caſtellio ipſe declarat. Poſtquam oſtendiſſet, hoc teſtimonium ſibi adhuc in manibus eſſe, ſeque illud multis honeſtis viris commonſtraſſe, hæc addit. „ In eo teſtimonio „ tu teſtaris, mihi a vobis diſcedendi unam

(*) p. 381.

„ causam fuisse, discordiam illam de Can„ tico Canticorum, & de interpretation„ tua Capitis fidei de Christi discensu a„ inferos." Una hæc causa duo compl&ctitur capita. Alterum est Castellionis sententia de Cantico Canticorum, quæ Calvin non probabatur; Interpretatio Calvini de descensu Christi ad inferos, a qua abhorru Castellio, fuit alterum. Calvinus, uti intelleximus, primum placido & sedato anim de hac controversia scripsit, quod ann MDXLIV. factum est. Postea litibus inte eos crescentibus Beza se immiscuit, qui ir commotus acerbius de illo locutus est. Hæ enim in *vita Joh. Calvini*, quam concinnavit, leguntur: (*) „ indignatus, quod sua„ ineptias in Gallica N. Testamenti version„ Calvino non probasset, eo usque effer„ buit, ut exotica quædam docere non co„ tentus, palam etiam Canticum Salomo„ tanquam impuram & obscoenam Cant„ nem ex Canone expungi juberet, & „ pugnantes Ministros atrocissimis convi„ proscinderet. Id illi vero sibi non fer„ dum merito rati, hominem ad Sena„ vocant. Ubi pridie Calendas Junii „ tientissime auditus, cognitaque causa „ lumniæ damnatus, ex urbe excedere j„ sus est."

§.

(*) ad annum commemoratum.

§. 5.

Beza hic novæ cauſæ mentionem injicit, quæ omnium prima & totius diſſenſionis fomes haberi poteſt. Iſta vero hæc eſt: Caſtellio verſionem N. Teſtamenti Gallicam facere inſtituit, quæ Calvino non accepta complacitaque fuit, hinc ejus incanduit ira, & animus a Reformatore averſus fuit. De ſtudio illius ſacras litteras convertendi, & quanta bella ex hoc nata ſint, poſtea agemus. Hoc non poſſumus præterire, quin hoc loco commemoremus, quid *Sponius*, qui *Hiſtoriam Genevenſem* edidit, de hujus diſſenſionis initio referat. Is ait (*) „Cum „ de Cantico Salomonis & Miniſtrorum do„ ctrina de deſcenſu Chriſti aliter ſentiret, „ quam ipſi, a Conſiſtorio reprehenſus, „ Miniſtros arrogantiæ, impatientiæ & „ aliorum criminum inſimulavit: Hoc Sena„ tui improbatum fuit, illumque rude do„ navit." Quæ omnia ſi recte expendamus, ex his, quæ Calvinus fecit, quædam animi æquitas conſpicitur. Homini a Magiſtratu rude donato non datur Teſtimonium, multo minus culpa ejus minuitur. Aſt Calvinus utrumque fecit. Caſtellioni Teſtimonium

(*) *Hiſtoire de Geneve T.* II. *p.* 40.

monium laudabile exhibuit, & culpam ejus non minuit, sed prorsus dissimulavit, nihil de injuriis ministris factis, nihil de Magistratu injurias illas cognoscente & auctori earum poenam inferente commemorat. Ita placatis animis a se invicem discessisse videntur. Attamen an animi vere conspiraverint, dubitandum est.

§. 6.

Calvinus doctrinam suam de prædestinatione & libero arbitrio magis magisque in lucem proferre, atque exornare nisus est. In utroque capite ab ipso dissensit Castellio, eique longe alia comprobata fuere. Calvini scripta a multis lecta & cum assensione accepta fuere, qua re Castellio offensus fuit, & ea acerbe perstringere coepit, quod quidem ab initio in circulis factum est, sed Calvini ad aures pervenit. Tandem illa publice vellicavit, ut amplius celari non potuerit, & Calvini amici professi sint, Castellionem Patrono & Benefactori suo conviciari, ex quo odium Calvini ergo Castellionem natum est atrocissimum & bellum, quod Religione atque Reipublicæ funestum fuit. Quamvis in principio fortuna & hominum favor in partem Calvini inclinarent, attamen sequenti tempore ab ipso
aversi

averſi ſunt & adverſarii excitati fuere, qui rem non ſine tumultu tractavere. Sed de hoc nondum loquendi tempus eſt.

§. 7.

Priusquam huc devenio, aliquid de *Cantico Salomonis* & deſcenſu Chriſti ad inferos dicendum eſt, hocque nobis illuſtrandum, Caſtellio paucis poſt annis verſionem latinam Bibliorum accuravit, in qua Cantioni Salomoneæ locum debitum tribuit, in cæteris libris adjecit animadverſiones, in hunc nullas. Amor hujus eſt indolis, ut illuſtrari non debeat, qui in hoc libro ita loquens introducitur, ut intelligi poſſit, ſive ſenſus naturalis, ſive Myſticus ſit. Amor ſuas habet venuſtates etiam in vocibus, quibus utitur, quæ a latinis Diminutiva dicuntur. Tibullus, Catullus aliique Poëtæ, qui res amatorias ſcripſere, hiſce formulis uſi ſunt, & Caſtellio in hac verſione illos imitatus eſt. Scribit e. g. *Lepidas habes inter inaures genulas. O Te formoſam columbinis ocellis. Ah! vernantem noſtrum lectulum.* Caſtellio, hoc non contra regulas hermeneuticas ſcriptum, ſed argumento libri conveniens eſſe putavit. At alii aliter ſenſerunt, & ex hoc occaſionem arripuere totam verſionem ſpernendi atque contumelioſe de illa loquendi, dicentes: Caſtellionem

versionem suam venustatibus Catulli exornasse. *Descensus Christi ad inferos* ansam dedit, aliam accusationem contra illum instituendi. Calvinus hunc articulum fidei ita intellexit, & in *institutione Religionis Christianæ* (*) explicavit: animam Christi post mortem adhuc atrocissimis angoribus in averno discruciatam fuisse. Atrocitatem peccati & pœnas, quæ merito illud sequuntur, ita exposuit, ut audientibus horrore & metu membra solverentur. Christus reorum vicem subiit, & ex mente Calvini etiam angoribus avernalibus cruciatus fuit, quibus homines in inferno constituti torquentur; quod adversarii ejus ita interpretati sunt, ac si Soteri nostro desperationem adscripserit. Ipse conqueritur, *Calumniam durius exagitant, me desperationem adscripsisse Filio Dei, quæ fidei contraria sit.* Quamvis ita quereretur, accusatio tamen in libros controversiarum irrepsit & centies repetita fuit. Seculo sequenti, Pastor, Religione reformatæ addictus, in *Toggiis* a Magistratu Catholico a munere remotus & in periculo ac timore versabatur, ne capitis damnaretur, quia Christum tantum angorem sustinuisse pro concione dixerat. An accusatio præter leges instituta fuerit, vel concionator Calvini doctrinam non recte perceperit, nescio. Quo-

(*) *Lib.* II. *c.* 16.

Quocunque modo ſe res habeat, tantum ſupplicium non meruit.

§. 8.

Uti ex narratione Bezæ intelligimus, Caſtellio anno MDXLII. cum adhuc Genevæ ageret, Verſionem Bibliorum facere incepit. Simul ea Gallice & Latine vertere inſtituit. BEZA in *vita Calvini* (*) verſionis Gallicæ novi Teſtamenti mentionem injecit. Cum Caſtellio anno MDLI. verſionem Bibliorum latinam Baſileæ publicaret, Novum Teſtamentum ſeparatim editum eſt; num illud Gallice ſimul ediderit, non conſtat. Beza refert, Calvinum hanc verſionem, cum Caſtellio adhuc Genevæ moraretur, manibus tractaſſe & perluſtraſſe, ineptiasque in ea, ut ille ſcribit, obſervaſſe, quæ ipſi probari non potuerint. Hæ ineptiæ in eo conſiſtebant, quod genus dicendi Hebræorum in verſione ſua neglexerit, & puræ Gallicæ linguæ conformiter ſe expreſſerit. Deinde quod novis vocibus a ſe factis uſus fuerit. Hoc ipſi crimini dabatur, cum ſine culpa fuerit. Si voces ſunt idoneæ & rem recte exprimant, res bene ſe habet. Beza illum præterea accuſat, quod

(*) *l. c.*

quod *exotica quædam*, ut ait, *docere conatus sit*. Quænam illa fuerint, quæque paradoxa complexus sit, non addit. Non dubito, quin doctrinæ fuerint, doctrinis Genevensium contrariæ. Illorum placita fuere: *Deus quosdam homines mera sua gratia præter illorum merita elegit, & homines vi agendi propria nihil boni patrare possunt*. Hæc erant tum temporis statuta mellita, & animos Genevensium mulcentia; qui hisce obloquebatur, vel in his sententiis aliquid mutabat, easque extenuabat, is exotica docere dicebatur. Ex his conjicio, Castellionem jam tum animum a Calvini doctrina aversum habuisse, quem postea in scriptis suis aperuit. Melius fuisset, Calvinum Castellionemque nunquam fuisse unâ, forte hostes non tam atroces facti essent, si nunquam fuissent amicitia conjuncti. Conjectura hæc animum meum occupat. Cum Castellio ad Calvinum Argentoratum venisset, eum illius placita vilia habuisse & multa per jocum ludumque contra illa proposuisse, nam Calvini ira postea erga eum incensa fuit, illi exprobravit (*): „ per me sepulta maneant tua „ flagitia, nisi quod unum breviter coram „ Deo testari licet, atque opere pretium „ est; cum te domi meæ aluerim, me nullum

(*) In libro, qui inscriptus est: *Calumniæ Nebulonis* p. 114. vide *Castellionis defensionem*. p. 379.

„ lum unquam vidisse magis superbum, „ vel magis perfidum, vel humanitatis ex„ pertem. Qui te & impostorem & Cy„ nicæ impudentiæ deditum, & scurram „ ex professo pietati oblaterantem non agno„ scunt, nil prorsus judicant."

§. 9.

Castellio Geneva Basileam migravit. Sine dubio Typographi in hac urbe florentes illum huc pellexere. Ab his duplicem quæstum facere potuit. Primo ipsis opera sua venditavit, dein correctoris labore perfunctus est, quo se suosque sustentavit. Nam primo sine munere atque stipendio hic fuit. In Libello, quem *Castellionis defensionem* inscripsit, aliquid de paupertate atque occupationibus suis prodidit (*), quod totum exscribam, quia Historiam illius illustrat: „ Eram proximis annis, ait, quibus tu me „ furatum ligna dicis, in ea paupertate, in „ quam linguarum vestrarum virulentia con„ jectum sciunt omnes, & versabar in eis „ Bibliorum translationibus, quæ mihi eo„ rum odium & invidiam conciliarunt, quo„ rum amorem debebant. Sic nimirum so„ let mundus beneficia remunerari. In eo „ studio cum ita totus essem, ut vel men-

„ dicare

(*) p. 376.

„ dicare mallem quam desistere, & in rip
„ Rheni habitarem, capiebam interdun
„ subcesivis horis harpagone ligna, qua
„ solet, dum exundat Rhenus, secum rapta
„ devehere; quibus domum meam calefa-
„ cerem; hoc in furtum interpretaris."
In quibus verbis tria notatu digna reperiuntur. Primo Calvini & Calvinianorum linguæ virulentiam sibi nocuisse, queritur: deinde paupertatis suæ imaginem proponit, qua quidem a studio Biblia transferendi abstrahi non potuit: tandem translationis initium Genevæ fecit, quod odii & inimicitiæ Calvini erga ipsum causa fuit, qui cum intelligeret ipsum Basileæ pergere in versione Bibliorum adornanda, etiam hic illum lacessivit & accusationibus suis persecutus est. Quod paupertatem spectat in epistola dedicatoria, ad *Bonifacium Amerbachium* scripta, bonitatem Dei prædicat, qui se suosque in regione peregrina sine opibus & reditibus suo tantum labore & industria alat, ex hocque colligit, labores suos Deo gratos esse, seque excitat ad perseverandum in industria sua. Hoc anno MDXLVII. scripsit, quo jam aliqua opuscula in lucem emiserat, ex quo conjicio, Joannem Oporinum, qui operum ejus impressor fuit, pro labore pecunia data solvisse tantum, quo domum suam nutrire potuerit. Hoc agnoscit Castellio bene-

nefi-

neficium Dei, proque eo illum laudat. Quod aliquis dixit, (*) Caſtellionem juventutem inſtituendo & in prædio ſuo ſuburbano laborando panem lucratum eſſe, non totum verum eſſe videtur, nam quis ipſi pecuniam crediđiſſet ad prædium emendum, & ex illo lucrum faciendum? Juventute vero formanda atque bonis litteris inſtituenda occupatus fuit. In dedicatione illa *Baſilii Amerbachii* mentionem facit, quem puerum pater Bonifacius domi ejus atque menſa collocavit, quo litteris erudiretur. Bonis litteris, inquit, Caſtellio, omni opere & diligentia operam do easque aliis commendare nunquam omitto. Odas quasdam Davidicas latine factas & puris verſibus redditas eidem *Bonifacio Amerbachio* dedicaverat, qua in dedicatione operæ ſuæ rationem dat; id ſe feciſſe dicens, quo qui Latinam linguam amant, amavere autem illam tum temporis plurimi, excitarentur ad verbum Dei diligentius legendum, ſi pura genuinaque Latinitate propoſitum haberent. Hæc mens, hic ſcopus ejus fuit in verſione Bibliorum facienda, & in ſcriptis ſuis omnibus veram Religionem confirmandi & timorem Dei in multorum animis excitandi. Ita pro publicis commodis ſudavit, cognitionem & peritiam ſuam linguæ Latinæ impendens, quo ver-

(*) *Sammarth. Elogiorum Libr.* II. *p.* 126.

verbum Dei & boni commentarii ad illud explicandum facti, latinius exhiberentur, & a pluribus legerentur, quam hactenus factum fuerat.

§. 10.

Anno MDXLII. BERNHARDINUS OCHINUS religionis causa patria relicta Genevam venit, & uti videtur, *Commentarium in Epistolam ad Romanos* jam jam factum secum attulit. Castellio hunc ex Italica lingua in Latinam transtulit, quam translationem postea Augustæ Vindelicorum Philippus Ulhastus typis expressit, cujus Titulus est: *Bernhardini Ochini Senensis Expositio Epistolæ Divi Pauli ad Romanos, de Italico in latinum translata.* Postfationem habet libellus, Typographi nomine scriptam, qua translatoris operam laudat, quæque digna est, ut legatur: „Nolo te ignorare, inquit Auctor, pie lector! „has expositiones ab Ochino primum Latine scriptas non fuisse sed Italice; deinde ab erudito atque pio quodam Viro „latinissime redditas, qui elegantiæ studio „Scripturæ sæpe phrases Latino induens „habitu, Theologis rem obscuram fecit, „adeoque in Pauli sensu nec veterem nec „Erasmicam translationem, sed, ut bene Græcus suam quandam peculiarem „interpretandi rationem secutus est. Quam

„nos

„ nos ab initio Paulinæ phrasi assueti consu-
„ lere volentes, necquicquam mutare co-
„ nati fuimus. Nam paululum progressi
„ animadvertimus, illam translationis va-
„ riationem non sine singulari consilio su-
„ sceptam fuisse, tum Theologiæ candidatis
„ a linguarum studio non abhorrentibus
„ minime inutilem futuram. Taceo, quod
„ ipsius Ochini narrandi modus prohibebat,
„ certæ addictum esse translationi: quare
„ pie lector! Te etiam atque etiam hor-
„ tor, ne sermonis puritate, qua te invi-
„ tare debebat, offensus, a rei tam præ-
„ claræ lectione abhorreas." Castellio magni fecit Ochinum, pluraque postea ejus opuscula latine reddidit, quod inimicorum odium in ipsum magis conflavit, de quo postea.

§. 11.

Viro rei Scholasticæ peritissimo curæ cordique fuit juventutem recte formandi, eique veram & genuinam virtutis & pietatis imaginem imprimendi studium, quo consilio *Dialogorum Sacrorum Libros IV.* scripsit, qui vulgo noti sunt, & hodie adhuc puerorum manibus tractantur. Historias V. & N. Testamenti, quæ alicujus momenti sunt, hisce dialogis complexus est, & ita concinnavit, ut juventus & Latinam linguam, & pie-

pietatem ex iis disceret. JOSIAS SIMLERUS in *Bibliotheca Gesneri* laudat eos, his quidem verbis. „ SEBASTIANUS CASTELLIO scripsit „ Dialogos sacros, quibus præcipuæ tum „ veteris, quam novi Testamenti historiæ „ tam eleganter tenellæ ætati proponuntur, „ ut nihil ad pietatis ac linguæ eadem „ opera perdiscendæ rationem parari ac„ commodatius posse videatur." Adjicit vir laudatus. „ Joannes Oporinus excudit „ primum Basileæ anno MDXLV. & „ MDXLVIII. postremo MDLI. ab auctore „ recognitos, & magna accessione auctos." Postea innumeræ libelli editiones factæ sunt. Postremæ sunt de Annis MDCCXLIX. & MDCCLVI.

§. 12.

Eodem anno MDXLV. Castellio duos libros vulgavit. Primus fuit *Jonas Propheta heroico carmine descriptus*. Secundus πρόδρομος, *id est*, *Vita Joannis Baptistæ Græco carmine heroico reddita*. Huic titulo adjectum est: *ut linguæ Græcæ & pietatis ex æquo Studiosis nihil possit esse lectu jucundius*. Consilium auctoris fuit, ut juventutem litterarum studiis incumbentem ab *Aeneidos* atque *Tragoediarum Sophoclearum* lectione abstraheret, & ad linguas e scriptis suis discendas impelleret. Quod consilium animo ipsius vehementer in-

inhæsit, nam illud in aliis quoque scriptis prodidit. An recte factum fuerit, quod secum constituit? an poemata ejus versibus Virgilianis & Sophocleis comparari potuerint? de hac re non judicabo, sed lectores adjurabo, ut ipsi judicium ferre possint. Exemplum e Jona sumam, in quo legitur:

Parce homines imitari velle, salutem
Desperando, quasi sit debilis omnipotentis
Dextra, vel summi clementia perdita coeli.
Desperent alii, qui turpia facta catenant,
Incurvi in terras, vitæ coelestis inanes.
Non ego, qui didici medio discrimine rerum
A Te, summe Pater! pendere, tuumque manere
Auxilium, a nostris nunquam frustrate vocatus,
Nunc ades, & mersis fer opem mitissime rebus,
Perdere tu solus, solus servare potens es.

Utrumque libellum *Bartholomeo Argenterio*, erudito Italo, qui de Galeno bene meritus est, & Florentiæ, uti videtur, domum habuit, dedicavit, cujus dedicationis initium est;

Mitto tibi Jonam, qui tetra piscis ab alvo
Post triduum rediit lumen in æthereum.
Sic etiam Jesus facto conamine mortis
In vitam rediit Patre volente Deo.
Victa jaces o Mors, victori redde jubenti
Corpora, quæ longa condita nocte premis.

§. 13.

Quartum Castellionis opus fuit: *Mosis institutio Reipublicæ Græco-latina, ex Josepho in gratiam puerorum decerpta, ut non solum Græcam, verum etiam Latinam linguam una cum pietate & Religione discant. MDXLVI.* Præfatus est ad *Georgium Argenterium* superioris filium, eique quid consilii habeat, aperit, nempe, quia Pater volebat, ut & pietate & religione & græca latinaque lingua imbueretur, se hunc libellum ad ipsum mittere, e quo hæc discere posset Consilium suum exemplis illustrat. Pueros ait, qui Græca discere cupiunt, Lucianum, & qui Latina, Terentium legere instigant, quorum primus nihil nisi Jovis adulteria, Mercurii furta, & hujusmodi multa narrat; alter vero res amatorias, scortorum versutias atque lenonum avaritiam juventuti proponit. Quid aliud faceret, qui sibi juvenes omnibus impietatibus imbuere proposuisset? Qua ex causa institutionem Reipublicæ Mosaicæ elaboravit, quo adolescentes scripta gentilium legere omitterent, & sua ad manus sumerent. Sed hisce operibus non tantum profecit, ac Dialogis sacris. Studiosi, qui profectiore ætate sunt, non ea, quæ pueri, tractant. Imo vero res se aliter habet, ac Castellio putavit. Qui linguarum funda-

menta perdiscere cupit, fontes adeat, exque iis hauriat, necesse habet. Attamen non opus est, ut a Terentio & Luciano initium fiat. Ut verum fatear, Castellio propositum, quod habuit, bene persecutus est, rempublicam Judaicam ita delineavit, legesque ejus illustravit, ut liber hic summa voluptate legi possit, & majore, quam libri Mosaici ipsi. Hi enim historica & politica miscent, ast rationem legum nunquam proponunt. Sed celare non possum, quin Castellio, quo institutionem suam pulchriorem atque perfectiorem redderet, nonnunquam leges a se excogitatas adjecerit, quales hæ sunt: *Nemo Deos aliarum gentium dehonestet. Nemo Templa peregrina spoliet. Neque anathema alicui Deorum datum auferat.* Quæ leges in libris Mosaicis non leguntur, neque cum iis conveniunt.

§. 14.

Eodem anno emissus fuit libellus, quem inscripsit: *Moses Latinus ex hebræo factus, & in eundem præfatio, qua multiplex ejus doctrina ostenditur & annotationes, quibus translationis ratio, sicuti opus est, redditur, & loci difficiliores explicantur.* Auctor jam aliquot annis versionis Bibliorum in pura latinitate labore occupatus fuit, & uti in Præfatione

Psalterii, quod sequenti anno in lucem emisit, libros historicos V. Testamenti, Psalmos, & Prophetam Esaiam paratos habuit, jam cum libris Mosis experiri nisus est, quomodo Eruditi lucubrationes suas accepturi sint. In Titulo ipse significat, quid in præfatione & annotationibus præstiterit, ad operam suam commendandam. Opus iterum *Bartholomæo Argenterio* dedicavit, eique propositum versionis suæ adornandæ exposuit; quod fecit, quia multi sacra Biblia ob stilum impolitum & genus dicendi hebraico-latinum, quod obscurum est, legere fastidirent. Hinc se consilium iniisse ait, Mosen facili & ornato stilo interpretari, quod ipse Moses fecisset, si latine scripsisset. Hoc, addit, ex hebraico ejus dicendi genere concludo. Mosis igitur dictionem politam ac exasciatam facere voluit, quod propositum quivis translator habere debet.

§. 15.

Castellio jam tum, cum Genevæ Rectoris munere functus est, animo præsensit, operam suam non omnibus probatum iri; propterea obmurmurationibus atque sinistris interpretationibus obviam ire, easque refellere voluit. Sibi ipsi objectiones facit, & illas infirmat & diluit. Vetus versio, ait,

ait, mihi placet, dicat quis. Illam retine, reſpondet, ſed cogita, quod quotidie doctiores evadamus. Alius opponat: hoc multi ante ipſum tentarunt. Comparate, inquit Caſtellio, meum laborem cum illorum laboribus. Si viri eſtis eruditi & litterarum ſcientiis expoliti, diſcrimen reperietis. Adhuc alius obganniet: Pietas non conſiſtit in dictionis ornatu; ſed reſpondet auctor: neque tamen in dictione barbarica conſiſtit.' Si vero quis dicat, dictio barbarica mihi placet, Caſtellio opponit: Ego vero horum gratia ſcribo, quibus barbaries diſplicet. Jam ſi quis cogitet: imitatio ſermonis hebraici ejusque accurata expreſſio mihi probatur; Caſtellio ait: igitur Biblia hebraica legito. Alius dicet: ſermonis fucum ferre non poſſum. Ego vero, reſpondet auctor: non ſordes. Ille ait: ſermonem artificioſum non patior. Aſt Caſtellio: patere tantum, ut ego artificioſe loquar. Tandem aliquis in hoc prætextum ſe inveniſſe putabit: Moſes, inquiet, ipſe non facundus fuit; is ita repellitur: Moſes habuit linguam difficilem, ſed ſcribendi genus ejus fuit facile, liquidum, & eloquens, ut nihil elegantius reperiri poſſit, quam ſcripta illius Hæc argumenta hic proponere libuit, quia hodie adhuc utilia eſſe poſſunt. Maxima pars hominum de Bibliorum verſionibus hoc tem-

pore ita rationatur, uti homines ducentis ante annis.

§. 16.

Caſtellio de verſione ſua aliquid commemorat, quod dignum judico, ut lectores illius participes reddantur. Hanc verſionem, inquit, duobus Viris eruditis inſpiciendam & perluſtrandam commiſi, qui de ſtilo latino judicandi capaces fuere, & ex mente illorum nonnulla emendavi. Poſtea illam etiam hujusmodi viris legendum tradidi, qui linguæ hebraicæ periti erant, eorumque conſilium in multis ſecutus ſum. An etiam auxiliatores & Conſiliatores longinque a ſe diſtantes habuerit, neſcio; auguror tamen *Argenterium* talem fuiſſe, nam in dedicatione illa opem ejus laudare videtur, ita ſcribens: „æquum eſt, ut, qui meæ lucernæ in hanc lucubrationem oleum inſtillaveris, potiſſimum hac, quæcunque eſt, Moſis illuſtratione perfruaris" addit. „fac, ne ſine fructu legiſſe videaris. Moſen ab Ægyptiis ad Iſraëlitas tranſiiſſe." Non dubito, quin animum ſuum, qui puritate religionis delectatus eſt, his verbis allicere voluerit, ut Italiam & Italicam religionem relinqueret.

Hoc loco non præterire poſſum, quin can-

cancellos ſcriptionis paululum egrediar, & lectores edoceam, quam difformis fiat Hiſtoria, ſi Scriptores affectibus, aut præjudiciis decepti agantur, vel libris originalibus non inſpectis narrent. Jam jam dixi, Caſtellionem amico ſuo *Argenterio* his verbis ſcripſiſſe: *meæ lucernæ in hanc lucubrationem oleum inſtillaſti*; quæ quidem verba ego de ope ejus, quam in elaborando Moſe Latino illi præſtitit, interpretatus ſum. Sed audite, quomodo VARILLASIUS (*) hæc intellexerit. Caſtellionem de paupertate ſua loqui autumavit, ac ab amicis ſe derelictum eſſe queri. Id cuidam, ait, cui Moſen Latinum inſcripſit, ipſe exprobravit, dicens: illum lucernæ ſuæ oleum guttatim inſtillaſſe. Idem auctor repetit, eum Juventutem inſtituiſſe, ac ſimul prædium labore ſuo coluiſſe. Foedior eſt error, cum ſcribit: „ Bezam Caſtellioni indifferentiam „ in religione tribuiſſe, huncque Poly- „ gamiam ſimultaneam approbaſſe videri." Ultimum, quod ipſi attribuit, inde fluxiſſe videtur, quod *Dialogos Ochini* tranſtulit, in quorum uno Auctor *Polygamiæ* certo quodam modo patrocinatus eſt. Hoc *Varillaſius* tranſlatori ejus crimini tribuit. Quod Bezam

(*) V. *Hiſtoire des Revolutions* T. VI. p. 22.

Bezam attinet, is de Castellione multa malitiose atque contumeliose protulit, sed illum in Religione indifferentem esse nusquam dixit. Pietatem ejus etsi diminuere, attamen illam prorsus diluere ausus non est. Per ironiam nonnunquam loquitur; hic est pius ille Vir, honestus ille Castellio.

§. 17.

Magni viri suis quoque laborant vitiis. *Bezæ* in hac historia, quosdam adhuc errores, quibus Castellioni injuriam fecit, detegere coactus ero. Statim de *Mose Latino* aliquid proferam, in quo BAYLIUS & BEZA de recti justique via declinaverant. Prior in *Dictionario* suo prodit: „ Castellio in libro, „ quem *Mosen Latinum* inscripsit, multa pa„ radoxa disseminavit, " quod exemplis probare conatur. Quoniam autem hæc ex Bezæ *Responsione ad Sebastiani Castellionis defensiones & reprehensiones* desumta sunt, illa hujus verbis huc transponam. „ Alebat, „ inquit, jam tum, (cum Genevæ adhuc „ esset,) in animo peculiares quasdam opi„ niones, inter quas hoc etiam erat, quod „ lege Israëlis Politica sentiebat omnes gen„ tes teneri. Adeoque gravissime in eos „ invehebatur, tum qui capitali poena in „ fures animadvertant, acsi præstaret an-

„ tiquas

„ tiquas servitutes in usum revocari, tum
„ etiam qui facinorosorum cadavera paterentur etiam in patibulis manere." Hæc *Baylius* omnia repetiit. *Beza* prior erravit. *Bayleus* errores illius suos fecit. Hoc unicum *Beza* plus habet quam *Baylius*: „ Castellionem in paradoxis suis sententiis sibi
„ ita placuisse, ut rarissime dignatus sit
„ legere doctorum & piorum hominum
„ scripta, per quos visum est Deo, rursus
„ novam veluti lucem condere; & si qua
„ legerit, eam ingenii ambitionem ad eorum lectionem attulisse, ut in eorum
„ scriptis non potuerit promovere." (*).
Quæ profero, ut intelligatur me non absque ratione dixisse, ignem ira & odii diu inter Reformatores Genevenses & Castellionem exarsisse, & tutius fuisse, si Calvinus & Castellio nunquam uno loco stationem habuissent. Mentis sensa contraria habuere atque indoles illorum diversa fuit, qua re factum est, ut etiam in litterarum studiis non conspiraverint.

§. 18.

Quæ sententiæ Castellioni a clarissimis Viris, *Beza* & *Baylio* imputatæ sunt; an recte vere-

(*) V. librum citatum. p. 66.

vereque ipsi imputatæ fuerint, disquirendum est. Ante omnia dispiciam, num verum sit, quod *omnes gentes legibus Mosis teneri* statuerit. Dein quid de *poena furibus inferenda* & de *cadaveribus in patibulis suspensis* proposuerit. Ante omnia docendum est, has sententias non in *Mose Latino*, qui versionem librorum Mosis complectitur, & Bibliis latinis ab ipso totidem verbis insertus est, comprehensas esse, sed in animadversionibus huic libro additis, quas in editione Bibliorum castravit, paradoxis omnibus remotis. Ut ad rem ipsam deveniam, monendum est: Castellionis sententiam de Lege corrupte esse in medium prolatam, nam de lege loquens atque statuens, illa omnes gentes teneri, non legem Judæorum Politicam, sed Moralem intelligit, quæ est lex naturæ immutabilis. Quod ex eo apparet, quod ad caput *Exod.* XX. de illa sententiam suam explicat, quo fine Decalogus propositus sit. Discrimen inter civilem & naturalem legem recte declaravit, ratione ex Ciceronis libris *de legibus* prolata, quam confirmavit, exque illa collegit, legem ante Mosen fuisse, atque tam diu futuram esse, quamdiu Coelum terram circumdet; nam ex Natura Dei fluere, qui est Creator & Rector mundi. Quam ob causam a Christo non est sublata, sed stabilita & confirmata. Addit, Moses alias

adhuc

adhuc leges dedit, qui Chriſto veniente ceſſarunt, quales ſunt leges Ceremoniales & quæ Judæorum populo ſoli præſcriptæ fuere. Quod *fures* & *adulteros* ſpectat, peculiares quidem fovet opiniones, tam ratione delinquentium, quam delictorum. Adulterium putat gravius peccatum eſſe quam furtum; gravius, ait, eſt peccatum Deum lædere, quam parentes. Gravius eſt parentes offendere, quam occidere alios. Gravius quoque eſt adulterari, quam furtum committere. Poſterioris hujus opinionis rationem fundatam eſſe, ait, ita concludens: Corpus & anima plus ſunt, quam bona externa. Qui adulteratur, corpus animamque maculat. Non dignum eſſe, qui homo vocetur, potius committens, ut uxor ſua corrumpatur, quam aliquid pecuniæ ipſi auferatur. Ex quo patere putat rectitudinem legis Moſaicæ, eamque immerito abrogatam fuiſſe dicit. Moſes, inquit, ſtatuit: fur ablatum quadrupliciter reſtituat, adulter capitis damnetur. Jam contrario modo agitur, fures non ſolum capite plectuntur, ſed etiam in patibulo manent, ut corvis ſint cibo. Caſtellio rationem legis Moſaicæ, illiusque rigorem erga adulteros non penitus inſpexit. Lex Moſis moechis tam duram poenam conſtituit, quia mariti judaici populi aliis libertatibus uſi ſunt. Plures uxores ducere potue-

potuerunt, ab iisque pro lubitu divortium facere. Quam ob causam illorum moribus peccatum gravissimum atque capite plectendum fuit, si quis cum aliena uxore coiret. Apud Christianos peccatum levius est, quia istis privilegiis orbati sunt. Neque in genere dici potest, quod Castellio perhibet, hanc legem a Christianis relaxatam esse ob homines ecclesiæ inservientes, qui a matrimonio dissoluti vivere coeperint. Leges Christi mansuetudine, clementia, atque misericordia plenæ sunt. Status Judæorum politicus rigorem postulavit. Quod *fures* spectat, Castellio autumavit, statutis Mosis adhæreri potuisse: fur, quod surripuit, quadrupliciter restituat, aut servus fiat ejus, cui furto aliquid subduxit. Ita furtum aut furis pecunia aut labore compensari ait. Si vero læsus servum habere non gestiat, illum vendat, sibique pecuniam vindicet. Ad quasdam etiam objectiones, quæ ipsi proponi possent, respondet, sed eas recensendo lectores longius, quam par esset, morarer, Tandem de furibus patibulo suspensis, quorum cadavera eo loco manent, decernit: Magistratus habet potestatem puniendi, sed non potestatem habet, corpora corvis ad cibum præbendi. Hæc, inquit, lex est communis: Corpus est terra, & in terram revertatur; quam ob causam Deus manda-

vit:

vit: Suspensus ante Solis occasum defodiatur. Homines non debent sapientiores esse velle, quam Deus. Ita se habent Castellionis particulares opiniones, quas *Beza* illum frivolis quibusdam argutiis confirmasse ait. *Beza* illas in pejorem sensum traxit, & *Baylius* eas non perspectas habuit.

§. 19.

Jam dixi Mosen Latinum Bibliis totum insertum esse, sed in animadversionibus non omne expunxit, quod offendere poterat. Forte amici hoc illi persuasere. Ad verba *Geneseos* C. I. quæ in ejus versione ita se habent: *quum divinus Spiritus sese super aquas libraret*, hanc animadversionem apposuit: hic fuit spiritus omnia vivificans, talemque intellexit, quem Virgilius *Æneidos* libr. VI. descripsit:

Principio Coelum, ac terras camposque linquentes,

. . . .

Spiritus intus alit.

Hunc Spiritum veteres *animam Mundi* appellavere, qualem Theologi, qui Mystici dicuntur, iterum reduxerunt, *Spiritum universalem* vocantes. Hanc annotationem in Bi-

bilis

bliis omisit, sed quæ ad verba *faciamus hominem* annotavit, supersunt: Deus inquit, videtur cum Filio suo loqui, de quo Sibylla cecinit:

Hujus consilio, namque olim primitus usus,
Sic ait omnipotens: faciamus imagine, fili,
Ambo de propria mortalia semina ducta,
Nunc ego curabo manibus, tu denique nostram
Effigiem verbis, ut opus commune struamus.

Hæc Castellio Sibyllæ gratia proposuit, quia hanc Vatem magni fecit; nam credidit oracula, quæ ab ipsa nomen habent, genuina esse, & ex ore ejus vere profecta. De animadversionibus ejus in Biblia plura non dicam, nam in ultimis editionibus prorsus omissa sunt; qui has procurarunt, sine dubio mundum iis carere posse crediderunt. Quæ hic de iis protuli, ideo protuli, quia historiæ hujus Viri lucem accendunt. Qui illas inspicere cupit, eas in Editione Bibliorum Anni MDLVI. & in Bibliis Criticis Londinensibus Anni MDCLX. reperiet.

§. 20.

Quemadmodum Mose Latino mundum præparare voluit, ut versionem suam Bibliorum lubentius reciperet, idem hoc anno sequenti MDXLVII. efficere nisus est Psalterio ex

sua

sua versione edito, cujus Titulus est, *Psalterium, reliquaque Sacrarum litterarum carmina & precationes, cum argumentis & difficiliorum locorum declaratione.* In præfatione ad *Amerbachium* scribit, Mosen suum a multis culpatum fuisse, antequam illum legissent, sed postquam legerint, ipsum laudasse, sperare se idem Psalterio suo eventurum esse. Interim de editione Bibliorum nullam adhuc mentionem facit; tantum commemorat, quos libros transtulerit, tandem Psalterium laudibus celebrat. Græci, ait, habent Pindarum, Amphionem, Orpheum & finxerunt, hos viros carminibus suis effecisse, ut feræ, rupes & arbores præ gaudio exultaverint; sed David plura præstitit. Saulum sæpe a furiis infernalibus liberavit. Psalmis omnes precationes & cantiones, quæ in sacris Bibliis dispersæ sunt, conjunxit. Annotationes quoque ad Psalmos in fine adjecit, uti cum Mose fecerat. Hoc Opusculum iis, qui sacros libros in Latina lingua legere amant, inserviturum esse speravit. In præfatione ad *Amerbachium* ita loquitur: Psalmi versibus Lyricis, quibus scripti sunt, verti debent, quo philosophia Sacrarum litterarum exerceamur, quæ non est scientia, quæ sine artibus mundanis, ut quidam putant, non tractari possit; hoc impie esset dictum cum mundana Philosophia

phia sine Sacra sapientia subsistat, & hujus Philosophiæ autores, verum Deum non cognoverunt, atque plerique impii homines fuere. Mox XL Psalmi ex versione ejus prodierunt, sed non soli, nam Poëtas alios junctos habent. Titulus libri est. *Pii, graves atque elegantes Poëtæ aliquot, nunc primum ad pia juventutis & scholarum utilitatem conjuncti, quorum nomina proxima sequens nuncupatoriam Epistolam pagella indicabit.* *Joannes Oporinus*, qui cætera Castellionis scripta, etiam hoc excussit. Quo anno factum sit, non est appositum, sed MDXLVIII. emissum videtur. Qui præfatus est, se ORGETORIUM SPINTERUM vocat, Oporinum alloquitur & Romæ se scripsisse finxit. Opera Poëtarum hoc Volumine comprehensa sunt. *Actii Sinceri Sannazarii de partu virginis* Libri III. Ejusdem *de Morte Christi Domini Lamentatio. M. Hieronymi Vidæ Christiados* Libri VI. *Aonii Palearii de animarum immortalitate* Libri III. *ab ipso autore emendati, & aucti. M. Antonii Flaminii Odæ in Psalmos* XXX. *Sebastiani Castellionis Odæ in Psalmos* XL. *antea numquam editæ. Florentii Voltisani ode una de vera animæ tranquillitate. M. Antonii Flaminii Psalmi Graduum.* Hisce quædam cantiones Biblicæ, a Castellione latinæ redditæ, quæ antea jam impressæ fuere, adjunctæ sunt, uti *Cantio Mosis Exodi* c. XV. & *Deutr.* c. XXXII.

Exem-

Exemplo, quam peritiam Caſtellio in Poëſi habuerit, ſit Pſalmus quartus.

Invocantem me Deus æquitatis,
Qui mihi duris ades in periclis,
Lenis exaudi, querelisque præbe
vocibus aurem.

Quando mortales mihi deſinetis,
Gloriæ juſtum decus invidere?
Vana ſectantes, ſtudioque falſi,
vera peroſi.

Me pium legit, Jova (quo ſciatis,)
Audiat, quam ſit facilis vocantem.
Ne quod hic fiat facinus, timete,
idque cavete.

§. 21.

Supra Sibyllæ mentionem injeci, cujus Caſtellio venerator atque æſtumator fuit. Oracula ejus ex Græco ſermone in Latinum convertit & hunc libellum Græco-latinum anno MDXLVI. prima, an. MDLV. ſecunda vice edidit; Chriſtianæ religioni eo ſeſe inſervire exiſtimans, quia Sibyllam Vatem a Deo inſpiratam futura de Chriſto, ejusque regno vere ceciniſſe dixit. Titulus libri ita ſe habet: *Sibyllinorum Oraculorum Libri VIII. addita Sebaſtiani Caſtellionis inter-*

pretatione latina, quæ græco e regione respondet, cum annotationibus Xisti Betuleji in græca Sibyllina Oracula & Sebastiani Castellionis in translationem suam. Historiæ litterariæ periti sciunt, hæc oracula jam seculo Christianismi secundo collecta, & a scriptoribus Ecclesiasticis, qui Patres dici solent, tanquam Divinitus inspirata commendata fuisse. Multi se ita lucratos esse putarunt, quibus gentiles obpugnarent, eosque in partes suas traherent; nam Sibyllæ, non enim una, sed plures fuere, apud Græcos, Latinosque in magna existimatione habitæ sunt. Quanti Romani libros Sibyllinos fecerint, notum est. *Senatus Augustanus* aliquot post Reformationem annis, cum bonarum literarum studia ubique in Europa florere cæperunt, a Græco quodam Codices nonnullos MSCtos coëmit & Bibliothecam Civicam illis exornavit. Horum Codicum unus Oracula Sibyllina Græce scripta complexus est. XISTUS BETULEJUS, Vir Doctus, qui tum Scholæ Augustanæ ut Rector præfuit, illa publicare constituit. Codex, quem tractavit, ab homine recentioris temporis scriptus ac valde defectuosus fuit. Attamen descripsit eum hoc consilio, ut Oracula hæc publicarentur, putans utile esse, ut aliquando, quamvis defectibus laborantia ederentur, quam nunquam. Exemplum Oporino Basileam, qui optimos aucto-

res

res Græcos atque Latinos typis imprimendo famam acquisiverat, misit. Hanc occasionem Castellio lubens arripuit, hæc Oracula latinis versibus reddendi, sed in præfatione fassus est, exemplum ad Oporinum missum mendis plenum esse; quippe quod ab exemplari mendoso descriptum fuerit, hanc ob causam multa a se obscure reddita esse, quia Textus obscurus sit. Hæc editio Oporini in manus MARCI ANTONII ANTOMACHI, qui *Ferraræ* vixit, & litterarum eruditione clarus fuit, pervenit. Hic meliore & accuratiore Codice oraculorum instructus fuit, huncque cum libro recenter impresso contulit, emendationes consignavit, atque Oporino misit, qui secundam editionem opera & studio Castellionis correctiorem factam evulgavit: quæ omnia Castellio in præfatione narravit. Hæc editio eximia habet additamenta. Primo *Xisti Betuleji* præfationem, quæ *Thomæ* & *Ambrosio Plareris*, Constantiensibus, viris in Historia Reformationis laudatis, inscripta est. Hanc duæ aliæ sequuntur præfationes. Una *Castellionis* est, *Antomachi* altera. Hi omnes cultores & veneratores Sibyllarum fuere, putantes illas Deo inflatas fuisse. Castellio refutavit eos, qui hoc non credunt, Deumque decuisse atque Ei conveniens fuisse contendit, ut gratiam suam gentilibus per has feminas,

ſicuti Iſraëlitis per Prophetas revelaret. Forte Vir doctus non conſideravit, ſi Oracula Sibyllina vera ſint, ex hoc deduci poſſe, Deum clarius & expreſſius per Sibyllas, quam per Vates Iſraëliticos conſilia ſua aperuiſſe. Nomina enim propria in libris N. T. obvia, in illis reperiuntur, & Urbs Dei ita depingitur, uti in Apocalypſi factum eſſe legimus. Caſtellio vero in hoc ipſo præſidium quæſivit, ad opinionem ſuam de Sibyllis confirmandam atque corroborandam. „ Non debemus, inquit, hæc oracula ex „ ea, quæ nunc eſt, luce exiſtimare. Nam „ quæ nobis poſt res geſtas notiſſima ſunt, „ ea, cum futura prædicerentur, erant „ obſcuriſſima. Maria, Gabriël, Beth„ lehem, cum nominantur, omnes, quid „ ſit, intelligunt. At cum hæc tot ante „ ſeculis (*) in Græcia a Sibylla diceren„ tur, quis poſſet conjicere, quid ea ſibi „ vellent?" Hiſce Sibyllarum Advocatis, Auguſtinus & multi alii ex Patribus præiverunt, quorum auctoritate effectum eſt, ut hæc de Oraculis Sibyllinis ſententia firma ſteterit, & diu multorum animis inhæſerit. Aſt jam proſtrata jacet. DAVID BLONDELLUS, ſuperioris ſeculi Scriptor, infirmitatem ejus manifeſtavit, quo ſubruta ceci-

(*) Non diu poſt Noachum vixiſſe perhibentur.

cecidit. Cui volupe eſt, hanc rem ejusque rationes inquirere, is in multis novis libris reperiet, quod ipſi lucem accendat. (*)

§. 22.

Caſtellionis principale & ſumma laude præſtans opus eſt *Verſio Bibliorum* cum *Latina*, tum *Gallica*, quarum illa palmam præripuit, hæc vero, neſcio quo fato, in tenebras cecidit. *Latina* in theatro mundi verſatur, & ab omnibus linguarum peritis celebratur. Utraque anno MDLI. ſeparatim impreſſa in lucem prodiit. Anno MDXLII. Genevæ jam laborem hunc animo volvebat, atque illum in ſeſe ſuſcipere inſtituit. In hoc conſilio initium ſimultatis inter Calvinum & ipſum coortæ invenitur, quo factum eſt, ut Caſtellio Geneva diſcedere coactus fuerit. *Beza* me in hac ſententia confirmat; in *Vita* enim *Calvini*, (**) ad annum MDXLIV. de

(*) V. *la nouvelle Bibliotheque par* DU PIN T. I. CLERICI *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sect.* II. JOH. ALBERTI FABRICII *Bibl. Gr. Vol. I.* JOH. LAURENTII MOSHEMII, *Comment. de rebus Chriſtianorum. p,* 229. *Ejusdem* Anmerkungen zu des Origenes Büchern von der warheit der Chriſtl. Religion wider den Celſus im zweiten Theil.

(**) P. 66.

de illo prodit. „ Cum adhuc Genevæ esset „ & ineptias suas in Versione N. T. Cal- „ vino non probasset.” Idem in *responsione ad defensiones & reprehensiones Sebastiani Castellionis* scribit „ sani judicii homo non dubi- „ tabit. quin jam tum (Genevæ morabatur) „ monstrum illud aleres, quod tandem ho- „ die conspicimus (in versione).” Quam primum hæ Bibliorum versiones in lucem venere, judicia de illis in diversa ibant. Primum fata *Latinæ* disquiremus: uti enim Juvenalis dicit, *Fata regunt homines*, ita dicere possumus, Libri & illorum scriptores reguntur fatis.

§. 23.

Lingua latina est lingua doctorum virorum, & horum omnium qui litterarum artibus & scientiis operam dant. Fuit autem tum temporis communior, quam hodie est. Qui in scholis & academiis versabantur, hac lingua uti debuere. Non solum illa scribebantur libri, sed etiam pure & caste scribere debuit, qui legi cupivit. Castellio existimavit barbaricam dictionem, qua Biblia Latina concepta sunt, legentibus nauseam excitare, propterea que a quamplurimis non legi. Quam ob causam consilium iniit, Novam versionem Latinam faciendi, quæ clara & ornata sit, quo verbum Dei diligentius

gentius & cum voluptate legi possit. In præfatione ad Eduardum VI. Regem Angliæ scribit. „ Ego operam dedi, ut fidelis & La„ tina & perspicua esset hæc translatio, quoad „ ejus fieri posset, ne quem deinceps ora„ tionis obscuritas, aut horriditas, aut „ etiam interpretationis infidelitas, ab ho„ rum librorum lectione revocaret. " Hoc consilium in aliis quoque scriptis passim exposuit. Multi quoque Eruditi agnovere, quod proposito suo satisfecerit, ac spem lectorum impleverit. Qui *Sebastiani Castellionis defensionem suarum translationum Bibliorum & maxime N. Testamenti edidit*, (*) in fine libri, quo vacuum compleret, Carmen a *Friderico Furio*, *Ceriolano*, quo versionem hanc summis celebrat laudibus, exprimi curavit. Recenset Versiones, quæ hanc præcessere, *Vulgatam*, quæ dicitur; dein *Erasmus* quam fecit & *Sanctis Pagnini*, & concludit semper, *frustra opera est*, *fantur Biblia barbarice.* Contra Castellionis operam hisce verbis extollit:

En tibi Castalio tentat, coelo auspice id ipsum
Successit. Ponunt Biblia barbariem;
O opus egregium! Latio sermone loquuntur
Biblia nunc tandem Castalionis ope.

(*) Basileæ MDLXII.

Simili modo JOSIAS SIMLERUS in *Epitom* *Bibliothecæ Conradi Gesneri* cum laude de ha versione loquitur. „ Castellio inquit, ver „ tit tota Biblia ita diligenter, ac summ „ fide ad hebraica & græca exemplaria, col „ latis V. ac N. Testamenti libris omni „ bus, ac inde in Latinam linguam, obser „ vata ubique & perspicuitatis, & ele „ gantiæ & proprietatis ipsius ratione, „ ut omnes omnium versiones hactenus edi „ tas longo post se intervallo reliquisse vi „ deatur. " Etiam *eruditi Angli*, qui hoc tempore vixerunt, *Christophorus Casteilus*, *Joannes Checus*, & *Laurentius Humfredus* honestissime de hac versione locuti sunt, quorum testimonia huc transscribere superfluum esset, quia in novissima *Editione Lipsiensi* Anni MDCCXXIX. legi possunt. Hoc silentio præterire non possum, quod CHRISTIANUS WURSTISIUS, Basiliensis, qui ejus in hac urbe æqualis fuit, *in Epitome Historiæ Basiliensis* (*) memoriæ prodidit: „ exstat „ hic Sebastiani Castellionis, Sabaudi natio„ ne, monumentum, Viri exellenti lingua„ rum cognitione pietateque præditi, qui „ hisce donis usus est ad barbariem e Sacris „ libris profligandam, eorumque translatio„ nem fidelem Latinam & perspicuam effi„ ciendam. Bibliorum interpretationem An-

„ no

(*) p. 114.

„ no 1542. Genevæ aggressus, nono post
„ anno absolvit, magna animi alacritate in
„ eis vertendis & prospera valetudine sem-
„ per usus, obscurorum locorum intelligen-
„ tiam sæpenumero a Deo efflagitans. "
Occasione editionis Lipsiensis, cujus mentionem feci, CHRISTOPHORUS WOLLIUS, tum temporis Catecheta Petrinus, Lipsiæ *Dissertationem* scripsit *criticam*, quæ huic editioni adjuncta est, *de eo, quod pulchrum est in versione Sacri Codicis Latina Sebastiani Castellionis*, qua hanc versionem non solum extollit, sed etiam contra ejus obtrectatores & criminatores tuetur, multasque difficultates ab aliis factas e medio tollit. Hoc unicum tenendum est, quod scribat: „ Reformatores Genevenses
„ ideo Castellionem odio persecutos esse,
„ quia in doctrina de decretis divinis ab iis
„ secesserit, quam ob causam ipsi sententias
„ Pelagianas, Anabaptisticas, Socinianas &
„ Arminianas attribuerint? " Quomodo *Arminianas* ei attribuere potuerunt, cum *Jacobus Arminius* sequenti demum seculo exortus est, novas in hoc capite Theologiæ opiniones proferens? attamen, in ea, quam supra produxi, sententia persto: Castellio multa contulit, ut ignis dissensionis in Hollandia accensus fuerit; Arminianorum præcursor fuit. Quod Pontificiæ Religioni addicti hac versione plurimum offensi eum-

quae criminati sint, uti de *Tuso*, Jesuita Neapolitanus fecit, qui scribit: (*) Castellio semipaganus est, & semipaganam versionem fecit; hoc, inquam, nemo mirabitur, qui novit, quanto in pretio *Vulgata* in hac Ecclesia habeatur. Attamen nemo magis quam Genevenses in hanc versionem incensi fuere, conatus ipsis stomachum movit, quanto magis elaboratio & consummatio operis? Se retinere non potuerunt, quin in aliqua Bibliorum Gallicorum praefatione (**) mentem suam publice aperuerint his verbis: Castellio a Satana excitatus versionem suam fecit, quare omnes Christiani sibi ab illo tanquam instrumento Satanae caveant. An praefatio haec, quae multa scitu utilia ac necessaria complectitur, a Calvino profecta, aut Bezae calamo concepta fuerit, nescio. Hoc scio, Bezam hoc anno, quo haec Biblia *Genevensia* dicta prodierunt, se Genevam contulisse, cum antea Professoris munere Lausannae fungens, jam adversarius manifestus Castellionis, eum in *annotationibus suis in N. T.* quod Anno MDLVI. primum editum fuit, & in libro, cui Titulus: (***) *de Haereticis*

(*) apud Thomam Crenium *in Animadversion. Philologicis & Historicis*. p. 105.
(**) Anno MDLIX. edita.
(***) Anno MDLIV. emissus fuit.

miticis a civili magistratu puniendis, *libellus adversus Martini Belii farraginem*, *& novorum Academicorum sectam*, vehementer aggressus sit. *Beza Annotationes majores in N. Test. D. N. J. C.* duobus voluminibus in Octava, quam dicunt forma, publicavit. In Indice Castellionis nomen *quadraginta quinquies notatum* invenio, sed semper invidiose, & macula aliqua aspersa, uti *Castellionis ridicula interpretatio*, *Castellionis audacia*, *Castellionis falsa & inepta interpretatio*, *Castellionis vitiosa interpretatio*, *Castellionis error* & similia.

§. 24.

Castellio hisce *defensionem versionum suarum* opposuit, quæ anno MDLXII. impressa fuit. Hæc quoque defensio aliquo modo acerba dici potest; ita tamen concepta est, ut multa vere, honeste & liberaliter dicat, & si aliquid acerbi in se contineant, id tamen pietatis speciem habeat. Adversarium suum ita alloquitur: (*) grande tamen peccatum est, fratrem falso accusare, uti me accusasti, & existimo, quod non inscitia impulsus fueris, nam es eruditus, linguarum peritus, & eloquentia, quali hoc tempore præditi sunt plures. Sed defectum charitatis in te sentio. Hic, hic defectus vos in errores præ-

(*) *In defensione* p. 220.

præcipitat, ac multa vestra dona & qualitates bonas in vas æneum commutat. Considerate hæc & non propterea rejicite, quia mea sunt, sed recipite, quia sunt vera & salutaria. Præterea provocat ad *Epistolam*, quam quatuor annis ante (*) ad *Bezam* dederat, quam jam imprimendam curavit, & in qua Bezam his verbis alloquitur: „ Suadeo tibi ut verbis contumeliosis abstineas, idque non propter me facio, nam calumniæ tuæ existimationem meam non diminuunt. Et in fine Epistolæ hoc addit: certa mecum charitate, & amicum fideliorem non habebis, quam me. In versione mea culpate, quod culpandum est. Si culpa, quam mihi attribuis, fundamentum habet, eam agnoscam, & emendabo. Desiderio flagro, ut, quod verum & rectum est, in lucem proveniat, Deus mihi & vobis opituletur." JACOBUS WETSTENIUS, *in prolegomenis in N. Testamentum* secundum *Editionem* SEMLERI, hanc Epistolam multo longiorem vulgavit, his utens verbis: *quam jam primum edendam curavi*. Cur non indicavit partem Epistolæ in hac defensione esse impressam, si illud scivit, uti scire potuisset?

(*) Anno MDLVIII.

§. 25.

§. 25.

Ast *Bezæ* animus ejusmodi blanditiis mulceri non potuit. In Editione sua Novi Test. Castellionem nunquam nomine suo compellavit, sed *aliquis*, *certus aliquis* & ejusmodi formulis utens, eum perstrinxit. Jam vero edidit libellum, qui inscriptus est: *Theodori Bezæ Responsio ad defensiones & reprehensiones Sebastiani Castellionis, quibus suam N. Test. Interpretationem adversus Bezam & ejus versionem vicissim reprehendere conatus est, anno MDLXIII.* In hoc libro nulli veniæ, nulli indulgentiæ locus est. In Castellionem vehementer invehitur, ipsum nomine suo compellavit, uti in annotationibus, quæ hunc librum secutæ sunt, fecit. Calvinus, Beza & reliqui Genevenses, doctrinas suas uti veras solidasque habuere, & Castellionem sibi contradicentem non solum hostem, sed infidelem, insanientem, & inemendabilem hominem esse censuere. *Beza* in *Responsione*, quam allegavi, postquam questus est, quod Castellio non dignatus sit legere doctorum & piorum hominum scripta, per quos visum est Deo novam rursus velut lucem condere, addit. „ Hoc autem ingenium superbiæ & vanissimæ ambitionis plenum, „ minime mirum est, Deum ultum esse, „ summa

„ summa judicii perversitate, ut quod omnes „ rectum censuerint, tu sponte quadam „ naturæ pravum esse suspiceris, & quum „ nihil magis ambire videaris, quam ut „ simplex esse videaris, nunquam tamen in „ aliorum judicio acquiescas." In *præfatione Bibliorum Gallicorum* Anni MDLIX. illum *instrumentum Satanæ* vocitarunt, ut jamjam indicavimus. Hoc affectibus effrenatissimis tribuendum est, & omnes boni dolent, homines præstantissimos, qui Ecclesiæ tam utiles fuerunt, philautia ductos, tam enormiter agere potuisse. Pastores Genevenses, qui hos Doctores secuti sunt, illos etiam imitati sunt, Castellionem persequendo & laudibus ejus detrahendo. Quo hoc efficere possent, fraude pia, uti dicitur, usi sunt. Vir laudatissimus, JACOBUS AUGUSTUS THUANUS, qui nomen historici implevit, nihil dicere falsi, nihil dissimulare, sine suspicione vel gratiæ vel simultatis scribere nitens, de Castellione & ejus versione Biblica honestum judicium tulit. *Historiarum Libr. XXXVI.* illius mortem, qui in Annum MDLXIII. incidit, commemorans, de illo prodit. „ Castalio puriorem „ linguarum cognitionem ad Theologicam „ scientiam adjunxerat, & Biblia Sacra in„ terpretatione nova transtulerat, a Gallicis „ & Helveticis Ecclesiis, quarum alioqui

„ doctri-

„ doctrinam amplectebatur, in quibusdam „ diſſidens, unde pleraque contraria inter „ eos ſcripta emanarunt, tandem Baſileæ „ non ita ſenex, quippe vix annum XLVIII. „ ſupergreſſus 4. Calend. Januarii fatis con- „ ceſſit. " Hæc ejus verba in Editione *Pariſienſi* & *Francofurtana* ita leguntur. *Ge- neuenſis* contra, mente *Thuani* mutata, hæc refert: „ Cum puriorem linguarum cogni- „ tionem ad Theologicam ſcientiam adjun- „ xiſſe ſe putaret, impuriſſimas manus mul- „ torum judicio ad ſacra tractanda attulit, „ cum a rebus ad tantum opus neceſſariis „ homo imparatiſſimus Novam Bibliorum „ interpretationem inſolenti temeritate mo- „ litus eſt. " Hæc *Thuani* Hiſtoriarum edi- tio longe lateque circumlata, judicio hoc corrupto doctiſſimos viros decepit. In his BAYLIUS numerandus eſt, qui in *Dictiona- rio* (*) Editionem Genevenſem ſecutus, Thuanum de verſione Caſtellionis male ſen- ſiſſe autor eſt.

§. 26.

BEZA *primus* fuit, qui Caſtellionis verſio- nem Bibliorum oculis criticis perluſtrans, errores, quos in illa ſe inveniſſe putavit, excerpſit, & totos libros illis complevit. Recentiores Critici, *Richardus Simonius*, *Petrus*

(*) Tit. Caſtalion. l. c.

Petrus Baylius, & innumeri alii argutias illius Grammaticas exſcripſere, ſuperque iis judicia ſua conſtruxere, ſed eousque nemo proceſſit, ut Caſtellionem imperitiæ & impietatis inſimulaverit. Culpæ, quæ ipſi tribuuntur, in quatuor capita redigantur, quæ ſunt: puritati linguæ nimis inhiavit: vim & energiam locutionis Biblicæ enervavit: Canticum Canticorum ſordide & obſcene tranſtulit, tandem: nova vocabula excogitavit. Ut ſupra dixi: quamprimum *Moſes Latinus* in lucem prodiit, multi multa taxavere, quos Autor modeſte refutando placare ſtuduit. Tandem *Beza* illum aggreſſus eſt, qui placari non potuit Putavit ſe Dei cauſam agere, eamque contra Caſtellionem defendere. Ut rem paucis contraham, quivis ſciens, quid ſit tranferre in aliam linguam, intelligit, in translatione Bibliorum easdem regulas ſequendas eſſe, quæ in aliis tranſlationibus adhibentur. Hoc ſuperſtitioſum eſt, ſi dicitur, in aliis libris vertendis genius & pulchritudo linguæ, in quam translatio inſtituitur, ſequenda eſt; ſed in verſione Bibliorum linguæ Hebraicæ & Græcæ indolem & naturam obſervari oportet. Si quis ex Gallica lingua in Germanicam transfert, & Gallicum dicendi genus imitatur, irridetur & Gallo-Germanus vocatur. Cur aliter ſe haberet in Bibliis transferendis? Cur liceret in

ver-

versione sua hebraico aut græco more scribere. Quod de novis vocabulis, quæ excogitasse dicitur, ipsi exprobratur, versionem ejus Bibliorum Gallicam speciatim concernit.

§. 27.

Hanc accusationem aliquantulum movebo, idque hoc magis faciam, quia hæc res hactenus intacta mansit. *Beza* totum opus sprevit, & quantum posset, extinguere studuit. In *responsione* (*) „de gallico sermo„ne, *inquit*, loquar paulo audacius, quem „quum tu neque ex nutrice, neque usu, „vel ex libris recte loqui, ac ne scribere „quidem didiceris, fateor, me sæpissime „miratum, eousque te dementiæ devenis„se, ut Biblia Gallice etiam transferenda „susciperes. Quem enim non putas indi„gnari, quum te audiat Latinæ quidem lin„guæ lautitias ita sectari, ut vetera omnia „fastidias; Gallice vero ita de industria bal„butire, ut ne Pictones quidem ipsi, quo„rum idioma inter Gallos rusticissimum ha„betur, barbariem tuam ferre posse videan„tur." Hoc Bezæ judicium plurimi alii, alioquin eruditi viri, secuti sunt, de labore Castellionis iniquum judicium ferentes. In his est HENRICUS STEPHANUS Typographus,

(*) p. 3.

qui libros non solum impressit, sed etiam scripsit, & inde inter Eruditos aliquod nomen habet. Hic Castellionem ejusque versionem Bibliorum Gallicam inhumanissime tractat, illum in hac versione Blasphematorem & profanatorem impium se præbuisse clamitans. Huic *Baylius* GARASSIUM adjungit, qui etiam de hoc opere frivole sentiit. Idem *Baylius*, quantum inhonestamenti judiciis suis in se admiserint, ostendit. Antequam hanc versionem, *inquit* (*) videram ac legeram, Castellionem Sacra Biblia, uti *Scarronius Virgilium*, tractasse putavi. Postea causam ejus suscipit, atque illam rationibus honestis & veris defendit, *Garassio* calumniæ opprobrium objiciens. Loquendi formulas, *ait*, quas produxit, non reperi nec impudentiam viri satis mirari potui. Tandem versionem ipsam laudat, *dicens*: Si alius quam Castellio hanc versionem fecisset, contra loquendi genus non tantopere tumultuatum esset. Quo lectores de hac disputatione rectius instruantur, eos paucis exemplis docebo, quid actum sit, ex quibus de reliquis judicare poterunt. Illa ex Bezæ *responsione* desumam. Verba in Epistola *Jacobi* Cap. II. vs. 13. κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, versio Genevensis reddit: *Misericorde alencontre de jugement*. Castellio vero tran-

(*) l. c.

transtulit: *la misericorde fait figue au jugemens*. Beza contra hanc versionem ira in census scripsit: „ Quis hoc legit, annon „ impatientissime feret, impura hac formu„ la e medio usque ganeo petita Sacro„ Sanctum Dei verbum a te conspurcari? " Aliæ voces, quas *Beza* & illum fideliter sequens *Stephanus*, reprehendunt, sunt, quod *Avantpeau* pro præputio, *Rongné* pro circumciso, *Embellé* pro incircumciso, *Arriére-femme* pro concubina posuerit. De prioribus *Baylius* linguæ Gallicæ peritissimus sententiam fert: non sunt viles & repentes sed æque pulchræ & efficaces, ac voces *prepuce* & *circoncis*. De duabus posterioribus sententiam suam non aperuit. Ego vero rogo Lectores, ut perpendant, annon pari ratione *arriére-femme* dici possit, quam *arriére-garde*, *arriére-point*, *arriére-vassal*? Quid in hac compositione est insolens? RICHELETIUS in *Dictionario suo*, quod ab omnibus laudatur, scribit: *Arriére* ..... signifie *plus loin; loin du lieu ou on est, ou de la personne à qui l'on parle*. Hagar non eo tempore, quo Sara venit in lectum Abrahami, sed longe post eam, neque tantopere hæsit in animo illius, quam Domina. De formula ista, *la Misericorde fait figue au jugement*, *Baylius* etiam judicium suum reticuit. Sed *Richeletius* iterum opem fert, ut, quid de illa arbitrandum

 sit,

sit, dicere possimus. Iste scribit: *On dit proverbialement, faire la figue, pour dire mepriser quelqu'un, le deffier, se moquer de lui. On dit. il fait la figue à tous ses ennemis, inimicis suis omnibus insultat.* Si dici potest, *insultare inimicis*, cur non idem dici posset de judicio, cum nihil aliud significet, quam *contemnere judicium*, vel *nihili habere*? Qui misericordiam facit, is non timet judicium. Nonne hæc mens est Apostoli? Nonne idem statuit? Qua igitur ratione, quave conscientia *Henricus Stephanus* scribere ausus est: (*) „ *Qui est le lecteur, qui au lieu de bien pezer* „ *ce passage, qui est de telle importance, se* „ *puisse de prime face, guarder de rire, d'une* „ *telle traduction: & puis s'advisant de la ma-* „ *lice du traducteur (qui a expressement cherché* „ *telles façons de parler pour exposer en risée* „ *les propos, si serieux & sacrez,) ne conçoive* „ *une grande indignation contre un tel Profana-* „ *teur, s'il porte quelque reverence à la parole* „ *de Dieu & touché d'aucun zele de l'honneur* „ *d'icelle?*" Culpat *Stephanus*, quod culpandum non est. Deinde illud scripsisse videtur, ut *Bezæ* & Theologis Genevensibus placeret, qui tum plurimum valebant in Gallia. Non dubitandum, quin tales injurias ægre tulerit Castellio; attamen non credo, quod dolori tantopere indulserit, ut ægritudine enectus

(*) *Apologie pour Herodote* T. I. C. 14. p. 191.

enectus fuerit, prout JACOBUS WETSTENIUS in *prolegomenis in N. Teſtam.* ſcribit. Pro animi corporisque robore atque ætatis tempore, nam XLIX nondum computavit ariſtas, longius vivere potuiſſet, niſi peſtis, quæ anno MDLXIII. Baſileæ graſſata eſt, illum abripuiſſet.

§. 28.

Sed in narratione hiſtorica controverſiarum, quas vir hic ſuſtinuit, pergam. Non dubito, quin Lectores, litterarum ſtudioſi delectationem aliquam ex illa capiant, quamvis controverſiæ & modus, quo ductæ ſunt, placere non poſſint. Pugnæ & profuſiones ſanguinis cum voluptate leguntur, quamquam indignationem moveant, cur bella Theologorum non aliquid delectamenti afferrent? Quomodo Genevenſes Caſtellionem ob verſionem ſuam Bibliorum odio perſecuti ſint, dixi; non enim fuit ad eorum palatum. Sed hæc neque ſola neque præcipua cauſa iræ illorum fuit: alia acceſſerunt, quæ ipſos magis erga Caſtellionem exacerbarunt. Hæ in lucem produci debent, ſi Hiſtoria Caſtellionis intelligi debeat; intereſt autem plurimum ut intelligatur, quia partem Hiſtoriæ Reformationis ingreditur. Quomodo autem intelligi poſſet,

cum tenebris obruta jaceat? Ergo ipsi lucem accendamus. Quo hoc præstare possimus, *Beza* ipse nos adjuvat, qui, postquam in *responsione sua* de *Mose Latino* locutus atque in illum invectus fuisset, ita pergit stomachari. „ Quievisti, (postquam Moses Latinus excusus fuit.) aliquamdiu, id est,
„ apud te conticuisti, quod postea evomeres, donec cujusdam impudentia magnum
„ in his regionibus inter homines imperitos
„ certamen de æterna Dei prædestinatione
„ excitares, & *Servetus* eodem pene tempore in hac civitate suarum Blasphemiarum poenas daret. Hic tu vero, sive
„ conjuratorum quorundam, qui paulo post
„ ex hac Republica ejecti sunt, sive tuis
„ ipsius furiis agitatus, aperte furere &
„ bachari cæpisti, & nos partim ut crudeles & sanguinarios, partim ut in Deum
„ Blasphemos (quem dicebas a nobis fieri
„ omnium malorum autorem) atque adeo
„ ut in genus humanum ingratos (quod
„ homines libero arbitrio spoliaremus) &
„ sermonibus & litteris criminasti, ita tamen ut libris, qui de ea, te si non
„ auctore, tamen non ignaro, fictis &
„ Scriptoris & Urbis, & Typographi nominibus, edebantur, nomen tuum non
„ inscriberes. Hinc illa Blasphemiarum farrago cuidam Bellio inscripta, latine pri-

„ mum

„ mum edita, uti omnes ſatis norunt, & „ poſtea Gallice converſa & Lugdunum a „ tuo fratre allata & ibidem excuſa. Se- „ cuta eſt etiam Theologia Germanica, „ (quam falſo vocant,) ſub Theophili no- „ mine impreſſa. Miſſi etiam ſunt a, neſcio, „ quo Lutetiam excudendi articuli adverſus „ Johannem Calvinum, qui tamen mature „ ad nos pervenerunt. Miſſi quoque ali- „ quot libelli Antverpiam ejusdem argu- „ menti; & ibidem excuſi." Hanc accuſationem; quamvis ſatis longam iisdem hic appoſui verbis, quia & hiſtoriam elenchticam & litterariam illuſtrant. Quid lucis ego ex illa perceperim, hic diſpergam. Homo impudens, qui de æterna Dei prædeſtinatione *Calvino* certamen excitaverat, HIERONYMUS BOLSECUS fuit, qui propterea Genevæ in vincula publica traditus, tandem exilio multatus fuit. Hic *Bolſecus* a Caſtellione, ſi non excitatus, confirmatus tamen in certamine fuiſſe videtur. Nam in vinculis dixerat, ſe operam a Baſilienſibus exſpectare. Quinam Baſilienſes iſti fuere? Certe non reliqui Theologi, hi enim Calvini ſententiam de prædeſtinatione tuiti ſunt: Ergo Caſtellio in ſuſpicionem cecidit; & quæ ſequuntur, docebunt, ipſi injuriam factam non eſſe. Lis *Bolſeci* Decembri menſe anni MDLI. in finem perducta fuit. In-

ditionem Gajensem, quæ tum in Bernensium potestate fuit, secessit, ibique commercium litterarum cum Castellione persecutus est, qui se invicem adversus Calvinum exstimularunt.

§. 29.

In æstate anni MDCLIII. *Castellio Annotationes in C. IX Epistolæ ad Romanos* edidit, quæ opera Theologorum Basilensium prohibitæ fuere. Ast cum in linguam Gallicam versæ in 8vo alibi impressæ fuerunt, editio Latina amplius prohiberi non potuit. Facile est creditu, in his annotationibus doctrinæ Calvini non pepercisse Autorem. Castellio illum non solum publice lacessivit, sed etiam clandestinis scriptis. SIMON SULZERUS jam aliquot annos Professoris Theologiæ munere Basileæ perfunctus est, & nunc Antistitis dignitate potitus erat. Ad hunc Calvinus litteras dedit, quæ supersunt, & in quibus de Castellionis clandestinis opusculis queritur. Quantum ex *Sulzeri* responsione apparet, aliquis Epistolam ad Senatum Genevensem, una cum libro contra Calvinum scripto, misit. *Sulzerus* scriptum hoc *libellum famosum* vocat, & Calvinum solatur, quantum potest, benigne. „ Tale, inquit, „ genus famosorum libellorum naturæ quo„ dam instinctu exosum habetur mentibus

„ in-

„ ingenuis." (*) *Calvinus* in Epistola responsoria, *Sulzero* scribit: talem libellum a Castellione & factione ejus scriptum sibi nullum attulisse damnum. Operæ pretium erit ipsa ejus verba intueri. „ Castellio, *scri-* „ *bit*, mihi crede, non minus virulenta est „ Bestia, quam indomita & pervicax. „ Charitatem simulat, nempe ut modesti- „ am: quum tamen nihil arrogantius fingi „ queat. Libellum istum atrocibus in me „ probris refertum ipse & alii consarcina- „ runt eo consilio, ut subitus in me impe- „ tus insurgeret. Longe decepti sunt, nam „ decrevit Senatus, ut mihi legendus dare- „ tur; mihi vero non modo promtum fuit, „ calumniarum nebulas discutere, sed etiam „ convertere in meam laudem, quicquid „ odiose objectum fuerat." (**)

§. 30.

Interea mense augusti hujus anni MDLIII. SERVETUS Genevam venerat, & instigatione Calvini, uti creditur, certe accusatione ejus mense Octobri combustus fuit. Hoc modo ignis odii erga Calvinum magis exarsit. *Castellio* & qui cum illo fecere, non

(*) V. *Calvini Epist. & responsa* p. 327.
(**) ibidem. p. 329.

non solum hoc tempore, quo infelix iste Hispanus in vinculis tenebatur, contra omnem coactionem & Tyrannidem in Religionis causa susceptam verbis stomachati sunt, sed postea scriptis editis illam impugnarunt. Qua de re *Beza* Castellioni exprobravit: Scripta ejusmodi injuriis contra Genevenses plena ipso vel Autore vel non ignaro edita esse. Inter libellos famosos numerat hunc, cujus Titulus est: *De Hæreticis an sint persequendi & omnino, quomodo sit cum eis agendum, doctorum Virorum tum veterum, tum recentiorum sententiæ: Liber hoc tam turbulento tempore pernecessarius, & cum omnibus, tum potissimum Principibus & Magistratibus utilissimus, ad discendum, quodnam sit eorum in re tam controversa, tam periculosa officium.* Huic libro præfatio *Martini Bellii* præposita est. Beza inter hos libellos unum numerat, qui Calvini doctrinam de *prædestinatione* probro affecerit. Hoc sine dubio est scriptum illud, de quo SIMON SULZERUS dixit: *Tale genus libellorum famosorum* &c. & de quo Calvinus ad eundem scripsit: *mihi promtum fuit calumniatum nebulas discutere* &c.

Castellio libellis suis nihil profecit, attamen Calvini doctrinam, quæ Dominium Dei in creaturas extollere videbatur, & quæ late lateque propagata fuit, ferre non potuit.

Alium

Alium itaque libellum composuit, quem, quia imprimi non potuit, Manuscriptum, sed sine nomine Autoris *Parisios* misit, quo fautores Calvini, in hoc capite regni Gallici qui quamplurimi fuere, ab illo averteret. *Ipsi Calvino* inscriptus fuit hoc prætextu inducto: se optare ex animo, ut Doctores sibi non ita contrariarentur, quia una tantum esset veritas, qua de re se scribere ad Calvinum, ut illum edoceat, quæ doctrinæ ejus opponantur, quo intelligeret, quid opponentibus respondere debeat. Quanquam hoc ἀνωνύμως ediderat, Calvinus tamen rescivit, Castellionem esse Autorem, & illum, qui libellum Parisios misisset. Ut hoc quoque credam, causa est, quia rationes, quibus Castellio ad doctrinam Calvini oppugnandam, in *Dialogo de prædestinatione*, qui cum nomine autoris, quamvis diu post illius obitum, emissus fuit (*), usus est, hic jam propositæ leguntur, Calvinus hoc gravissime tulit, hasque objectiones simul cum responsione sub titulo: *Brevis responsio ad diluendas Nebulonis cujusdam Calumnias, quibus doctrinam de æterna Dei prædestinatione foedare conatus est* (*), edendas curavit. Libellus an-

(*) *Dialogus de prædestinatione* inter *Sebastiani Castellionis quædam scripta lectu dignissima. Aresdorfii* 1578.

(**) *Inter Calvini Opuscula Theologica.* p. 1005.

an. MDLIV. impressus est, quamquam in fine annus MDLVIII. legatur. Ex titulo apparet, quam acerbe adversarium suum tractaverit. Omni enim nisu ostendit Calumniam esse, quod Scriptor illius protulit, sc. eum facere *Deum Autorem peccati*, & *pro decreto Dei fatum inducere*. Hoc Calvinus quam longissime a se alienum esse dixit, & doctrinam suam sapientiam & bonitatem Dei seu providentiam Divinam clarissime patefacere autumavit. Quid Theologo acerbius attribui potest, quam quod Castellio attribuit Calvino! „ atqui hi duo Dii, *in-* „ *quit*, (Deus Calvini & Deus in S. Scrip- „ tura revelatus,) ut sunt natura inter se „ contrarii, sic gignunt etiam filios inter se „ contrarios, videlicet ille filios immiseri- „ cordes, superbos, immites, invidos, „ sanguinarios, calumniatores, fictos, ali- „ ud in ore, aliud in corde gerentes, im- „ patientes, malitiosos, seditiosos, con- „ tentiosos, ambitiosos, avaros, volupta- „ tis magis quam Dei amantes, denique „ omnibus pravis & inhonestis affectibus „ plenos, quos eis ipsorum pater suggerit." Calvinus in responsione non mitior, non humanior fuit, sed adversarium inclementissime tractavit, non solum in doctrinam, sed etiam in mores & vitam ejus invectus. „ Quod a Deo meo, *ait*, similes dicis for-

„ mari

„ mari discipulos, crudeles, invidos, Ca-
„ lumniatores, superbos, aliud in lingua,
„ aliud in corde gerentes, ad hanc tuam
„ dicacitatem refutandam, non tam verbis,
„ quam ipsa re instructus prodibo. Quia
„ maledicentia non oblector, per me se-
„ pultra maneant tua flagitia, nisi quod
„ unum breviter coram Deo testari licet,
„ atque operæ pretium est: quum te domi
„ meæ aluerim, me nullum vidisse magis
„ superbum, vel magis perfidum, vel hu-
„ manitatis expertem; qui te & imposto-
„ rem & cynicæ impudentiæ deditum, &
„ scurram ex professo pietati oblaterantem
„ non agnoscunt, nihil prorsus judicant.
„ Sævitiam meam in quo accuses, audire
„ cupio, nisi forte in Magistri tui Serveti
„ morte, pro quo tamen me fuisse depreca-
„ tum, testes sunt ipsi Judices, ex quorum
„ numero nunc duo erant strenui ejus pa-
„ troni." In proverbio dicitur: manus ma-
num lavat. Sed hic dici potest: manus ma-
num maculat. Uterque alteri contraria sen-
tienti inhumane conviciatus est, imo vero
inhumanius, quam hominem, multo magis
Christianum decet; uterque doctrinæ, elo-
quentiæ atque pietatis laude eminuit,
sed hic sui obliti fuere. Tantum valet alter-
cationis Theologicæ fervor.

§. 31.

III.

JOANNIS NICOLAI RICHTERI,

COMMENTATIO PRIOR

AD

I *COR.* XV: 27, 28.

QUA NOVA

S. VEN. RUTGERI SCHUTTE

HYPOTHESIS CONFUTATUR.

§. I.

Caute, omnique adhibita mentis acie, ea Sacri codicis oracula, quæ summum Domini nostri, Jesu Christi, unigeniti Dei Filii, honorem quodammodo impugnare videntur, interpretanda, laudandosque eorum conatus esse, qui in hoc negotio operam suam collocant, nemo ex nostra-

ſtratibus eſt, quin intelligat. Patet vero etiam, omnique caret dubio, deſudantibus in hoc labore & hoc maxime videndum eſſe, ne dictorum illorum veram infirment emphaſin, & dum honori Optimi Servatoris ſtudent, veritatem aliquam aut negare aut ignorare videantur, quæ ad proprium honorem Dei Patris ſpectans ex mandato ipſius Chriſti ſuorumque Apoſtolorum a nobis toto animo credenda eſt. Eſt enim cogitandum, facile & hic fieri poſſe, ut Charybdin vitaturus in Scyllam incidat. Pertinet ad hæc dicta, in quibus explicandis hac duplici circumſpectione curaque opus eſt, ſi ullum aliud, hoc ſane Pauli dictum, quod 1 *Cor.* XV: 27, 28. legitur. Videtur hic ſummus Patris honos ſummum Filii honorem tollere. Dicitur enim Filius, quando ipſi omnia ſubjecta fuerint, ſubjiciendus ei, qui ipſi omnia ſubjecit, hoc eſt, Patri, ut Hic ſit omnia in omnibus. Videant igitur, qui hæc conciliare ſtudent, videant, inquam, ut æque Patris atque Filii honorem nullo modo imminuant, ſed alterum in altero honorent, & ſuum Cuique tribuant. Hæc mihi, dum in verba Apoſtoli commentari ſedet animus, ſuprema lex eſto.

§. 2.

Quam summe venerandus RUTGERUS SCHUTTE, V. D. M. apud Amstelodamenses facundissimus, hujus loci explicationem cum orbe erudito communicavit, *tertio Primæ classis* BIBLIOTHECÆ HAGANÆ *fasciculo* insertam, eam & ingenii ipsius egregii, & insignis multivariæque eruditionis, & stili elegantioris testem lubentissime agnosco atque veneror. Id vero hoc suo doctissimo labore minus a me impetravit, ut in eo, quasi jam genuinus hujus dicti sensus in luce positus sit, acquiescendum esse crederem. Videtur mihi inprimis *Vir eruditissimus* in eam peccasse legem, quæ, dum honorem Filii Dei illibatum servare studemus, vocum emphasin imminuere vetat, earumque nos jubet recordari veritatum, quæ de proprio honore Dei Patris credendæ sunt. Quare quæ explicationi *Viri summe reverendi* quam maxime adversari arbitror, hac dissertatiuncula ea, qua par est, modestia paucis demonstrabo; altera, volente Deo, aliam propositurus expositionem; de qua, utrum vera facilisque sit, atque ex aliis Sacri codicis dictis illustretur, penes æquum Lectorem ipsumque doctissimum SCHUTTIUM sit judicium.

§. 3.

§. 3.

Existimat *Vir maxime venerandus*, Paulum hic *perpetua metaphora singulas phrases & tantum non omnia verba desumsisse ex re Tactica & militari veterum, fideleque depingere tanquam triumphantem ultimo die exercitum sub Duce summo, Christo, qui exercitui huic praeiret, victrices copias in coelum ducturus*. Cum igitur Apostolus dicit: παντα γαρ ὑπεταξεν ὑπο τους ποδας αυτου, *omnia enim ejus pedibus subjecit*; significat ex hac hypothesi, *triumphum omnemque triumphalem pompam à Deo ipso, summo omnium rerum moderatore, de justa victoria & aucto imperio divino, esse decretum Filio, Imperatori exercitus*. Addit explicationis caussa Apostolus: ὁταν δὲ ειπῃ, ὁτι παντα ὑποτετακται, δηλον ὁτι εκτος του ὑποταξαντος αυτῳ τα παντα, *quando vero dicit, omnia subjecta esse, manifestum, eum tantum exceptum, qui ipsi omnia subjecit*. Rursus hic ex eadem hypothesi *alluditur ad pompam triumphalem. Senatus enim Romanus, qui triumphum decreverat, ex veteri instituto, obviam veniens Imperatori, ei non* subordinari *solebat, sed* præcedere *currum imperatoris & pompam triumphalem*. Ultima denique verba, ὁταν δὲ ὑποταγῃ αυτῳ τα παντα, κ. τ. λ. *quando vero omnia ei subjecta fuerint, tum & ipse Filius subjicetur ei, qui ipsi omnia*

 sub-

subjecit, ex eodem ritu illustranda sunt. *Solebat nimirum, uti monuimus, Magistratus obviam venire Imperatori triumphanti extra portam urbis, tum vero cum XII lictoribus praecedere. Atque ita imperator cum exercitu triumphante portam ingrediens, Magistratui* ὑπετάγη, *sive Magistratum ordine sequebatur. Itaque hic verborum sensus est: Filium, plane uti summus belli Imperator in pompa triumphali olim subordinari solebat magistratui, sic summo omnium rerum Moderatori in suo, quem perageret triumpho, esse subordinandum. Quo publico quasi actu manifestum faceret Deus, ipsum hostes vicisse, omnes suos subditos servasse, beneque ac feliciter & ex sententia summi Numinis rempublicam ab eo gestam esse.*

§. 4.

Singulari ingenio hanc hypothesin exornavit *Vir maxime reverendus*, singulari eruditionis lectionisque apparatu, sed successu, uti mihi quidem videtur, haud satis felici. Totum disputationis nostrae caput ad hanc redit quaestionem solvendam, utrum verbum ὑποτάσσειν non *subjectionem*, sed *subordinationem*, quae sit ordinatio seu collocatio aliorum post alios, qualis in triumpho sollemnis est, significet. Videamus primum, utrum hic significatus, quem verbo isti tribuit doctissi-

ctissimus SCHUTTIUS, solido fundamento superstructus sit. Rationes, quibus eum suffulcire studet, hoc continentur syllogismo: si omnes phrases omniaque verba usque a commate 23 a re militari veterum desumta sunt, ipsumque verbum ὑποτάσσειν eo significatu accipi a scriptoribus profanis soleat, dubitari non potest, hoc Pauli dictum de triumpho, quem Christus ducturus est, omnique pompa triumphali exponendum esse; jam cum prius verum sit, verum etiam posterius esse debet. Nulla argumenta præter hæc, quantum ego quidem video, a *Viro doctissimo* sunt allata. Totus igitur in eo est, ut demonstret, τάγμα esse *ordinem militarem*, *turmam*, τέλος *finem belli*, βασιλείαν non *regnum civile*, sed *militare*, παραδοῦναι τὴν βασιλείαν, *imperatoriam potestatem tradere*, καταργεῖν ἐχθροὺς, *adigere hostes, ut quiescant pugnæ*, & quæ sunt similia. At pace *Viri summe venerandi* dixerim, non eam in hoc argumento probandi vim esse, quæ nullum relinquat dubium, & ad pariendam convictionem apta nata sit. Concedo, has phrases atque verba in re militari adhiberi *posse*, & nonnunquam adhiberi. Sed num *sola* in re militari usitata sunt? An nullum aliud existit τάγμα, nullus alius ordo, quam militaris? Est & ordo temporis, manifestumque est, Apostolum de hoc loqui, quod

 voces

voces απαρχη, επειτα, ειτα clarum reddunt. Enarrat enim, quo ordine mortui, temporis ratione habita, in vitam vocandi sunt: *Initium Christus est*, hoc est, tempore primus, qui resurrexit; *tum ii, qui Christi sunt*, suscitabuntur *in adventu ejus*; *tum finis erit*. Quanam igitur necessitate coacti statuamus, hanc vocem a re militari veterum desumtam esse? Et in hac tamen arce plurimum præsidii hypothesi suæ quæsivit doctissimus SCHUTTIUS. Idem de voce τελος monendum, quam de *fine belli* interpretatur. Num enim ex eo, quod auctores profani τελος πολεμου dicant, de quo nemo dubitat, consequitur, etiam hic finem *belli* a Christo gesti intelligendum esse? Plura sunt, quæ ultimo mundi die *finientur*. Erit enim συντελεια του αιωνος, *consummatio sæculi*, eaque omnia tum finem suum habebunt, quæ in sæculo, hoc est, hac mundi ætate, qua numerus creaturarum ratione præditarum nondum erat completus, nullumque factum universale judicium, fieri debebant. Finietur tum resurrectionis opus, finientur imperia terrestria & coelestia, & consummata erit ipsa Christi ad Patris dextram sessio, significatu biblico. Minime igitur necesse est, ut το τελος, nulla restrictum determinatione, de solo *belli* fine interpretemur. Βασιλειαν, quam Christus Patri redditurus est, non *regiam*

potesta-

potestatem, sed *imperium militare*, sed solam *imperatoriam potestatem* exponit *Vir summe reverendus*. Sunt vero hæc ex Psalmo CX, ad quem Apostolus ipse provocat, explicanda, ubi Pater Messiæ: *sede*, inquit, *ad dextram meam*, *usque dum posui omnes tuos hostes ad scabellum pedum tuorum*. Duo his verbis continentur, Sessio Christi ad dextram Patris, & ejus terminus. Nimirum tamdiu illa perdurare debet, donec omnes Christi hostes ejus imperio se subjecerunt. Num vero hæc sessio Christi ad dextram Patris nil nisi imperatoriam ejus potestatem significatu militari complectitur? Annon ipso teste Christo omnis ipsi in coelo & in terra potestas data est? Et quis summum belli ducem hostibus obviam euntem & bellum adversus eos gerentem ad regis dextram sedere dicit? Significat hæc locutio omnem regiam potestatem omneque imperium, nomine & auctoritate regis gerendum, quod nunc non ulterius discutio. Verbum καταϱγειν quoties in Sacro codice occurrit significatu militari non adhibito? Clarum est, cum Christus dicitur καταϱγησειν πασαν αϱχην και πασαν εξουσιαν και δυναμιν, non de victoriis triumphoque, sed de sententia judiciali in eos, qui imperio & potestate erant præditi, hoc explicandum esse. Eadem ratione altera locutio exponenda est:

 ponet

ponet omnes suos hostes ad pedes suos. Significatur enim, hostes ejus coactos quasi genua coram eo flexuros, hoc est, judicio ejus se submissuros atque ejus imperium confessuros esse. Illi enim, qui incurvatis genibus judicio regis in sublimiori throno sedentis se submittunt, dici possunt ad pedes regis sive ad scabellum pedum ipsius positi. Nolo his diutius immorari, nec, quod de explicatione commatis 29. triumque insequentium in analysi proposita, inprimis de novis militibus, qui mortuorum militum loco in baptismo nomen darent Christo, moneri posset, adjungere. Jam enim patere arbitror, hypothesin a *doctissimo Auctore* inventam ex hac saltem parte infirmo niti fulcro, cum nulla adsit necessitas, qua coacti de phrasibus verbisque a re Tactica veterum desumtis hic cogitemus.

§. 5.

Videamus nunc, utrum, quod præcipuum est, ipsum verbum ὑποτάσσειν & ὑποτάσσεσθαι verbum militare hic esse sufficienter demonstratum sit. Unum alterumque locum ex auctoribus profanis adduxit *Vir summe venerandus*, ubi ὑποτάσσεσθαι idem est, quod τάσσεσθαι ὑπό τινος, & significatus justi ordinis, quo unum post alterum ordinatum

tum locatumve eſt, locum habet. Quid vero ex hoc conſequitur? Nihil, arbitror, quam quod hoc verbum juxta etymologiam ſuam hoc ſignificatu nonnunquam, re ſic ferente, accipi *queat*. Num vero etiam hic *debeat*, minime probatum eſt. Quis enim neget, etiam extra bellum ὑποταξιν ſollemnem eſſe, aliosque aliis eſſe ὑποτεταγμενους eo ſignificatu, qui *ſubjectionem* vere talem innuit? Et quamvis concedam, verbum hoc tanquam militare hic poſſe conſiderari, num propterea ad *ſubordinationis* notionem neceſſario confugiendum eſt? Annon alia ὑποταξις in re militari magis ſollemnis eſt? Annon omnes milites ſummo Duci ὑποτεταγμενοι, ita *ſubditi* ſunt, ut ab imperio ejus pendeant? Locus ex *Clemente Romano*, a *Viro eruditiſſimo* adductus, tantum abeſt, ut ad ſtabiliendam ipſius hypotheſin faciat, ut potius aliam ſuadeat. Monentur, *qui ſub ducibus ſuis merent: conſiderent, quemadmodum* — ὑποτεταγμενως, hoc eſt, debita ſubjectione ſeu ſubmiſſione, *imperata exſequantur*. Hæc enim additur ratio: *non omnes ſunt præfecti, neque tribuni, neque centuriones*, ſcilicet ut poſſint imperare, *ſed unusquisque in ſuo ordine* (eo, in quo collocatus eſt, gradu) *ab imperatore & ducibus mandata peragit*. Hic igitur alia militaris ὑποταξις memoratur, *ſubjectio* veri nominis,

minis, vi cujus militum est, imperata exse qui & superioribus se submittere. Quid ergo paucissima illa loca ex veterum scriptis allata ad confirmandam hypothesin, Paulum de subordinatione in triumpho Christi pompaque triumphali hic loqui, conferant, ipse judicet doctissimus SCHUTTIUS.

§. 6.

Elaboravi adhuc, ut argumentis *Viri summe reverendi* non eam inesse vim demonstrarem, quæ hypothesi ab eo adaptatæ probabilitatem conciliet. Jam aliis eam armis impugnare aggredior; ostensurus quippe, quibus ea difficultatibus prematur, & quæ superanda, quæ e medio tollenda sint, ut commendari queat. Primum hoc est, Paulum de eo, quod ex hac hypothesi præcipuum & palmarium erat, altissimum observare silentium. Existimat nimirum doctissimus SCHUTTIUS, describi *triumphum*, quem Filius Dei pantocritico die ex decreto Patris peracturus sit. Sed quænam vox, quodnam verbum hunc ipsum triumphum describit, significat, innuit? Ubinam coelestis Capitolii & introitus in illud vel tantilla fit mentio? Et quibusnam verbis Filius dicitur omnem exercitum *præcessurus*, & Deum triunum *subsecuturus*? Hæc omnia inprimis enarranda,

da, hæc tanquam res palmaria minime silentio prætereunda fuerunt. Neque tamen quidquam, si a sententia *Viri doctissimi* standum est, Apostolus dicit; quam quod omnia a tergo Christi ordinanda, atque ipse pone Deum triunum ordine collocandus sit. Doceat igitur *Vir maxime reverendus*, quid caussæ fuerit, ut, cum Paulus triumphum Christi ejusque in coeleste Capitolium ingressum describere voluerit, ne unam quidem de his rebus vocem miserit, idque unice docuerit, quem quisque ordinem in triumpho illo sit occupaturus.

§. 7.

Alterum, quod expositionem *Viri summe venerandi* falsitatis arguit, hoc est, quod a locis parallelis longe lateque abeat. Dicitur hic Deus ὑποταξας παντα, *omnia subjecisse* Filio suo. Eadem locutio præter hunc locum ter, quantum memini, in tabulis Novi foederis adhibetur, ubi sane de triumpho pompaque triumphali explicari non potest. Primus locus *Eph.* I: 22. exstat: και παντα ὑπεταξεν ὑπο τους ποδας αυτου, *& omnia subjecit ejus pedibus.* Legas hæc in connexione cum antecedentibus & insequentibus, & judices, quæso, quidnam de his sententiis sentiendum sit: *collocavit Deus Christum ad dextram suam, supra omnem principatum & potesta-*

potestatem & vim — & decrevit, ut omnia olim post ejus tergum collocanda sint — *& eum dedit caput super omnia ecclesiæ.* Quid hoc est, pace doctissimi SCHUTTII hoc dixerim, cujus eruditionem nihilominus suspicio, veneror; quid hoc est, quam δουλευειν υποθεσει, enervare genuinam hujus locutionis emphasin, & loco veritatis alicujus longe gravissimæ, quam Apostolus ea proposuit, aliam substituere, quæ nonnisi in exili cærimonia consistere creditur? Muneris enim judicialis, Christo commissi, descriptio hic multo magis priusque erat exspectanda, quærenda, &, nisi omnia nos fallunt, invenienda. Edocet idem Apostolus *Phil.* III: 21, Dominum nostrum, Jesum Christum, mutaturum esse corpus nostrum humile in gloriosum, κατα την ενεργειαν του δυνασθαι αυτον και ὑποταξαι ἑαυτω τα παντα, *juxta potentiam, qua & potest sibi omnia subjicere.* Quis eam hic cogitet potentiam, qua Christus, ut omnia olim a tergo ipsum subsequantur, efficere potest? Addo *Hebr.* II: 8. *omniaque subjecit ejus pedibus. Cum enim ei omnia subjecit, nihil reliquit, quod ipsi non sit subjectum: nunc vero nondum videmus ipsi omnia subjecta.* Quem locum quomodo cum sua hypothesi conciliet *Vir summe venerandus*, minime intelligo. Taceo, ipsi, si res penitius consideretur, ὑποτασσειν esse *triumphum*

seu

seu pompam triumphalem decernere. Quam longe vero hoc a vera verbi significatione abeat, per se patet.

§. 8.

Norunt omnes, neque ipse *Vir eruditissimus* diffitetur, verba Pauli, παντα γαρ ὑπεταξεν ὑπο τους ποδας αυτου, ex *Psalmo octavo* desumta esse, ubi de Messia, qui, minor Angelis factus, ad summum gloriæ & honoris culmen evehendus erat, dicitur: *Operum manuum tuarum Dominum fecisti eum; omnia ejus pedibus subjecisti.* Jam primum quæritur, utrum sanctus Apostolus verbis hisce Davidicis ita utatur, ut ea tantummodo ad scopum suum accommodet, an vero ita, ut ex eis aliquid demonstratum eat. Illud negandum, hoc affirmandum esse, patet ex particula γαρ, quæ comma 27. cum commate 26. connectit. Clarum est, Apostolum in connexione hoc significare: *ad hos hostes, qui omnes ad pedes ipsius ponendi sunt, hoc est, sententias ab eo latas revereri debent, etiam mors, hostis omnium longissime dominaturus, referri debet, atque adeo suo tempore abolebitur, seu, ut imperare cesset, jubebitur. Patet hoc, uti ex verbis jam adductis, ita etiam ex iis Davidis verbis, quibus omnia Deum pedibus Messiæ subjecisse canit. Quando enim divinus hic vates omnia*

omnia ei ſubjecta eſſe dicit; manifeſtum eſt, nihil omnino exceptum, præter eum, qui ipſi omnia ſubjecit: unde nec mors, aut angelus ille, morte dominans, excipiendus erit; mortem autem abolere, angelum mortis condemnare, ut imperare ceſſet, aliud non eſt, niſi mortuos excitare, nunquam deinceps morituros. Surgent ergo mortui. Hoc modo Apoſtolus ex verbis Davidis optime facillimeque ratiocinatur, uti & Hebr. II: 8., certiſſimo indicio, eum ex illis probare, quod ſibi probandum ſumſerat. Jam porro quæritur, utrum Paulus hæc verba alio, an plane eodem, quo David, ſenſu accipiat. Illud falſum eſſe quis neget? Quanam enim ratione & quo jure demonſtrationis cauſſa ad verba alterius provocem, quibus præter intentionem dicentis alium plane ſenſum affingam? Quanto igitur minus ſapientiſſimus Apoſtolus ita agere cenſendus erit? Quare cum plane nullum ſit dubium, Paulum adducta verba: *Deus omnia pedibus Meſſiæ ſubjecit*, eodem cape[illegible] quo David, vates divinus; [illegible] jam erit, quis eis in P[illegible] endus ſit. Id vero omn[illegible] perſuadeam, Davide[illegible] lem in oculis habuiſſ[illegible] e. Morem trium[illegible] uſitatum vel in m[illegible] rtinet, quod magiſ[illegible] præcellerit [illegible]

militesque cum ceteris pone imperatorem ordinati collocatique fuerint) jam Davidis tempore obtinuisse, quis credat? David ipse summus belli imperator fuit, uti reges apud gentes: quemnam igitur, cum David triumphum duceret, eum præcessisse credamus? Et ubi de ejusmodi triumphis Davidicis pompaque triumphali aliquid relatum legimus? Magistratum apud Romanos imperatorem præcessisse haud mirum, quod ille hoc fuit superior potestate. Cæsaris vero Augusti tempore jam aliud obtinuit, senatusque eum subsequi jussus est; cujus ipse *Vir summe reverendus* clarissimum adduxit testimonium. Quid multa? Certum est, Davidem recentiorem hunc triumphandi morem Romanorum ignorasse: unde nec Apostolus, cum ex ode Davidica Christo omnia subjecta esse dicit, eum sibi ob oculos posuisse censendus est. Alludit vates divinus, quod clarissimum atque ab aliis jam observatum est, ad primum hominem, ad imaginem Dei creatum ornatumque dominio in [illegible]ras. Quemadmodum igitur hunc Deus dominum fecerat, ita longe eminen[illegible] sensu Messiam Dominum constituit, [illegible]que ejus pedibus subjecit. Constat, [illegible]nis carminibusque Pro[illegible]entiam duplici phrasi [illegible], ut posterior phrasis gra-

gravior esse, & rem sub alia facie proponere soleat. Quidnam vero hic gravius? Utrum hoc: operum manuum tuarum Dominum fecisti eum? An hoc: (juxta hypothesin *Viri summe reverendi*) decrevisti, ut eum, triumphum olim peracturum, omnia ordine subsequantur? Ex mea sententia utraque phrasis hoc modo explicanda est: *omnia tua, o Deus, opera, coelos & terram, & quæ in eis continentur, ejus dominio subjecisti: ex voluntate tua omnia, nullâ plane re excepta, ei parere, ejus voluntati obsequi, legesque & sententias latas revereri debent.* Posterior ergo phrasis non a pompa triumphali, sed a rege, in sublimiore throno sedente, atque hinc sibi subditis leges sententiasque ferente, desumta est. Ponamus denique tantisper, Davidem ad triumphandi morem respicere, & indicare, Deum Uncto suo triumphum pompamque triumphalem decrevisse, cum illum hujus pedibus omnia subjecisse canit: quænam jam juxta Psalmum Messiam triumphaturum subsecutura sunt? *Oves*, ait David, *& boves, & omnia fera, & pisces marini.* Nisi enim oves bovesque *mysticos* (quis vero hanc explicationem concoquat?) in subsidium vocet *Vir doctissimus*, hypothesin suam defendere minus poterit.

§. 9.

§. 9.

Aliud, quod expositioni *Viri maxime reverendi* contrariatur, partim ex his, quæ hactenus demonstravi, consequitur. Quando Apostolus dicit: ὁταν ὑποταγῃ αυτῳ τα παντα, hoc idem omnino est, ac si diceret: ὁταν ὑποταγῃ τα παντα ὑπο τους ποδας αυτου, *quando omnia subjecta fuerint ejus pedibus.* Quare cum de Filio Dei dicitur: τοτε και αυτος ὁ Υιος ὑποταγησεται κ. τ. λ. negandum non est, brevius loqui sanctum Apostolum, atque horum verborum loco hæc posse substitui: τοτε και αυτος ὁ Υιος ὑποταγησεται ὑπο τους ποδας του ὑποταξαντος τα παντα ὑπο τους ποδας αυτου, *tum & ipse Filius subjicietur pedibus ejus, qui omnia ipsius pedibus subjecit.* Idem enim hoc loco esse, ὑποτασσεσθαι τινι & ὑποτασσεσθαι ὑπο τους ποδας τινος, ex commate 27. & *Hebr.* II: 8. ubi Apostolus his locutionibus variat, quam clarissime elucet, & vel ex eo consequitur, quod alias ratiocinium Apostoli haud satis firmo niteretur fulcro. Ponamus jam, quod eruditissimus SCHUTTIUS vult, *alludi ad sublimem currum triumphalem, in quo Imperator celsus stabat, & supra reliquum exercitum eminens, dum milites, inferiori loco & fere sub pedes eum subsequentes, Capitolium petere solebant:* quid

hinc consequeretur? Hoc sine dubio: summum magistratum sublimiore curru vectum celsiorem stetisse, & supra ipsum imperatorem eminentem. Imperator enim secundum hanc hypothesin ὑπεταγη ὑπο τους πόδας magistratus. Unde vero hoc probet *Vir summe venerandus*? Qui ipse haud diffiteri videtur, pedibus obviam ivisse magistratum Imperatori. Si vero hoc; certe Imperator *sub pedes* magistratus subsecutus dici non potest. Taceo, veri admodum dissimile videri, phrasi, pedibus alicujus subjectum seu subordinatum esse, idem esse, atque aliquem celsiori loco stantem subsequi. Quis de exercitu, Imperatorem, equo præcedentem, subsequente diceret, illum pedibus Imperatoris subordinatum iter facere?

§. 10.

Neque video, quid sibi velint, & quam emphasin tueantur voces ΤΟΤΕ ΚΑΙ ΑΥΤΟΣ, si nil nisi ordo in serie triumphantium indicandus erat. Plane hæ voces, si hypothesis *Viri eruditissimi* locum habeat, superfluæ sunt, quod cum stilo Apostoli non convenit. Mentem enim suam omnem aperuisset Apostolus, modo hæc scripsisset: *Omnibus vero ei subordinatis Filius subordinabitur ei, qui ipsi omnia subordinavit.*

§. 11.

§. 11.

Si denique rem ipsam consideremus, quæ ex hac hypothesi fidei nostræ proponitur, nihil ea minus probabile & credibile esse potest. Christus curru triumphali vehetur. Præcedet Deus triunus. Subsequentur fideles, atque ab horum tergo hostes, Satanas, mors, arma, coronæ laureæ, præmia (hæc enim omnia ad τα παντα referenda sunt) agmen claudent. Omnia hæc in suo quodlibet ordine Romam coelestem ingressura sunt. Hæc enim aut revera ita fient, aut non. Si illud statuatur, ipse Satanas, ipsi increduli coelum introituri sunt, ex quo illico casu graviore ruant. Si vero hoc sumatur, nec revera triumphalis illa pompa futura sit; quis ingenii lusus Apostolo nostro hic affingitur, de quo ubique abhorret maxime? Longe gravior fuit doctrina universalis judicii, & dignior materies, quam data hic per resurrectionis doctrinam occasione graphice depingeret, quam ejusmodi triumphalis pompa, nunquam ea ratione exstitura.

T A N T U M.

IV.

LITTERÆ DUÆ (*)

CHRISTIANI HUGENII

AD

GERARDUM MEYERUM,

Theologum Bremensem, ex Autographo.

Clarissime Vir,

Quod literas D. *Leibnitii*, quem merito suo permagni facio, ad me perferri curaveris, eandemque operam in posterum officiose pollicearis, gratias ago quam maximas, ac libenter amicitiæ paternæ redin-

(*) Litteræ Inl. *Hugenii*, Viri eruditissimi, cui *pendulorum* horologiorum inventum, multaque alia scripta Physicam, Mathesin & præcipue Opticam illustrantia debemus, ad *G. Meyerum* datæ,

dintegrandæ occasionem hinc enatam amplector. Quid enim optabilius quam viris eruditis ac sanioris Philosophiæ studium professis conciliari, atque aliquo loco sese esse intelligere. Te vero in horum numero censendum, e brevicula licet Epistola satis conjicere potui, eoque magis mihi gratulor, si quid in lucubrationibus meis, quod Tibi pro-

datæ, parum quidem continent notatu dignum. Ostendunt tamen, *quo intercessore* in commercio Litterario cum Ill. *Leibnitio* & enodandis Problematibus Geometricis usus fuerit, & *Gerardi Meyeri* ad honorem faciunt quemadmodum etiam Epistola Ill. *Seckendorffii* ad eundem. Quanti eum vero habuerit Ill. *Leibnitius* patet tum ex hujus Epistolis ad *D. E. Jablonskium* in *J. E. Kappens* Sammlung einiger Vertrauten Briefe zwischen dem weltberühmten Freyherrn G. W. von Leibnitz und dem berühmten Berlinischen Hof-Prediger Hn. D. E. Jablonski gewechselt u. s. w. Leipzig 1744. tum ex ejusdem Litteris ad *Jobum Ludolfum*, quas videsis in *J. Ludolfi & G. G. Leibnitii Commercio Epistolico*, quod recensuit *Aug. Bened. Michaëlis Goettingæ* 1755. & patebit, quando ipsius Litteras ad *Meyerum* ex autographo dabimus. Laudat passim Meyeri *Specimen Glossarii Etymologici Saxonici*, quod quum nondum comparuit, sinistro fato in hujus illiusve hæredis aut aliorum scriniis delitescat oportet. NB.

probetur, repereris. Semper quidem uni veritati me studuisse scio, felix si & litare quandoque contigerit. De *Cartesii* degeneribus discipulis justa plane est expostulatio Tua, facitque ut, sicut hactenus, æquum Te mihi lectorem spondeam, cum alios Viri illius magni errores redarguam, atque, ut spero, veriora quædam in eorum locum substituam. Vale, Vir Eximie, Tibique amicis optimeque cupientibus adnumera

Chr. Hugenium.

d. Hagæ-Comitum
26. Martis 1691.

Litteras ad Clar. *Leibnitium* hisce additas sine mora Hanoveram ut mittas rogo.

Ejusdem ad eundem.

Mitto ecce ad Clariss. *Leibnitium* literas, quibus ad ultimas Ipsius respondeo, serius quidem quam oportuit, sed non sine legitima excusatione, quam lubenter, ut puto, accipiet. De permutatione scriptorum Geometricorum quid futurum sit videbimus, ubi rationes meas expenderit Vir Clariss. Satis enim inter nos convenisse videbatur

debatur ut ille prior mitteret, ſicut & prior commercium hoc obtulerat. Nunc vero præcautione utitur, quaſi diffidens mihi, ne ſtem promiſſis. Epiſtolam iſtam apertam Tibi mittere animus erat, ut aliquem ſaltem fructum humanitatis Tuæ perciperes, ſed neſcio an hoc velit Clariſſ. *Leibnitius*; etſi ego, ut in iis, quas ad me ſcribit, hoc jure utatur, non invitus permittam. Ad ea quæ in penultimis Tuis de *Carteſiana* Philoſophia interrogaſti, oportuniori tempore reſpondebo; nunc enim ne momentum quidem ſupereſt, cum longioribus iſtis exarandis diutius inhæſerim. Vale Vir Præſtantiſſime & Eruditiſſime. Dabam Hagæ Comitum 16. *Nov.* 1691.

V.

V. L. à SECKENDORFF, EPISTOLA AD GERARDUM MEYERUM.

Multum debeo, Vir pl. Reverende atque Excell^me^, agnato Tuo, itidem Excell^mo^ nobilissimoque viro, *Directori Cancell. Halberstadiensis*, tum ob magnam in me humanitatem & benevolentiam in multis negotiis, quæ communia habuîmus, demonstratam, tum quod, ut ex literis Tuis d. 21. Sept. ad me scriptis intelligo, etiam ad Tuam amicitiam mihi aditum fecit. Gratias inprimis ago pro schedis quas misisti. Quamvis enim absoluto jam penitus opere meo supervenerint, ita ut illis ad locupletandum ornandumque illud uti nequiverim, quod sane doleo; didici tamen (neque me discere charites ætate mea poenitet) quæ non æque nota fuerant & confirmatus

sum

ſum in ſententia, quam & Tibi dudum placuiſſe indicas, reformationis cauſas juſtiſſimas majoribus noſtris fuiſſe, easque ex hiſtoria particulari & locali optime probari poſſe. Ad illum ſcopum laboraſſe me in libro meo pro viribus haud difficulter deprehendes, dum modo eum dignum reputes, quem Bibliothecis veſtris inferatis & legatis. Tumultus Gallicus, quo Germania noſtra quaſſatur, multos retinuit, multos etiam ita afflixit, ut mittere quæ deſiderabam ex illuſtribus urbibus ac regionibus documenta non potuerint; neque tamen ſpernenda ſunt quæ accepi & operi meo inſerui. Et meo, uti ſpero, exemplo viri idonei ſe excitari patientur, ut ſuo quisque loco ad conſervandam memoriam rerum, in emendatione Eccleſiæ geſtarum poſthac occupentur. Tibi Vir Excell. ſtimulis ad hoc opus non eſt, ſed ea quam deſiderare videris, egoque Tibi opto, quiete, qua levatus à nimiis laboribus aliis huic Te tradere poſſis. Promovebit hoc inſtitutum Deus, prout ad gloriæ ſuæ augmentum, Tuumque etiam commodum expedire judicabit. Cæterum de rebus urbis veſtræ non pauca in opere meo reperies, non uſque quaque vulgata, ſed quæ Tu forte ex uberiori documentorum copia emendare poſſis & amplificare, quod pio facto me minime invito

 facies.

facies. Epistolæ Lutheri ad *Jacobum Præpositum* (Praest) scriptæ notitiam habui, eamque libro meo III. §. CXXXIII. n. 5. & §. CLXI. n. 8. allegavi, omissis tamen, quæ asperius de controversia Sacramentaria scripserat. Licet enim sententiæ ejus adhæream, in qua (secus ac quidam tradiderunt) ad finem usque vitæ perstitit, meo tamen instituto non conveniebat, ut odiosa & dura omnia, quæ in disputationum calore, aut in familiari sermone aut literis, Viro liberi pectoris & oris, exciderunt, verbotenus referrem. Alteram ad *Herwordiensem Abbatissam*, cui una cum *Melanchtone* an. 1535. subscripsit, vidisse me non recordor. Breve ad eandem Epistolium, similisque fere argumenti a. 1532. scriptum exstat Tom. V. Alt. fol. 1280. quod libro III. §. XVI. n. 3. indicavi. Protuli & alia irrefragabilia testimonia, quod nihil minus Luthero cordi fuerit, quam bonorum Ecclesiæ distractionem. Expectandum mihi jam est orbis literati de labore meo judicium, agnosco plurimos defectus meos. Conscientia etiam teste erigor, me bona intentione ac fide in scriptione illa versatum esse; plura præstiturum, si per ætatem & imminutas vires corporis & ingenii licuisset. Adversæ parti, pontificiæ nempe, non potui non displicere, quanquam eum scopum minime

habui,

habui, sed eo potius omnem contuli operam, ut majorum acta, ubi honeste potui, defenderem, & odia, quibus & illi olim infestati sunt, & nos adhuc affligimur, si fieri posset, lenirem. Sed ea ex ipso libro ejusque præloquiis & epilogis, si placet, prolixius cognosces. Ego Te optime valere jubeo, & amoris erga me Tui constantiam peto, non defuturus occasioni, si qua potiri liceat, qua Tibi optimum studium meum de Te bene merendi ostendere re ipsa possim. Scr. in prædio meo Menschwiziano d. 19. Octobr. 1691.

pl. Rev. Exc. tuæ

Studiosissimus Deditissimusque.

V. L. v. Seckendorff,

mpp.

VI.

IN ILLUSTRIS SECKENDORFFII,

Comment. Apologet. de Vita LUTHERI.

Est Deus in verbo ceu Sol in lumine vero,
Nocte velut Solis Cynthia luce micat,
Sic instar Lunæ *Lutherus* in orbe tenebras
Discutit exoriens, sanaque Sacra docet.
Deceptum populum, Sanctos, Papamque colentem,
Gratia pro merito quid meruisse queat,
Sedulus inculcat, cunctis mysteria pandit,
Scripturæ Interpres, triticeumque Deum
Tollit; Tezelio nummis venalia jura
Tradenti scelerum, justaque bella movet.
Augustana tulit demum *Confessio* palmam
Atque reformavit Relligionis opus.
Vertitur in rabiem Belial, cum Dæmone Satan
Lucifer, & quicquid Styx Phlegetonque vomunt,
Offundunt nebulas *Luthero*, noctis amantes,
Et tenebras lucem, conciliumque vocant,
Conveniunt, fugiunt, redeunt, & anathema Veri
Dogma vocant, perdunt traditione Fidem,
Scilicet assueti nugis cicurare popellum,
Sic Evangelium proh! jugulare parant.

Maimbur-

Maimburgus Lojolæ Socius, Romæque satelles,
Luthero infamem consuit *Historiam*,
Ut vulgum capiat, propinat blande venena,
Toxica sæva tegens, sæpeque laude nocens.
SECKENDORFFIADES, vectus super æthera fama,
Unica quo poterit suada tacente loqui
Atque loquente tacet nulli pietate secundus,
Cominus aggreditur Virque virumque legit.
Invidiosa subit *Maimburgus* fata triumphi.
Tam docta nolit quis cecidisse manu ? !
Qui scit, quid valeant nummi quidve æra lupinis
Distent, ex facili judicat atque probat:
Si Deus in *Vero* Sol est; si Luna *Lutherus*
SECKENDORFFIADES, Lucida stella poli est.

Deproperabat *Pegaviæ* ab ipsis fere Illustris *Seckendorffii* amplexibus.

Nicolaus Meyer (*).

In Illustris SECKENDORFII *effigiem*

SECKENDORFFIADES, vultum sic exserit umbris
Et DOCTUS doctæ vivit ab arte manus.
Umbra sumus TANTUM: sed virtus servat ab umbris,
Et facit æterna vivere laude VIRUM.

Postrid. Calend. *Augusti*
Ao. CIƆ IƆ CXCI.

(*) Fuit agnatus Gera. Meyero; itidem Bremensis & Director Cancellariæ Halberstadiensis uti ex litteris *Ill. Seckendorfii* præcedentibus patescit, in ætatis flore extinctus. N. B.

VII.

VII.

LITTERARIA.

MADRITI.

Prodiit jam a. 1760. opus egregium, sc. *Bibliotheca* ARABICO HISPANA ESCURIALENSIS, *sive librorum omnium MSS., quos, Arabice ab Auctoribus magnam partem Arabo-Hispanis compositos, Bibliotheca Coenobii Escurialensis complectitur, recensio & explanatio: opera & studio* MICHAËLIS CASIRI, *Syro-Maronitae, Presbyteri, S. Th. Doct. Regis a Bibliotheca, & LL. OO. interpretatione, Caroli III. Auctoritate & auspiciis edita. Tomus prior. fol.* Ignoramus num Tomi plures priorem sequuti sint; id quod omnes Arabicorum studiorum fautores maxime cupiunt.

MAGDEBURGI.

Hn. JOH. MELCH. GÖTZE Vertheydigung des Gleichen bey der erscheinung der Weisen aus dem Morgenlande 1764. 8.

C. CON-

C. CORN. TACITUS Werke / aus dem Lateinischen übersezt und mit Anmerkungen versehen. Zwey Theile 1765. 8.

MANHEMII.

Historia & Commentationes Academiae Electoralis Scientiarum & Elegantiorum Litterarum Theodoro - Palatinae, Volumen primum 1766. 4. & rec. in *Bibl. des Sciences* T. XXVI. & XXVII.

Hn. CHRISTOPH. JAKOB KREMERS Geschichte des Churfürsten / Friederichs des Ersten / von der Pfalz / in 6 Büchern 1766. 4.

— J. H. BASCHMAN, Regierung und Consistorial-Raths / zwo Urkunden zur Erläuterung der Geschichte der Gefangennehmung Philips des Grosmüthigen / Landgraven zu Hessen / aus dem Zweybrükkischen Archiv herausgegeben / und mit Anmerkungen versehen 1768. 8.

Dissertation Historique & Critique sur la pretendu Cartel, ou Lettre de Defi, envoyée par Charles Louis, Electeur Palatin au Vicomte de Turenne par Mr. COLINI 1767. 8.

Gründliche Ausfürung von der Ausschliessung der Geistlichen und dem Vorzug der weltlichen Brüder in der folge in deutsche weltliche / zumahl Lehnbahre Fürstenthümer / Graf und Herrschaften / aus dem Longobardischen und deutschen Lehn-Rechten u. s. w. 1770. fol.

MARPURGI CATTORUM.

V. C. PHIL. GEORGIUS SCHROEDERUS, *Med. D. & Prof.* Gottingam a. 1764. vocatus abiit in

... rum S. Ministerii, & mox Consiliarius ... rius ... constitutus est.

... Th. D. & Prof. a. 176 ... scriptis sibi nomen ... reliquit duos filios; quorum ... Cancellarium cum ..., alter vero Professionem ... cum Teutoburgensi com...

... datus fuit. V. C. CAROLUS ... D. M. Consiliarius.

... scripsit *Ethicae Christianae* ..., *in ... usus elaboratum* ... imprimis Lectorem ..., ... totum quantum in id ... sacer codex de confer... hominis morali, nec non de diversis ... obligationibus vel manifesto ... vel expressis verbis tradit, ex ipsis ... admirandam, quam ... cum experientia & ..., convenientiam pro ...; & proinde flagitat, ... normam hujus vel il... ad ductum ipsius S. S. & ...; tandem jure suo ... nunc con... ad calcem ... sine attenta ... examine vix ...

... Dissert. Exe... ...HAUSEN, ... *Regum* ... *...rum*

Sua

Sub *præsidio* V. C. J. G. SCHROEDERI, *Phil. D. & LL. OO. Prof.* edidit & defendit JOA. MATTH. HASSENCAMP, *Marpurgensis*, Dissert. Philol. Crit. *de Pentateucho LXX Interpretum Græco, non ex Hebræo sed Samaritano textu converso* 1765. Partem Diss. posteriorem doctæ hujus Dissert. adhuc exspectamus.

Idem V. C. J. M. HASSENCAMP hic edidit: Anmerkungen über die letzte Paragraphen des Hn. Hofrath Michaelis Einleitung in die Göttliche Schriften des Neuen Bundes von J. M. H. 1767. Demonstrat adductis exemplis contra Ill. *Michaelis* ab Ecclesia Orientali authentiam Epistolarum Apostolicarum, Jacobi, poster. Petri, secundæ & tertiæ Joannis, Judæ, & Apocalypseos ita dictarum ἀντιλεγομένων fuisse agnitam. Sinici ut & monumenti, de Christianismo seculo VIII jam in hoc regno introducto, authentiam. Hunc libellum ipse transtuli in Belgicam linguam, additis aliquot adnotationibus, Medioburgi 1770. 8.

Prodierunt *Opuscula Historica i. e.* AUGUSTI A LEYSER. Biga Commentationum Historicarum *de Vesperis Siculis, & raptu Ænnæ Britannæ cum notis & additamentis, adjecto spicilegio observationum de connexione Italiæ cum regno Germanico* 1768.

V. C. J. FR. COING, *Phil. Prof. Institutiones Logicæ* 1767. 8. —— *Institutiones Philosoph. de Deo; anima humana, mundo & primis cognitionis humanæ principiis* 1765. 8.

—— FRID. HERMANNI RÖMERSHAUSEN, specimen primum *Observat. Sacr. in V. & N. Test. ex Syriacis scriptoribus* 1770.

V. C. MICH. CONR. CURTII, Prolusio prima de *regno Galitiæ seu Haliciæ in titulis Regum Hungariæ obvio* 1769.

Et sub *ejus præsidio* HENR. GUIL. EICHENBERG, Dissert. *de Philippo Magnanimo, a proditionis & perfidiæ vitio immuni* 1769.

Hn. Geh. Regierungs. R. und Vicekanzlers ESTORS Freyheit der Deutschen Könige / vornemlich in rücksicht auf S. Kaiserliche Majestät und in betreff der Deutschen Reichsständen wider die *Curialien* zu Rom. 1766. 8. Liber lectu dignissimus.

Hn. Professor CAR. FRA. LUB. HAASENS Lebensbeschreibung des berühmten D. HENRICH HORCHENS 1769. 8.

Hn. Prof. JOA. ANDR. HOFMANS, Abhandlung von den vormaligen und heutigen Kriegsstaate / so in Deutschland als Hessen insbesonder 1769. 8.

MEDIOBURGI.

De Vyfentwintigste en twaalf volgende Psalmen verklaard, en naar tyds gelegenheid tot gebruik gebragt door wylen den Heere JOANNES PLEVIER, *in zyne Eerw. leven Predikant te Middelburg, met eene Voorrede van den Heere* ADR. BRUYSTENS, *Pred. aldaar* 1765. *De Agtendertigste en Elf volgende Psalmen enz.* 1770. 4.

Verklaring van zommige hoofdstukken der heilige Schriftuure, en wel van het N. T. door wylen den Heere KORNELIS BOOTT, *Pred. te Middelburg, met aanteekeningen van den Heere* P. VERSLUYS, *Pred. te Steenbergen, met eene Voorrede over de Discipelen, die na Emmaus gin-*

gingen door N. BARKEY, *Doctor en Professor der H. Godgeleerdheid en Pred. te Bremen* 1764. 4. Exponuntur Capita N. T. sequentia *Rom.* II. & XIII. 1 *Cor.* VII. 2 *Cor.* III. & VIII. *Col.* III. 1 *Thess.* III. 2 *Tim.* II. *Hebr.* VI. 1 *Pet.* II. 1 *Joa.* II.

Verklaring van zommige hoofdstukken van het O. T. door wylen den Heere K. BOOTT, *met aanteekeninge van wylen den Heere* P. VERSLUYS, *waarby in plaatse van eene voorrede gevoegd is het bewys van den Heere* JOA. MATTH. HASSENCAMP, *Professor te Rinteln, dat het Kanonyk Gezag der* Αντιλεγομενα *van de Oude Syrische Kerke erkend is, tegen de Aanmerkingen van den Heere Professor* JOA. DAVID MICHAËLIS, *en dat het Sineesch monument, aangaande het Christelyk geloove in dat Ryk, echt is, uit het hoogduitsch vertaald en met aanmerkingen voorzien door* N. BARKEY, *D. en Professor in de H. Godgeleerdheid en Predikant in 's Hage, Lid van het Zeeuwsch Genoodschap der Wetenschappen te Vlissingen* 1770. 4. Exponuntur in hoc libro seq. N. T. capita *Jos.* III. & VII. *Jud.* I. XVI. & XX. 1 *Sam.* VII. XIX. & XXVII. 2 *Sam.* III. 1 *Reg.* XXII. 2 *Reg.* VI. IX. & XVII. 1 *Chron.* XXIII. 2 *Chron.* V. Jam monui p. 424. opusculum *Hassencampii* quoque in forma, quam vocant, octava excusum esse.

Twee honderd jarige gedachtenis van het eerste Synode der Nederlandsche Kerken onder het Kruis, en zo in, als buiten Nederland, allesins verstrooid, gehouden te Wesel den 3. *November* 1568. *gevierd in eene Kerkrede over* 1 *Cor.* XIV: 40. *te Middelburg in Zeeland den* 20.

Nov. 1768. *door den Heere* ADRIANUS 's GRAVESANDE, *Bedienaar des Godlyken Woords aldaar; met eenige aanteekeningen en bylagen betreffende Persoonen en zaken, welke dienen konnen ter opheldering van verscheide byzonderheden, behoorende tot de Kerk-geschiedenis van Nederland, doch inzonderheid van Zeeland, en Middelburg, ten tyde der Nederlandsche Beroerten, en invoeringe van de Kerkhervorminge in de XVI. Eeuwe.* 1769. 8. Multa in hoc libello notatu dignissima conlegit & dijudicavit pl. Rev. & Doctissimus Auctor, collega olim Aestumatissimus, quae historiae Reformationis in Germania & Belgio ut & in Anglia lucem accendunt, & alibi frustra quaerimus. Adhaerent 1) quaestiones Petro Datheno propositae, quum Trajecti ad Rhenum captivus tenebatur a. 1584. 2) Index V. D. M. Belgicorum in Ecclesia Exulum Londini ab a. 1550. 3) Status Reformationis Vesaliae, Aquisgrani, Coloniae, Gedani & Stadae inceptae, quae civitates asyla fuerunt Belgarum 4) historia originis Liturgiae Belgicae 5) historia veteris Psalmorum Rhythmi, quo usi fuerunt Belgae gementes sub persecutione Hispan. ut Nyeveldii, Uittenhovenii, Maroti, Bezae, Heerii aliorumque & inprimis Datheni. 6) Nomina Medioburgensium ex ordine tum Magistratus tum Civico profugorum, qui ex sententia Ducis Albani capitis damnati sunt ab a. 1567. ad 1570. 7) Index membrorum Synodi Vesaliensis a. 1568. habitae, quae Actis subscripserunt. 8) Descriptio Actorum Synodi hujus Authenticorum & forte originalium

Hagae

Hagæ Comitum adſervatorum, & curæ Deputatorum Synodi Hollandiæ Auſtralis commiſſorum. Plura ad hanc Reformationis cauſam in ſcriniis ſuis poſſidet Vir Doctiſſimus, quæ ne invideat reipubl. Litterariæ, enixe rogo.

V. C. ADRIANUS KLUIT, *Orationem* habuit & edidit elegantiſſimam *Inauguralem, pro Imperatore Juliano, Apoſtata, quum d. 17. Cal. Dec. Lectoris Eloquentiæ & Literarum Græcarum, nec non Scholarum Rectoris munus ſollemniter auſpicaretur* 1769. Commendat ſe hæc Oratio & ſtyli nitore & adcurata rerum enodatione.

MEDIOLANI.

Prodierunt V. C. GUIDONIS FERRARII, *S. J. Inſcriptiones Epiſtolæ & Diſſertationes* 1765. 8.

V. C. JOSEPHI ANT. CANTOVÆ, de *Septimio Tertulliano & S. Epiphanio Diſſertat.* duæ Theol. Crit. in *quibus neutrum Anthropomorphiſmo laboraſſe demonſtratur* 1761. 8.

—— HIERONYMI TARABOSCHII, *S. J. Prof. Vetera Humiliatorum Monumenta, annotationibus & Diſſertationibus prodromis illuſtrata, quibus multa Sacræ, civilis ac Litterariæ, medii ævi hiſtoriæ capita explicantur* Vol. 3. 1766. 68. 4.

—— E. P. FRIZI, *Prof. Mathem. Sagio ſupra l'Architectura Gothica, Liburni* 1766. 12.

MONACHII.

Monumenta Boica, Vol. VI. Edidit Academia Scientiarum Electoralis 1764—1767. 4.

Abhandlungen der Churfürstl. Bayerischen Academie der Wissenschaften / 4. Bände 1764-67. Valde laudantur

Hn. CHRISTIAN FRID. PFEFFELS, Directors der Historischen Classe / Academische Rede vom Nutzen der historischen Kenntnis Mittler. zeiten. 1764.

— PETER VON OSTERWALDTS, Academische Rede / worinn der zusammenhang und die ordnung aller Wissenschaften nebst den Nutzen in der menschlichen gesellschaft gezeiget wird. 1768. Adhæret

— D. VON LINBRUNNS, Versuch eines neuen Chronologischen Systems über das Sterbjahr Christi 1768. 4.

— P. DON FERDINAND STERZINGER, *Theatiner*, Academische Rede von dem gemeinen Vorurtheil der wirkenden und thätigen Hexerey 1766. Ex hac Oratione patet, Pontificios pedetentim superstitionum deliria cognoscere, & sanioris doctrinæ fieri studiosos.

— P. PAUL FINAUERS, Versuch einer Bayerischen Gelehrten Geschichte. 1767. 8.

MOSCOVIÆ.

Ihro Kaiserliche Majestät Instruction für die zu Verfertigung des Entwurfs zu einem Neuen Gesezbuch verordnete Commission / Russisch und Deutsch. 1767. 4.

NEA-

NEAPOLI.

Le Pittura antiche d'Ercolano e contorni, incise con qualche Spiegazione Vol. V. 1760—68. fol.

V. C. DOMINICI DIODATI, *J. C. Neapolitani*, Exercitatio *de Christo Græce loquente, qua ostenditur Græcam, sive Hellenisticam linguam cum Judæis omnibus, tum ipsi adeo Christo Domino & Apostolis nativam, ac vernaculam fuisse.* 1767. 8. Hujus libelli recensionem aliquando dabimus.

Collection of Etruscan, Grecian and Roman Antiquities from the Cabinet of the Honor. W. Hamilton, his Brittannish Majesty's Envoy Extraordinary at the Court of Naples; & *Gallice.* 1768. fol.

Antichita di Pozzuoli &c. Puteolanæ Antiquitates; antiquitatum Puteolis, Cumis, Bajis existentium reliquiæ. 1768. fol. Opus splendidissimum. In Dedicatione, Regi inscripta, Auctor se vocat PAULUM ANTONIUM PAOLI.

Ex litteris V. C. DOMIN. DIODATI ad Virum Inl. Comitem DE LYNDEN, Musarum Patronum, quarum excerpta v. in *Bibl. des Sciences*, T. 32. p. 233. novimus, quod *versio LXX viralis Prophetiarum Danielis*, ex MS. quod in Bibliotheca *Chigiana* reperitur, mox Romæ prodibit cum additamentis quamplurimis, quodque Dominicanus aliquis observationes paret ad novam Editionem Bibliorum Hebraicorum a Cl. Kennicotto adornandam.

NEOCOMI.

Description des Montagnes & de Vallées, qui font partie de la Principauté de Neuf-Chatel & Valengin par Mr. J. E. BERTRAND. 1764. 8.

Lettre a Monf. — relative a Mr. J. J. Rousseau, imprimeé a Goa avec la Refutation de ce libelle, par Mr. le Professeur. DE MONTMOLLIN. 1765. 8.

NORIBERGÆ.

V. C. MART. PROBENIUS LEDERMULLER d. 16. Maji 1769. diem suum obiit, ut &

— CHRIST. JACOBUS TREW, *M. D. & Anatomiæ & Botanices promotor*, septuagenario major a. d. 18. Julii 1769.

Prodierunt Probe einer Critischen Polyglotten Bibel/ oder Conferenzen über die 3 ersten Capittel des ersten Buchs Mose / in welcher die in den *Polyglottis Londinensibus* befindlichen Dollmetschungen / theils die nahmhafteste in den heutigen Europäischen Sprachen nach dem Grundtext verfertigte Uebersetzungen / nemlich D. *Luthers* und *Piscators* hochdeutsche / *Athias* und *Jekuthiels* Juden-deutsche / die Holländische / Englische / Dänische / Französische / Italiänische / Spanische mit zuziehung alter und neuer Exegeten und Philologen geprüfet / und folgends mit einer neuen / nicht freyen / sondern genauen grund- und accentuations-mässigen begleitet werden von D. JOHAN GEO. MEINTEL, Stads Pfarrer zu Windbach und des Capittels zu Schwabach seniore honorario

nerario 1764. 4. Versio V. T. Germanica cum Adnotationibus maximam partem ad prelum dicebatur parata.

Das Buch Hiobs in ungebundener und gebundener Rede nach dem Hebräischen verdeutschet durch D. J. G. MEINTEL 1765. 8.

Hn. WILLEM BATES, Übereinstimmung der Göttlichen eigenschaften in dem werke der Erlösung der menschen durch Jesus Christ: oder Abhandlungen / darinn gezeigt wird / wie die Weisheit / Güte / Gerechtigkeit / Heiligkeit und Warheit Gottes in diesem grossen und seligen werke ganz besonders verherrlichet worden / aus dem Englischen / von Hn. GEO. WOLFG. PANZER, Prediger 1766. 8.

Hn. EDUARD WELLS, Historische Geographie des A. und N. Testaments / in 4 theilen abgefasset / aus dem Englischen durch Hn. G. W. PANZER, vol. 2. 1764. 8.

V. C. JOA. CHRISTOPH. MARTINI Thesaurus *Dissertationum, quibus historia, Geographia & Antiquitates tam sacræ quam profanæ illustrantur, maximam partem rarissimarum, & ex MSS. interdum in lucem prolatarum, vol. 6.* 1765—1768.

Centuriæ Magdeburgenses, seu historia N. T. cum variorum Theologorum continuationibus ad hæc nostra tempora, quas excipient Supplementa emendationum, defensionum illustrationumque ad priores Centurias XIII., quorum curam suscipiet, qui præfationes etiam singulis voluminibus addet V. C. JOA. SAL. SEMLERUS, *S. Th. D. & P.* Vol. IV. 1764—65. 4.

Hn. VOLKM. DAN. SPÖRL, V. D. M. Vollständige Pastoral-Theologie aus den vornehmsten Kirchen und Landes-ordnungen / der des h. Römischen Reichs

Churfürsten / Fürsten und Ständen / nebst einen Anhang von rechter feyer der Son- und Festtagen aus allen diesen *Statutis*. 1764. 8.

Beyträge zur Fränckischen Kirchenhistorie — in einer geschichte der Wiedertäufer / welche um die zeit der gesegneten Kirchenreinigung Franckenland / und besonders die Stadt Nürnberg beunruhiget haben / nebst wichtigen Urkunden und Beytragen 1770. 8. Auctor est cl. G. A. WILL, & laudatur liber. Describuntur fata & mores *Denkii*, Episcopi Anabaptistarum & *Munzeri* familiaris amici. Adpendices relationem *de Bello Rusticorum* continent

V. C. JACOBI GUILIEL. FEUERLINI, *S. Th. D. & Prof. Goetting.* Bibliotheca *Symbolica Evangel. Lutherana, Pars I. libros Ecclesiæ Luth. Symb. cum notitia librorum eo pertinentium complectitur. Pars II. scripta Theologorum seculi XVI. Acta & historia Colloquiorum, religionis causa institutorum. Omnia e schedis b. Feuerlini aucta recensuit, usibus publicis aptavit, & cum indicibus edidit* V. C. JOA. BARTHOL. RIEDERER, *S. Th. D. & Prof. Altorf.* 1768. 8.

Sylloge Nova Epistolarum varii argumenti Vol. IV. 1764. 8.

Hn. D. JOH. FRID. JOACHIMS Neu eröffnetes Münz Cabinet / daarinnen merkwürdige und viele bishero noch nirgends mitgetheilte Gold- und Silbermünzen zu finden / die richtig in Kupfer afgebildet / beschrieben und erläutert worden / Vol. 2. 1761. 65.

Auserlesene und nüzliche Neuigkeiten für alle Münzliebhaber / mit Kupfern herausgegeben von Hn. GEORG

GEORG BAUER, Ihre Röm. Kaiserl. Majestät Hof-faktorn 1764. — Inter alios nummos descriptus est is Partic. XVI & XVI, qui in honorem *Conradi Peutingeri* a. 1517. excusus est, & nummus Argenteus *reip. Noviomagensis*, qui imaginem refert *S. Stephani*, in cujus Tutelam se urbs illa recepit.

Hn. GEO. ANDR. WILL, Prof. zu Altorf, Nürnbergische Münzbelustigungen, 2 Theile 1764—65. 4.

Hn. JOH. DAVID KÖLERS, Einleitung zu der Alten und mittlern Geographie, dritter Theil, durch Hn. G. A. WILL zu stande gebracht 1765. 8.

Hn. JOH. CHRISTOPH. MARTINI, Historisch-Geographische Beschreibung des ehemaligen berühmten Frauen Klosters Engelthal im Nürnbergischen, mit Urkunden 1762. 4.

Hn. MART. FROBEN. LEDERMÜLLERS, Justiz-Raths u. s. w. Physikalisch-Mikroscopische Zergliederung des Korns, oder Rockens, nebst der Betrachtung seines wachsthums, mit Vier nach der natur erläuchteten Kupfer Tafelen; wie auch desselben Physikalisch-Mikroscopische Zergliederung und vorstellung einer sehr kleinen Winterknospe des Hippocastani; oder wilden Ros Castanienbaums, nebst drey erläuchtete Kupfer Tafelen, 1764. fol.

Hn. WILHELM FRANS, FREYHERRN VON GLEICHEN, genannt RUSZWORM, Geh. Rath u. s. w. Das Neueste aus dem Reich der Pflanzen, oder Mikroscopische Untersuchungen der geheimen Zeugungs Theile der Pflanzen in ihren Blüten, und der in denselben befindlichen Insekten, nebst Versuchen von dem Keim, und einen Anhang vermischter Beobachtungen 1765. fol.

Aulii Persii Satyræ sex, ad fidem optimarum Editionum cum variis Lectionibus Codicis Ebneriani,

riani, edidit V. C. G. F. SEBALDUS, *tabulisque aneis incidit* G. M. SCHMIDIUS. 1765. 8.

Die Ehre der Freyheit der Römer und Britten / nach Hn. THOMAS GORDONS Staatsklugen Betrachtungen über den Tacitus / aus dem Englischen. 1764. 8.

Bibliotheca Thomasiana, seu locupletissimi Thesauri ex omni scientia librorum praestantissimorum & rarissimorum, quos olim possedit Vir Illustris GOTHOFREDUS THOMASIUS *de Troschenreut & Wiedersberg Vol. I. continens libros compactos ad Theologiam spectantes, adjectae sunt Notae Litterariae, quas Ill. Possessor manu sua non paucis in fronte inscripsit libris, quibus & suas nonnunquam addidit Editor M.* GEO. WOLFG. PANZER, *Diaconus in aede Sebaldi Vol.* 2. 1765. 8.

V. C. CAR. SEB. ZEIDLER, *Senatoris Reip. Noriberg. & Syndici*, Vitae *Professorum Juris, qui in Academia Altorfina inde ab ejus jactis fundamentis vixerunt, ex monumentis fide dignis descriptae*, 1770. 4.

Deutsche Academie der Bau-Bildhauer- und Malerkunst / von JOACHIM VON SANDRART, neu verbesserte ausgabe / durch Hn. JOH. JAK. VOLKMAN, 3 bände 1768. fol.

NORWICI.

A Review of the doctrine of the Reformation with an account of the several deviations to the present General departure from them by THOMAS BOWMANN, *M. A. Vicar of Martham Norfolk* 1768. 8.

OF.

OFFENBACI.

Hn. JOHAN PHILIPP PETRI, Pfarrers zu Selbach / Aufschluss der zahlen Daniels und der Offenbarung Johannis 1768. 8.

—— —— Aufschluss der drey Gesichten Daniels nebst den Traum Nebucadnezars 1768. 8. Ex numeris a Daniele & Joanne indicatis computum futurorum conficit. Norma ipsi sunt 2300 dies Dan. VIII. 14. memorati. Deductis ab his 453 annis, qui ex reductione Israelitarum ex Captivitate Babylonica ad nativitatem Christi decurrunt, restant 1847., quibus juxta Auctorem omnia vaticinia implementum nactura sunt. Ita deductis 1260. annis, Apoc. XII. 6. memoratis, ab 1847., initium eorum, quæ ab Apoc. XII. prædicta sunt, incidit ad finem seculi VI.

OXONII.

Nova Editio *Prælectionum Lowthianarum*, operis utilissimi & doctissimi, *de Sacra Poësi Hebræorum cum Annotationibus novis Lowthii, Huntii, Kennicotti & Michaëlis*, 1764. 4.

Marmorum Oxoniensium e Typographeo Clarendoniano, impensis Academiæ, Pars III. 1764. *fol.* Opus præstantissimum & locupletius Marmoribus Arundellianis.

The Hebrew Text of the parallel Prophecies of Jacob and Moses, relating to the XII. tribes, with a Translation and notes, and the various Lections of hear Manuscripts; to which are added 1) *the Samaritain-Arabic version*

version of those passages, and part of another Arabic version, made from the Samaritan text, neither of which heave been before printed 2) a Map of the Land promise 3) an Appendix containing four Dissertations by D. DURELL, *B. D. Principal of Hertford College* 1763. 4.

The State Lettres of HENRY *Earl of* CLARENDON, *Lord Lieutenant of Ireland, during the reign of King James the second &c. Vol.* 2. 1763. 4. Editor fertur esse Vir Doctissimus J. DOUGLAES, Canonicus Windsoriensis v. *Bibl. des Sc. T. XXI.*

Commentaries on the Law of England, by WILLIAM BLACKSTONE, *Esq. Solicitor General Vol.* 3. 1768. 4.

Remarks on the forty second and forty third Psalms by BENJ. KENNICOTT. *DD. &c.* 1765. 8.

Remarques Critiques sur 1 *Sam.* VI: 19. *par* B. KENNICOTT, *Docteur en Theologie, Membre &c.* 1768. 8. *Versio* est ex idiomate Anglicano. Satis ingeniose cl. Auctor probare satagit postrema verba חמשים אלף איש *quinquaginta millia hominum*, in apographa irrepsisse incuria descriptorum, quemadmodum ipse Codicem possidet 600 annorum, qui his verbis caret. —

Contra has cl. *Kennicotti* observationes modeste insurrexit, ut loco hoc opportuno id moneam, cl. HASSENCAMPIUS, peculiari libello textum vitio immunem esse docens; eodem ac *Bochartus* modo verba hæc legit sc. חמשי מאלף איש versionem autem aliter ac BOCHARTUS instituit

tuit, fc. *Percuffit Deus feptuaginta Viros, quintum ex unaquaque familia.* Dabimus Titulum libelli, quando fcripta, *Rintelii* edita, enumerabimus.

THEOCRITI, *Syracufii, quæ fuperfunt, cum Scholiis Græcis auctioribus, emendationibus & animadverfionibus in Scholia Editoris & Joa. Toupii, Gloffis felectis ineditis, Indicibus ampliffimis. Præmittitur Editoris Differtatio de Poëfi Bucolica Græcorum cum vita Theocriti a Jofua Barnefio fcripta, & nonnullis aliis Auctariis: Accedunt Editoris & Variorum notæ perpetuæ, Epiftola Joa. Toupii de Syracufiis, ejusdem addenda in Theocritum, nec non Collationes XV. Codicum. Edidit* THOMAS WARTON, *S. T. B. Colleg. S. Trinit. Socius, nuper Poëticæ publ. Prælector Vol.* 2. 1770. 4. Magnopere laudatur hic liber.

Cetera fequentes referent Fafciculi.



BIBLIOTHECA
HAGANA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA,

AD

CONTINUATIONEM
BIBLIOTHECÆ BREMENSIS
NOVÆ
CONSTRUCTA.

CLASSIS TERTIÆ,

FASCICULUS TERTIUS
& ULTIMUS.

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.
Sumptibus Bibliopolarum
HENR. VIEROOT & JOA. LE MAIR,
MDCCLXXI.

SYLLABUS SCRIPTORUM FASCICULI TERTII CLASSIS TERTIÆ.

IV.

I. *Vitæ*

I.

VITÆ SEBASTIANI CASTELLIONIS, THEOLOGI RARI EXEMPLI, CONSCRIPTÆ A JOA. CONRADO FUESLINO, CAPIT. VITODURANI CAMERARIO, CONTINUATIO. (*)

§. 32.

Ut ad Castellionem redeam, is sibi factionem eruditorum adversus Calvinum comparavit, qui fastidium ob supplicium de Serveto sumtum, cujus causam Calvino tri-

(*) *Priorem* hujus Biographiæ *partem* videsis in *hujus Classis Fasc. secundo pag.* 324. *sq.*

tribuere, dictis factisque manifestaverunt, eumque scriptis publicis traduxerunt. Quare Calvinus impulsus, post mortem fanatici hujus, *fanaticum* voco, quia regnum Spirituale construere voluit, quod non in verbo Dei, sed in opinione ejus fundatum fuit, post mortem, inquam, hujus fanatici librum composuit, quem inscripsit, *Defensio orthodoxæ fidei de sacra Trinitate contra prodigiosos errores Michaëlis Serveti, Hispani: ubi ostenditur, hæreticos jure gladii coërcendos esse, & nominatim de homine hoc tam impio juste & meritò sumtum Genevæ fuisse supplicium.* (*). Ab initio libri contra Servetum & Patronos ejus, de supplicio illius capitali querentes, disputat, ac quæstionem, *an Hæreticus a Christiano Magistratu puniri possit?* examinat. Ipsi *Serveto* attribuit, negasse illum: hæreticum puniri debere; nam antequam Genevam venit, Epistolas imprimendas curavit, quasi ad Calvinum datas, in quibus inter alia etiam de hoc capite disputavit. Hoc *Calvinus* (**) narrat his verbis: „Servetus indomitam suam proterviam ullis „habenis constringi indigne ferens, nega„bat in causis Religionis aliquem esse Gla„dii usum, quamquam hac in parte homo „vertiginosus turpiter secum ipse dissidet.

„Nam

(*) MDLIIII.
(**) p. 8.

„ Nam ex triginta Epiſtolis, quas velut „ ad me ſcriptas in publicum edidit, vige- „ ſima ſeptima hanc quæſtionem continet. „ Liceatne Chriſtianis Principibus ſcelera „ morte punire?" *Serveti* igitur opinio fuit, quæ omnium Myſticorum, ſeu fanaticorum: nullum ſcelus, ergo etiam nullam Hæreſin, morte puniendam eſſe. Hæc opinio, inquam, omnium Myſticorum & Fanaticorum fuit, nam omnes Cathari, Patareni, Publicani, & quocunque nomine veteres hæretici inſigniti ſunt, hanc ſententiam tuebantur. Reformatores jam libertatem ſentiendi & dicendi reduxere, cumque illis etiam ex reliquiis Sectariorum multi ſurrexere, qui placita illorum confirmarunt, & inter hæc, hæreticum capitis non damnandum eſſe. *Calvinus* loco citato, de illis ſcribit: „ multi hodie ſunt turbulenti „ homines, quibus ſi liberum foret, quicquid intus conceptum habent, effutire, „ nihil non pro effreni ſua audacia con„ vellerent. Iſtis non mirum eſt, ſi tanto„ pere arridet impunitas, licentiæ mater: „ Facile etiam ſubſcribunt Epicurei omnes „ ac Lucianici, quorum voluptati hoc „ unum deeſt, quod, quæ inter ſe clancu„ lum & ænigmatice Sacrilegia obmurmu„ rant, pleno ore crepare non audent." Non dubito, quin ultimis hiſce verbis Ca-

stellionem pungere voluerit, nam uti jamjam dictum est, hic nonnullas Calvini doctrinas ludibrio habuit.

§. 33.

Adversarii Calvini scripto hoc edito erroris non convicti, sed magis magisque contra illum concitati atque inflammati fuere. (*) Jam

(*) Conferri hic inprimis meretur cel. J. L. MOSHEMII Anderweitiger Versuch einer vollständigen und unpartenischen Ketzer-geschichte / Helmst. 1748. p. 279 s. qui Tractatus Biographiam *Michaëlis Serveti* complectitur, cujus Sciagraphiam vel primas lineas jam a. 1727. per *Henricum ab Allwörden* evulgaverat. Ostendit enim *Farraginem* illam *de Hæreticis, an sint persequendi?* memorato Calvini libello *non* fuisse obpositam, utpote prius editam, quam Calvinus scriptum hoc in lucem publicam miserat, imo Calvinum jam a. d. 26. Novembris 1553 Farraginem hanc *Henrico Bullingero*, amico suo, transmisisse, postquam Servetus a. d. 27. Octobris crudelissimum vivicomburii subplicium dederat, uti ex Epistola Calvini liquido patet. Doctissimus *Fueslinus Theod. Bezam* videtur fuisse secutus, qui totidem verbis dicit: *Farraginem illam scripto Calvini fuisse obpositam*; hoc vero *Bezæ* testimonium explodit *Moshemius*, & errorem *Bezæ* procul dubio natum fuisse ostendit ex recentiore

Jam Martio menſe An. MDLIV. Libellum iſtum *de hæreticis, an ſint perſequendi?* publicavere, qui quatuor pertractationes comprehendit, quarum auctores fictis nominibus adſcripti ſunt. In fine legitur: *Magdeburgi per Georgium Rauſch.* De hac nominum occultatione *Beza* queſtus eſt, uti ſuo loco diximus. Pertractationum prima eſt: *Martini Bellii præfatio, in qua quid ſit Hæreticus, & quidnam cum eo agendum ſit, demonſtratur.* Hæc pertractatio præfatio appellatur, dum dedicationem ad Chriſtophorum Wurtenbergenſium Ducem complectitur. Inter rationes dedicationis hæc profertur, quod in hoc libro diſſertatio contineatur, quæ *Joannem Witlingium*, qui in Ducatu Würtenbergico munere Eccleſiaſtico perfungatur, autorem habeat, de quo poſtea pluribus. Autor dedicationis *Witlingium* ipſum affatur, illumque, ait, profuſioni ſanguinis obſtetiſſe, & ut Chriſtiane ſentire pergat, admonet. Interea Hæreticos eſſe non negat, ſed illos in multitudine errantium & inter ſe decertan-

tiore Farraginis editione, quæ edito jam Calvini libro lucem adſpexerit. Dicendum ergo eſt, Calvinum librum ſuum Farragini M. Bellii obpoſuiſſe, & primam Farraginis editionem forte ſine anno & loco impreſſionis jam a. 1553. prodiiſſe. N. B.

tantium cognosci non posse contendit. Quæstiones Hæreticas proponit: *Quid per jus Dei intelligendum? quomodo Sacro-sancta Trinitas concipienda? quomodo se providentia divina habet? & quomodo cum libertate hominis concilianda est?* qui has quæstiones movent, hæreticos esse pronunciat; concludit tandem neminem facile Hæreticum habendum, & si quis talis reperiatur, secundum præceptum Christi cum illo agendum, hoc est, meo quidem judicio, illum Ecclesia excludendum esse. Quodsi *Bezæ* fidem habemus, *Martinus Bellius* nullus alius, quam *Castellio* fuit, nam in *Vita Calvini* scribit: „ Farraginem partim „ ex scriptis piorum doctorum depravatis, „ partim ex fanaticorum ignoti alioquin no- „ minis schedis consarcinatam, *Martini* cu- „ jusdam *Bellii* nomine (is ipse fuit *Castel-* „ *lio*, quamvis id postea ejuravit) præfa- „ tioni inscripto, opposuerant." *Castellio* operam suam *ejurasse* dicitur; ast inquisitio non tam acriter fuit instituta, neque juramentum ipsi impositum fuit, quamvis *Beza* id perhibeat. (*)

§. 34.

(*) MOSHEMIUS *l. c.* p. 282 s. ex stylo libri judicat, Seb. Castellionem non fuisse Auctorem Farraginis, sub *Martini Bellii* nomine latentem, soliusque *Bezæ* hoc adseverantis testimonium non sufficere, ac proinde nihil certi de vero Auctore vel Collectore definiri posse.

§. 34.

LÆLIUS SOCINUS circa idem hoc tempus, nempe anno MDLIV. *Dialogum inter Calvinum & Vaticanum* composuit, quo quæstionem, an Hæretici capitis damnandi sint? pertractavit, & sine nomine evulgavit. CHRISTOPHORUS SANDIUS in *Bibliotheca Antitrinitariorum* (*) de *Lælio Socino* scribit: „ Contra libellum Calvini, in quo ostendere conatur, hæreticos jure Gladii coercendos esse, per Dialogos inter Calvinum „ & Vaticanum disputavit. Idem tractatus „ in

posse. Interea notatu dignum mihi videtur, quod vetustior libri Inscriptio sine anno & loco impressionis edita juxta *Mosbemium* habeat: *Sententiæ Martini Lutheri, Joannis Brentii, aliorumque multorum tam Veterum quam recentiorum de hæreticis, an sint persequendi, & omnino, quomodo sit cum eis agendum?* Fortassis in præfatione *Martini Bellii*, larvatus ille Auctor *Martini Lutheri* sententias hinc inde in libris aut Epistolis ejus dispersas conlegit, & forte ex quadam ejus Epistola, data ad *Brentium*, easque *Martini* nomine nuncupavit. Verum hæc investigare non potui, quia nec Farraginis hujus editionis, nec litterarum Lutheri ad Brentium mihi jam copia est. Videant qui illas possident. N. B.

(*) p. 20.

„ in Hollandia denuo eſt impreſſus 1612. in „ 8°. adjunctis nonnullis ad hiſtoriam Ser- „ veti ſpectantibus, ut & aliquot Caſtellio- „ nis Epiſtolis. Idem Belgice 1613. in 4to. „ Scriptum id vulgo *Caſtellioni* tribuitur. „ *Cloppenburgius* tamen aſſerit, *Lælium Soci-* „ *num* eſſe autorem, quod idem *Hoornbeckius* „ arbitratur." (*) Anno MDLXXVII. ejusdem argumenti Libellus prodiit, qui inſcriptus eſt: *In Hæreticis coercendis, quatenus progredi liceat*, MINI CELSI, *Senenſis, Diſputatio, ubi nominatim eos ultimo ſupplicio affici non debere, aperte demonſtratur, Chriſtlingæ*. De hoc libros SANDIUS prodit: „ Quidam adſcri- „ bunt *Fauſto Socino*, ſed longe veriſimilius „ eſt, *Lælii* eſſe." In hoc erravit, nam quamvis Libellus aliquot annis, antequam editus fuit, compoſitus ſit, non tamen *Lælii Socini* ætati convenit. In præfatione, quæ anno MDLXXVII. ſcripta eſt, autor ait, tres ante annos ſe hunc Librum compoſuiſſe. *Lælius* vero *Socinus* anno MDLXII. diem obiit ſupremum. Hæc igitur Diſputatio *Fauſto*

(*) De *Dialogo inter Calvinum & Vaticanum*, ejusque Auctore copioſe diſſerit cel. MOSHEMIUS *l. c.* p. 287 ſq., illosque refutat, qui libellum hunc vel *Lælio Socino* vel *S. Caſtellioni* tribuunt. Rationes quas *Moshemius* protulit, ſi non rem conficiunt, docent tamen nihil certi de Auctore vero ſtatuî poſſe. N. B.

Fausto potius *Socino*, Lælii ex fratre nepoti, adscribi potest; is enim anno MDLXXIV. Italia religionis causa relicta per Rhætiam Basileam venit. In Rhætia jam viros doctos invenit, quibus doctrina de Hæreticis necandis displicuit; & rationes habeo opinandi, illum tales etiam Basileæ reperisse, qui in partibus Castellionis steterint: plurimis enim ejus libris nondum impressis in hac urbe potitus est, quos deinde in lucem edidit. *Minus Celsus*, hoc est, *Faustus Socinus* (*) in prooemio disputationis illius: *In Hæreticis coercendis quatenus progredi liceat?* consilium suum hunc librum scribendi his verbis exponit: „ Deum ipsum mentis meæ testem

„ ap-

(*) MINI CELSI nomen non esse fictum, sed revera Virum aliquem doctum proprio nomine *Minum Celsum* in Italia exstitisse, & quidem ab urbe patria *Senensem* dictum fuisse arbitratur cel. J. G. SCHELHORNIUS *Amoenit. Litter. T. VII. p* 86. *in notis*. Huic sententiæ pollicem premunt VV. Cl. MOSHEMIUS fuse *l. c.* p. 296. D. CLEMENT in *Bibliotheque curieuse &c. P. V. &* D. GERDESIUS in *Specimine Italiæ Reformatæ p.* 224 *sq.* Ipse vero cel. SCHELHORNIUS hanc sententiam egregie tuitus est *peculiari ad Rev. J. L. Moshemium data Diatribe de Mino Celso, Senensi, rarissimæ Disquisitionis, in hæreticis coercendis quatenus progredi liceat? Auctore*, *Ulmæ* 1748. 4. quacum conferri potest Ejusdem eximii Memmingensium

„ appello, me non odio aut invidia, non
„ rixandi cupidine, non ambitione, ina-
„ nisque mundanæ gloriæ libidine, non alie-
„ na ſuaſione ſpe præmii propoſita, neque
„ demum ſtudio Hæreticos a morte aſſeren-
„ di, ut libere ac tuto falſæ doctrinæ peſte
„ mundum contaminare valeant, provin-
„ ciam hanc ſcribendi ac quibusdam reſi-
„ ſtendi ſuſcepiſſe. Verum animi offenſio-
„ ne illa, qua ſum mirifice affectus, quum
„ Antichriſti manus effugiens, Italia pro-
„ fectus, intra Rhæticas Alpes quieviſſem,
„ audiſſemque evangelicas noſtras Eccle-
„ ſias, contra atque antea opinabar, non
„ ſolum corporea poena hæreticos mulctan-
„ dos cenſuiſſe, ſed apud aliquas etiam
„ conſuetudinem introductam eſſe, eos-
„ dem ultimo ſupplicio afficiendi."

§. 35.

Secundus ſcriptor, qui in libro *de hæreticis, an ſint perſequendi?* comparet, ſe *Aretii Cathari* nomine occultavit; ejus vero diſſertatio

Polyhiſtoris SCHELHORNII Ergözlichkeiten aus der Kirchenhiſtorie und Literatur &c. T. II. p. 217. 18. GUSTAVUS quidem GEORGIUS ZELTNERUS in *notis ad Martini Ruari Epiſtolas Selectas p.* 186. ſententiam *Schelhornii* laceſſivit, verum levi admodum brachio. N. B.

tio in conversa post Titulum pagina hanc inscriptionem habet: *Aretii Cathari sententia, in qua aperte ostenditur, hæreticorum punitionem ad magistratum non pertinere.* In libro ipso contra, inscriptio ejus hæc est: *Aretii Cathari Pars secunda, quæ de magistratu politico agit, qua ostenditur, quousque potestas Magistratus se extendat?* Ex quo credere fas est, hanc dissertationem ex alio libro, cujus pars fuit, desumtam esse (*); non ampla est, a pagina 29. ad 45. usque procedit. *Tertius* scriptor est WITTLINGIUS cujus pertractatio titulum præ se fert: *An Magistratus jure possit occidere Anabaptistas, aut alios hæreticos? Johannis Wittlingii sententia.* Supra dictum est, *Bellium* in dedicatione indicasse, *Wittlingium* Ecclesiasten Würtenbergensem esse, qui sub hoc nomine lateat. Non multo labore mihi disquirendum fuit, quis fecerit libellum. Octo tantum plagularum possideo, quæ tres pertractationes complectuntur. Annus impressionis non adnotatus est, sed nomina auctorum in Titulo leguntur. Primus est PHILIPPUS MELANCHTON, cujus pertractationis inscriptio est: *adversus Anabaptistas Philippi Melanchtonis Judicium.* Secundus est JOAN-

(*) Forte *Pars prima* in *Mart. Bellii Farragine*, quo de libro jam actum est, & quidem in Præfat. M. Bellii conspicitur. N. B.

JOANNES BRENTIUS, & pertractatio ejus inscriptionem habet: *An Magistratus jus habeat Anabaptistas capite plectendi?* Tertia pertractatio est: *quomodo Ecclesiæ Saxonicæ visitandæ sint?* Jam scimus, quis sit *Wittlingius* iste, nempe JOANNES BRENTIUS, Sueviæ Reformator, qui doctrinis Ecclesiæ suæ, hoc est, Lutheranæ addictissimus fuit, sed illi displicuit horum sententia, qui hæreticos ultimo supplicio afficiendos esse statuerunt. Hanc pertractatiunculam non ex *Bellii Farragine* desumtam atque impressam fuisse, sed ante illam extitisse, SIMLERUS in *Epitome Bibliothecæ Gesneri* me docuit, sub Titulo *Joannes Brentius.* (*) De Libro isto, *de Hæreticis, an sint persequendi?* qui suo tempore omnium mentes in se convertebat & hodie inter raros censetur, plura non adderem, nisi inter *Wittlingii* & *Montfortii* Pertractationes Catalogus Testium, qui hæreticorum neci se opposuerunt, interpositus esset; quos inter *Erasmus*, *Castellio*, & ipse

(*) JO. BRENTIUS se quandoque WITTLINGIUM vocabat, & quidem hac ductus ratione, quod Princeps Wurtenbergicus, *Christophorus* ni fallor, ipsum contra machinationes Hispanorum, qui insidias ipsi struebant & captivum ducere gestiebant, quia librum *Interim*, quem *Interitum* nuncupabat, recipere nolebat, tuitus esset, & in arce *Wittlinga* ipsi asylum procurasset, ibidemque delituisset. N. B.

ipſe *Calvinus* reperiuntur. Sed clariſſimum eſt teſtimonium, quod pag. 89. legitur, & hoc titulo exornatur: *Non eſſe temere habendos pro hæreticis, quos mundus habet pro hæreticis, ſententia Auguſtini Eleutherii in Libro de hæreticis.* Quis hic *Eleutherius* fuerit, neſcio. Nomen fictum Viri alicujus Docti eſſe videtur, qui tempore Reformationis vixit; ſtatim enim Waldum, Wicleſum, & Huſſum citat, & fatum illorum deplorat, quod Orthodoxi cum fuerint, pro hæreticis habiti ſint. Teſtimonium, quod Viris hiſce dedit, mihi perplacuit, attamen notavi, quod in temporis computatione non accuratus ſit. *Waldus* anno MCLVIII. nondum innotuit; & *Rockenzanius*, quem etiam producit, non ſeculo decimo quarto, ſed ſequenti in Bohemia floruit; neque hunc inter teſtes veritatis numerarem, nam ſi Papa ipſum in Archiepiſcopatu Pragenſi confirmare voluiſſet, ipſi in plurimis ceſſiſſet.

§. 36.

Beza Caſtellioni adhuc crimini vertit, quod *Theologia Germanica* ejus opera & ex ejus verſione prodierit. Ex ejus quidem verſione Latina prodiit libellus, ſed *Johannis Theophili* nomen præ ſe fert. Titulus integer his verbis conceptus eſt: *Theologia*

Ger-

Germanica, Libellus Aureus, hoc est, brevis & prægnans, quomodo sit exuendus vetus homo, induendusque novus? ex Germanico translatus, Joanne Theophilo Autore. Basileæ ex Officina Oporini. Anno Salutis M. D. LVII.

§. 37.

Anno demum MDLXIII, qui fuit ultimus vitæ Castellionis, duæ adhuc versiones ipso auctore impressæ fuerunt, nempe *Bernhardi Ochini, Senensis, Dialogi XXX. in duos libros divisi, quorum primus est de Messia, continetque dialogos XVIII. secundus est cum de rebus variis, tum potissimum de Trinitate.* Hic liber ex Italico in Latinum sermonem translatus est, sed Castellio nomen suum non protulit. Deinde *de imitando Christo, contemnendisque mundi vanitatibus libellus, Autore Thoma Kempisio, interprete Sebastiano Castellione.* Hunc librum, latinitate barbarica scriptum, puriore stylo exornavit. Has translationes præter Bezam plures alii ipsi vitio verterunt, illum Anabaptismi, & fanaticismi accusantes. Prior accusatio inprudenter fuit conficta; nam neque *Ochinus*, neque *Kempisius*, cum Anabaptistis ullam communionem habuerunt. *Kempisius* antiquior fuit his motibus, quos Anabaptistæ excitarunt. Fateor tamen, utrumque a placitis Mysticorum seu fanaticorum

eorum non alienum fuiſſe. Ad *Theologiam Germanicam* & *Imitationem Chriſti* Caſtellio præfationes adjunxit. De priori libello obſervandum eſt, quod centum vel plures annos Reformationis tempora anteceſſerit, & ſine Titulo in obſcuro circumlatus fuerit. Lutherus illum Anno MDXVII. in primo ſtatim emendandæ Religionis initio imprimendum curavit, ac Titulo *Theologiæ Germanicæ* ornavit. In Boruſſia repertus eſt, cum autor ejus Francofurti ad Moenum moratus fuerit. Is ex Ordine Equitum Teutonicorum fuit, qui etiam, Joannæi dicti, rerum in Boruſſia potiti fuere. Ex quo apparet, inter hos Equites, qui Pontificis Romani fidi ſatellites fuerunt, fuiſſe Viros, qui Theologiæ myſticæ ſtudio capiebantur. Nam liber myſticus eſt. Myſtica hoc ſingulare habet, quod homines ad *converſionem a ſe*, germanice Entwerdung, hoc eſt, ad artem ſeſe abnegandi, pravas cupiditates vincendi, & vitam coeleſtem agendi ducat. Sed conceptus, quos de Deo, de filio Dei, de converſione a ſe ſeu de nova genitura, & de ſtatu hominum poſt mortem ingerit, aliter ſe habent, ac a cæteris Chriſtianorum doctoribus traduntur. Secundum myſticos omnes homines peccant, ut Adamus, hoc eſt, natura & non poſt lapſum aliquem ſingularem; renovantur autem, ſeu ut ita di-

dicarsi, deificantur, si ita vivunt, quemadmodum Jesus Nazarenus exemplo suo praeivit. Is enim filius Dei appellatur, quia homo sanctus perfectusque fuit. Christus, qui alius fuit, quam Jesus, aliquid ex natura seu essentia Dei profluens, in Jesu fuit, prout in omnibus est hominibus. An mirandum est, quod hic liber multis non probatus fuerit? *Ochinus* etiam aliquid ex mystica, (Italia enim, Galliaque ac Hispania suos habuere mysticos, quorum libri clam circumferebantur) hausit. Serveti doctrinam de Trinitate in dialogis suis proposuit, & ejus argumenta acuit. Secundum *Jacobum Hottingerum* in *Hist. Ecclesiast.* Castellio ob horum dialogorum translationem in judicium vocatus, hujus consilii rationem dare debuit; de accusatione, quod Sectariis addictus fuerit, postea aliquid proferam. Antea adhuc de libris ejus & controversiis dicendum puto. Theologiam Germanicam etiam Gallice reddidit, illamque sub titulo *Traité du vieil & du nouvel homme*, vulgavit. Hic titulus, utile, quod Liber comprehendit, quodque religioni conveniens est, exprimit: Religionis enim opus est, homines aliter formare & meliores facere, quam natura sunt.

§. 38.

§. 38.

Eruditi Viri, qui Genevæ florebant, & quibuscum Caſtellio rixas habuit, acerbe cum illo egére. *Calvinus* ipſum Calumniatorem, *Beza* vero omnium rerum ignarum vocavit. *Calvinus* in diſputatione ira accenſus in libro *contra Calumnias Nebulonis cujusdam* (*) ſcribit: „ Quæro ex te Caſtellio! dum proximis annis tibi harpago „ in manu erat ad rapienda ligna, quibus „ domum tuam calefaceres, an non te pro- „ pria voluntas ad furandum impulerit?" Caſtellio in *defenſione ſui* ad hæc reſpondet: „ Ligna exundans Rhenus ſecum rapta de- „ vexit." . . . : publica ſunt illa ligna & „ primi occupantis." Caſtellio contra non indulgentior fuit in vitiis adverſariorum carpendis, iis etiam talia exprobravit, quæ exprobranda non ſunt. In *Defenſione*, cujus ſæpius mentionem feci, Calvino oppoſuit: „ Cynicum & ſcurram me facis, — in „ rebus ſacris ego non ſum jocatus. Meum „ facetiarum peccatum fuit in rebus profa- „ nis. Quod Religionem & pietatem atti- „ net, ego ut in ea, aut in eam jocari lon- „ ge ſemper & abſui & abſum & multos

„ ſæpe

(*) p. 104.

„ sæpe in ea re severe reprehendi. Cujus
„ rei testes vel imprimis citare possum au-
„ tores tuos tibi familiarissimos, quorum
„ unum cum amice monendum curassem,
„ (monsiturus ipsemet, si domi suæ nactus
„ eum fuissem) de scurrili libello, cui
„ nomen est *Zoographia*, tantum abfuit, ut
„ se corrigeret, ut postea scripserit, ejus-
„ dem generis alterum *Passavantium*." Post
hæc adversariis suis objicit: illos cum ho-
minibus mundanis agere, cibum cum illis
capere, & simul jocari. Hæc certe in Cal-
vinum non conveniunt; is laboriosus, se-
gregare a se mundanos, ab iisque tota discre-
pare vita consueverat, homo præterea ne-
gotiis districtissimus fuerat: Ecclesiæ Scho-
læque curam gessit; Reipublicæ in pluribus
rebus adfuit, deque ea gerenda consuleba-
tur; multos libros composuit. Homines un-
dique locorum ad illum veniebant, consilium
auxiliumque petentes. Ita dies transibant,
noctes non somno, sed lectione, meditatio-
ne, & scriptione consumtæ fuere. Ita an-
te tempus vires corporis consumsit, ut con-
gressibus lepidis seu jocosis nullum, cibo &
potui parum daretur, parce & frugaliter
vivere coactus fuerit. Exprobatio Castellio-
nis igitur inanis, & mali in Calvinum ani-
mi testis fuit. Sed quid *Zoographia*? quid

Passa-

Paſſavantius fuit? *Thuanus* reſpondeat, vir ob peritiam & candorem clarus. Is *Hiſt.* *Libro VI.* quis *Paſſavantius* fuerit, aperit. „ *Petrus Lizetus*, qui primarii Præſidis lo„ cum in Senatu Pariſienſi diu tenuit. Hic „ ab officio remotus, homo ſacrarum litte„ rarum rudis, Theologicis libris in illo „ otio ſcriptis ſe deridendum propinavit; „ quibus contrario ſcripto, artificioſe ridi„ culo, ſub *Benedicti Paſſavantii* nomine, „ a *Theodoro Beza* reſponſum eſt." Hoc actum eſt an. MDL., quo Beza vigeſimum annum vix exceſſerat. Quid mirandum, quod Vir amoeni jucundique ingenii, in juvenili adhuc ætate ſcriptorem imperitum facete tractaverit? An hoc ipſi a Caſtellione exprobrari debuit? Eadem eſt ratio *Zoographiæ* iſtius. Quamvis certi quid, quod de illa dicam, non habeam, videtur tamen *Lizeti* vel alius ejusmodi ſcriptoris, qui libros ſcribere ſuperſedere potuiſſet, vitam complexa eſſe. An Caſtellio hæc Calvino Bezæque crimini vertiſſet, ſi meliore erga ipſos animo fuiſſet? Recte & cordate fecit, quod non nebulonis nomine circumferri voluerit, ſed ipſe maledicentia abſtinere debuiſſet, neque egregios Viros ridendo offendere. Qui ridetur, facile impellitur, ut alteri ſcurrilitatem exprobret. Calvinus Ca-

 ſtel-

stellioni superciliose respondit, cumque illo locutus est, uti homo in alto positus cum inferiori solet.

§. 38.

Multi Castellionem XVIII. annis Professoratu Basileæ perfunctum esse putant, sed verbis *Urstisii in Epitome Historiæ Basiliensis* (*) decepti sunt, qui scribit eum annis octodecim linguam Græcam Basileæ docuisse, sed ejus sensus est, illum, cum adhuc privatus esset, deinde cum ad Professoratum vocatus fuisset, tot annis linguam Græcam docuisse; nam anno demum MDLIII Professor hujus linguæ creatus fuit. Hoc quoque anno dignitatem Magistri artium, sine qua nemo accessum ad Professoratus Academicos habet, ab Henrico Pantaleone, accepit. Antea erroribus Typographicis corrigendis, atque libris componendis, nec non juventute privatim instituenda, vitam sustentare debuit. An. MDLXIII, quo diem obiit supremum, adhuc de paupertate sua questus est. Munus, ipsi in Academia concreditum, illum quidem adjuvit, ut commodius vitam transigere potuerit. Attamen non tantopere facultates ejus auxit, ut cum liberis

(*) p. 115.

beris laute viveret. Cum hoc anno ipsi necessitas imposita fuisset, apud Senatum Basileensem de suspicione Heresis sese purgandi, id Epistola fecit, qua inter alias rationes hanc quoque pretulit: laborandum sibi esse, quo liberos suos nutrire posset: „ quod Bernhardini Ochini, *inquit*, Dialo- „ gos transtulerim, non puto, id mihi „ fraudi esse debere, transtuli enim (sicut „ & alia ejus opera transtuleram,) non ut „ Judex, sed ut translator, & ejusmodi „ opera ad alendam familiam quæstum „ facere solitus." (*) *Thuricenses* Theologi hac vice accusatores ejus fuisse videntur, cum Calvinus & Beza longe ante multa contra ipsum moliti sint.

Castellionem ad Senatum Genevensem clandestinas Litteras, quibus Calvinum iniquitatis insimulaverat, scripsisse supra diximus. Sed Calvinus & Beza ipsum aperte aggressi, Hæresis reum peregerunt. Castellio id Epistola excusatoria ad Consulem & Senatum Basiliensem data, cujus initium CHRISTOPHORUS SANDIUS in *Bibliotheca Antitrinitariorum* conservavit, de hac re aliquid prodidit: „ Est mihi, mei clementissimi Do- „ mini! a Magnifico Domino Rectore & ca-

(*) *Sandii Bibliotheca Antitrinitar.* p. 5.

„ cæteris Ecclesiæ Doctoribus & pastoribus
„ demonstratum, quemadmodum vobis scri-
„ ptæ fuerint litteræ, in quibus ego gravis-
„ sime accuser: cujus accusationis partes
„ sunt duæ, una ex libro Theodori Bezæ
„ sumta, altera super mea dialogorum Bern-
„ hardini Ochini translatione." Prima accusatio Geneva, altera Thurico Basileam venerat. Castellio Patronis usus est, qui caussam ejus susceperunt, attamen ipsi a Senatu mandatum fuit, ut munere suo fungeretur, Græcaque doceret, Theologos vero suis rebus prospicere pateretur.

§. 39.

Calvinus & Beza non soli fuere, quibuscum Castellio controversias habuit; Basileæ etiam adversarios expertus est, quamquam lites cum hisce non tantos rumores excitaverint. MARTINUS BORRHAUS, cui ante *Cellarii* nomen fuit, de quo idem *Sandius* evolvendus est, hoc tempore in Academia Basiliensi Theologiæ Professor fuit, laude & celebritate florens. Hic *commentarios in quinque Libros Mosis* edidit, in quibus doctrinam Reformatorum de decreto Dei lusitus est. Castellio *Annotationes in Caput IX. Epistolæ Pauli ad Romanos* fecit, quas Borrhaus in *Commen-*

tariis

tariis suis refutavit. Operæ pretium est, ipsum Castellionem hanc controversiam narrantem audire. Scripsit libellum *de prædestinatione ad Martinum Borrhaum*, quæ longe post obitum ejus in *Scriptis Selectis & rarissimis* illius editus fuit, ex quo ratio status controversiæ, quæ illi cum Borrhao fuit, intelligi potest. In præfatione statim „ non
„ semel, inquit, hortatus es me, Martine
„ Borrhaë! ut, quæ tu de prædestinatione
„ scripsisses, legerem, & si quid mihi non
„ satisfaceret, contra scriberem, tibique
„ argumenta mea scripta traderem. Legi,
„ sed quominus hactenus scripserim, causæ
„ fuere duæ potissimum. Una est, quod
„ cum olim meam hac de re sententiam
„ scripsissem in annotatione quadam in IX.
„ Caput ad Romanos: Vos censores anno-
„ tationem illam jam excusam jamque unis
„ nundinis una cum Bibliis distractam, tol-
„ lendamque curastis de Bibliis: & tu po-
„ stea in tuis in Mosen Commentariis con-
„ tra annotationem istam scripsisti, cum-
„ que me postea ad scriptum tuum legen-
„ dum, ut dixi, contraque scribendum
„ hortaveris & ego ex te quæsivissem, num
„ permissuri essetis, ut imprimeretur, si
„ quid ego scripsissem; respondisti: vos
„ omnino non permissuros, sed cupere te,

„ mea argumenta tibi tradi, ut hac ratione „ redderem ego te armatiorem; miratus „ sum sane responsum tuum, idque mihi, „ ut verum tibi ingenue dicam, perinde „ visum est, ac si quis dicat adversario: „ Trade mihi arma tua, ut ego te tanto fa- „ cilius opprimam." In hoc libello probare conatus est, primum *quod Borrhaus videatur Deum facere autorem peccati.* Alterum, *quod eundem videatur in suis præceptis simulatorem & aliud verbis præcipientem, aliud in animo gerentem facere.* Hic libellus diu latuit, & multis post annis a *Fausto Socino*, ut mihi videtur, ex tenebris in lucem protractus fuit. Quantum ex illo apparet, Borrhaus de prædestinatione idem sensit, quod Calvinus & Beza. Castellio vero iisdem rationibus contra eum pugnavit & ex doctrina ejus easdem sequelas protraxit, quas ex doctrina illorum. Castellio conclusiones suas firmas ratasque esse putavit. Illi vero hoc non admiserunt, & ex sententia sua minime elici posse contenderunt. Calvinus, uti jam dictum est, ob hanc causam omnem acerbitatem suam evomuit. Beza vero illum Calumniatorem vocavit.

§. 40.

§. 40.

Huic Castellio *tractatum de Calumnia*, qui inter scripta commemorata reperitur, opposuit, quo ipsi par pari retulit. Hos, qui illi calumniandi crimen attribuerunt, summos Calumniatores esse probare volens. „ Quomodo isti, *ait*, (*) aliorum dicta & „ facta pervertant & in sinistram partem „ accipiant, longum esset referre: si quis „ dicit, magistratus officium non esse judi„ care de causis Religionis, dicitur, eum „ tollere magistratum. Si dicit, hominem „ posse per Christum obedire legi Dei, „ dicunt, ipsum tribuere salutem suis ope„ ribus & Christi beneficium negare. Si in „ alicujus concionatoris mores aut flagitia „ loquaris, dicent, te maledixisse de offi„ cio concionandi & in sacrum Sionem „ cum Senacheribo invectum esse. Si ho„ minem aliquem, qui vel errat, vel erra„ re videatur, neges esse aut fuisse perse„ quendum, aut occidendum, dicent, te „ esse ejus socium & gregalem, & hæreti„ corum asseclam." Quod his verbis Servetum respiciat, nemo non intelligit. Calvinus

(*) In libro *de Calumnia*, c. 18.

vinus Castellionem sæpe *Discipulum Serveti* nominavit. Capite XXI. Libri *de Calumnia* quæstio, an Hæretici morte puniendi sint, iterum agitatur, & Genevensibus multa acerba dicuntur. Castellio hos, qui hæreticos comburere solent, alloquitur, & ait: „ Præcepta Mosis si sequenda sunt, vos „ peccatis, qui hæreticorum, quos illa le„ ge comprehendi volunt vestri sapientes, „ oppida cum habitatoribus & pecudibus „ non comburatis, & solo coæquetis. Pec„ catis & in eo, quod præda illa vestris „ manibus adhæret. Scimus enim, quænam „ soleant esse bonorum hæreticorum con„ fiscationes. Scimus & in illa ipsa urbe, „ ex qua prodierunt, duo de hæreticis oc„ cidendis seu puniendis libri, non esse „ combustam prædam cum eo, quem hac „ lege, ut ipsi volunt, combussere vivum. „ Neque enim Catena Aurea, quam ille „ collo suspensam habuerat, neque corona„ ti cremati sunt, sed tractantium manibus „ hæserunt." Hæ querelæ non ex æquo animo profectæ esse videntur. Castellio Genevensibus crimini vertit, quod catenam auream & pecuniam, quam Servetus habuit, in ærarium publicum redegerint, quod confiscare dicunt. Sed de hoc non est quæstio, sed an Servetus recte justeque mortis

sup-

supplicio fuerit affectus? Si hoc juste fuit factum, Magistratus omnia, quæ habuit, communi jure gentium ærario publico vindicare potuit. Castellionis libellus *de Calumnia* anno MDCXCV, Germanice factus, iterum in lucem protractus fuit. Nuper Editioni Scaphusianæ *Historiæ Hæretico-Ecclesiasticæ* a Gottofredo Arnoldo conscriptæ (*) insertus est. Hic illum reperient, qui eum Germanice legere gestiunt.

§. 41.

Plures exstant Castellionis libelli, in quibus controversias, quas cum Reformatoribus Ecclesiæ habuit, pertractavit; de his, quod ad historiam hujus Viri inserviunt, agam, & quæ fata habuerint, exponam. Omnes uti dictum est, sunt *Elenchtici* & aliquantum temporis inter homines privatos in manuscriptis latuere. Sine dubio Castellio illos scripsit, ut ederentur, & ejus sententia de quæstionibus, quæ tum temporis gravissimæ habitæ sunt, & semper habeatur, si modo homines illas pacifice tractare possent; pateret, uti ex lite cum Borrhao intelligitur. Castellio prohibitus fuit, illos imprimendos ex-

(*) *Gottfried Arnolds* Kirchen- und Ketzer-Historie.

exhibere. Aliquot annis, antequam defunctus est, scripti fuere; illo mortuo in manus hæredum, & ab his in potestatem quorumdam illius amicorum venere. Neque hi illos publicare ausi sunt. Tandem FAUSTUS SOCINUS, Lælii ex fratre nepos, Florentinus, patriam, novarum opinionum in Religione causa, fugiens, undecim post Castellionis obitum annis Basileam venit, & cum viris, qui Castellione familiariter usi sunt, ejusque manuscripta possederunt, consuetudinem habuit. Ab his, libris, quos Thesaurum hactenus absconditum putavit, potitus est, eosque in lucem edere constituit. Non primo statim anno, quo Basileam venit, hoc accidit, sed quarto anno post, nam MDLXXVIII, prodiere. De hoc suo consilio in præfatione scribit: „ Post ejus (Ca-
„ stellionis) mortem jam quindecim prope
„ annos apud pios quosdam & veritatis
„ amantissimos delituerunt, qui, cum pro
„ comperto habuerunt, eis nunquam ab
„ auctore, (quicquid ipsemet in admonitio-
„ ne in Dialogis dicat) extremam manum
„ impositam fuisse, ab illis publicandis ab-
„ stinendum esse censuerunt, donec tandem
„ & precibus & rationibus amicorum victi,
„ se id facere non solum posse, sed etiam de-
„ bere agnoverunt." Amicorum consilio ac

volun-

voluntate hos Libros, qui diu delituerunt, nunc prodire scribit *Socinus*, attamen horum amicorum neminem non solum non nominavit, sed etiam ipse suum & loci, quo impressi fuere, nomen occultavit. In inscriptione libri THEOPHILI PHILADELPHI, in præfatione autem FELICIS TURPIONIS URBEVITANI ficta nomina ascivit, & locum, quo typis excussi sunt, ARESDORFIUM appellavit, qui ignobilis vicus est in agro Basileensi. Titulus, quo provenerunt, est: *Sebastiani Castellionis Dialogi IIII. de prædestinatione, de electione, de libero Arbitrio, de fide: ejusdem Opuscula quædam lectu dignissima, quorum inscriptiones versa pagella ostendet. Omnia nunc primum in lucem edita: Aresdorfii per Theophilum Philadelphum.* 1578. In pagella versa hæc leguntur. *Reliqua, quæ hoc libello continentur, hæc sunt: Quæstio an perfecte Legi Dei ab homine per Spiritum S. obediri possit; responsio ad D. Martinum Borrhaum de prædestinatione; defensio adversus libellum, cujus Titulus est: adversus Nebulonem Joannis Calvini; De Calumnia Liber unus.* Inscriptio, quam Calvinus libello suo fecit, truncata est; illa enim integra ita se habet: *Brevis responsio ad diluendas Nebulonis cujusdam calumnias, quibus doctrinam de æterna prædestinatione Dei fraudare conatus est.* Hæc editio Aresdorfiana plura com-

complectitur, quam Titulus promittit. Volumen principale non quatuor, quos Titulos complectitur, sed sex continet tractatulos. Accedit Appendix, qui duos comprehendit: quatuor priores Dialogorum more, posteriores perpetuo sermone compositi sunt. Omnes anno MDCXCVI. Francofurti ad Moenum recusi sunt. Castellio ante Dialogos præfatiunculam posuit, ex qua cognoscitur, quod illos ad impressionem paratos habuerit. Hos dialogos, *ait*, ante complures „ annos conscripseram, impulsus veritatem „ cognoscendi, tum ad alios propagandi stu„ dio: eosdem paucis & piis ad corrigen„ dum ostenderam, & hactenus, ut in dies „ magis magisque castigarentur, suppresse„ ram. Nunc quorumdam amicorum roga„ tu eos perlegi ac recognovi." Quare hoc propositum non peractum fuerit, non constat. Forte mors intervenit, forte interdictum Censorum, vel alia autoritas illud prohibuit. Nam librorum Castellionis Editor hos quoque imprimere potuisset, quamvis Autor vita non amplius frueretur.

Felix Turpio asserit, hisce Libris ab Autore extremam manum non impositam fuisse, hoc est: ab illo non perpolitos & exasciatos fuisse, quo indigitare velle videtur, Autoris sententias in illis non explanate

pro-

propoſitas eſſe; quod ſe a Viris piis & veritatis amantiſſimis, apud quos hi libri delituerunt, accepiſſe affirmat. Quod ſi verum eſt, quædam placita Theologiæ Myſticæ de Creatione mundi, de natura Chriſti, ſtatuque animarum poſt mortem, quibus obſcuris materiis *Socinus* delectatus eſt, quibusque novam ſe lucem accendere putavit, ſpectaſſe videtur. Nos de opinione Caſtellionis in his capitibus doctrinæ Chriſtianæ nihil certi ſtatuere poſſumus. Hoc Lectores ignorare nolumus, Librum *de Calumnia* menſe Aprili MDLVII., illum vero, qui *defenſionem contra Autorem libri, cui Titulus eſt: Calumniæ Nebulonis*, complectitur, Septembri MDLVIII. & hunc, qui quæſtionem *an Legi perfecte obediri poſſit!* tractat, in Januario MDLXII. ſcriptos fuiſſe. Caſtellio præfationem, quam quatuor dialogis præpoſuit, hiſce finivit verbis: „ Si omnia „ fato fiunt, neque quidquam aliter fieri „ poteſt, quam fit: nos hæc fato ſcripſimus, neque aliter ſcribere, neque non „ ſcribere potuimus." Talia effata *omnia fato fieri*, *nihil non fieri poſſe* & alia hujusmodi placita, Calvinus ſibi attribui poſſe nequaquam admiſit, attamen hæc ſententia ipſi in hunc uſque diem ab adverſariis adſcribitur, & hæc interpretatio mentis ejus quo-

quotidie repetitur. Qui certum quid de hoc statuere cupit, ejus libros perlegat, necesse est: Primo *Institutionem Religionis Christianæ* & quos *de Prædestinatione* scripsit, quorum alter est *de Prædestinatione & Providentia* excusus Genevæ apud Joannem Crispinum, Conradi Badii opera MDL. qui totidem verbis in *institutione* descriptus a Ministris Genevensibus editus est; alter vero *de æterna Dei prædestinatione adversus Nebulonis cujusdam Calumnias*, qui MDLIIII. a Calvino concinnatus fuit. Hos Clarissimus BREITINGERUS, Thuricensis, *in Museo Helvetico* part. VIII. confudit. Uti mihi videtur, Calvinus in duobus prioribus libris, qui quidem unus idemque sunt, sententiam suam de prædestinatione duriuscule explicavit. In posteriori autem cum objectiones, quæ ipsi factæ essent, inspexisset, sententiam suam mitigavit, seque ab omni fato abhorrere contendit. Castellio adversus Calvini doctrinam de Prædestinatione acute, imo vero acutius, quam omnes ejus adversarii, disputavit. Theologi Lutherani in doctrina *de æterna electione*, *de libero arbitrio hominis* & *de fide ac bonis operibus* a placitis magistri sui recessere, decretum Dei non amplius immutabile, & hominem ad bonum ex se præstandum non ineptum reputantes. Contra

Cal-

Calvinum & Calviniſtas ob doctrinam illorum de S. Coena, quæ pluribus complacuit, exacerbati, Caſtellionis de decretis divinis Poſitiones Calvino oppoſitas, quæ nimis exaggeratæ fuere, recepere, exacuere & blaſphemias ex Calvini doctrina deduxere. In *dialogo de prædeſtinatione* ſcribit Caſtellio: „ Hic eſt fructus iſtius doctrinæ, vivere „ ſine ulla ſollicitudine, ſe ipſum electum „ putare, alios (ſi quis contradicat,) dam„ nare & reprobos ſtatim appellare. Hinc „ fit, ut populus alioquin ad vitæ licen„ tiam propenſiſſimus, iſta inſuper opinio„ ne faſcinatus, ita vivat, ut plerique im„ pii & athei fiant. Quicquid libet, facia„ mus, inquiunt, nihil faciemus, quod no„ lit Deus, potemus, ſcortemur, omnia „ fiunt prædeſtinatione." Idem in eodem Libro aſſerit: „ Malum in ea doctrina eſt, „ quod efficitur ſimulator Deus, qui aliud „ velit, aliud jubeat. In quo faciunt iſti „ Deum longe deteriorem, quam Diabo„ lum." Non probare ſtudebo, quod hæc non ex doctrina Calvini conſequantur; hoc quivis intelligit, qui apertis oculis videt: attamen Lutherani fuere, qui aures populi hiſce rumoribus complevere: *Calviniſtarum Deus eſt Tyrannus, Homicida, peior eſt Diabolo.*

Bibl. Haganæ Cl. III. F. III. Hh §. 42.

§. 42.

Non diu post controversia Arminiana orta est. ARMINIUS Genevæ Bezam audivit, sed fieri potest, ut Castellionis libros diligentius legerit, quam illius præcepta imbiberit. Quam primum Amstelodamum, urbem patriam, rediisset, & munus Pastoris in illa nactus esset, statim animum a communi doctrina Ecclesiæ aversum comprobavit, dein longius longiusque ab illa recessit. Ejus discipuli & promotores causæ suæ Castellionis libros in medium produxere, & nonnullos illorum denuo imprimendos curavere. Rationes quibus Arminiani in scriptis suis usi sunt, ex illis desumtæ fuere. Consequentiæ, quas Castellio ex doctrina Calvini deduxit, ab Arminianis repetitæ sunt, nonnulla, meo quidem judicio, abnormia complectentes. Castellio & qui eum secuti sunt, Arminiani, multa in pejorem sensum rapuere. Calvinus statuit: *Voluntas Dei est prima & principalis regula justitiæ.* Hoc Castellio ita interpretatus est, ac si dixisset: *quicquid velit Deus, id justum esse, & ideo justum esse, quod Deus illud velit, etsi non esset justum.* Sed ab hac sententia alienus fuit Calvinus; de voluntate Dei idem sensit, quod adversarii

ſarii ejus: *Deum non poſſe aliud velle, quam quod juſtum eſſet.* Eadem ratio eſt *præſcientiæ Divinæ.* Secundum Calvinum, Deus omnia, quæ in tempore fiunt, in æternitate præſcivit. Caſtellio in hac poſitione neceſſitatem, quam abſolutam dicunt, invenit & conſequentias fecit, quæ longe longeque diſperſæ fuerunt. Sed quis neſcit, poſſibilitatem rerum neque in Præſcientia, neque in voluntate Dei fundatam eſſe. Calvinus poſſibilitatem in iis nec quæſivit, nec invenit. Quæ fiunt, per voluntatem Dei fiunt. Sed Deus vult ſemper, quod per ſe eſt optimum. Si ex illo quærebatur, quænam eſt ratio, quod res ita ſe habeant, & non aliter? reſpondit, hæc ratio eſt occulta, homines in abſcondita Dei inſpicere non poſſunt. Juſto igitur tempore exclamavit: O profunditatem ſapientiæ & cognitionis Divinæ! Hoc tantum Calvinomaſtigas rogatos volo, ne eadem convitia centies centiesque in illum dicta ſemper repetant & imperitorum auribus inſurrent. Sed mittamus hanc litem, nihil minus enim, quam illam componere cogito.

Duorum adhuc libellorum, quorum autor Caſtellio fuit, mentionem injiciam. Unus eſt: *Quinque impedimentorum, quæ mentes hominum & oculos a veri in divinis cognitione abducunt, ſuccincta enumeratio, cum pia admoni-*

 tione,

tione, ne quis alterum propter diversam in religione sententiam odio, aut vi insectetur. Autore Sebastiano Castellione, opusculum nunc demum ex illius monumentis erutum & in lucem editum. Anno MDCIV. Alterum non novi, nisi ex recensione *Joh. Jac. Wetstenii*, qui in *prolegomenis in N. Testamentum editionis primæ*, (*) illius mentionem facit. Inscriptio est: *De arte dubitandi & confidendi, ignorandi & sciendi. Wetstenius* ex eo aliquid producit, quod variantes lectiones Nov. Testamenti spectat. Auctor ait: „ hanc differentiam ab illis „ esse, qui apographa fecere, hoc autem „ neminem confundere debere, quia facile „ emendari possit. Ciceronis scripta pro„ pterea non minus utilia esse, quamvis „ apographa facientes erraverint." Wetstenius hæc verba ex manuscripto producit, quia vero, unde librum habuerit, non commonefacit, etiam in secunda editione *Prolegomenorum* hæc verba iterum delevit; præterea inscriptio mihi suspecta est, non dubito, quin manuscriptum illud a Castellione profectum non sit. Quod autem Libellus præcipit rectum, æquumque est, quamvis Castellionem Autorem non habeat.

Quinque impedimentorum enumeratio diu post Castellionis obitum, cum ignis discordiæ inter Theologos Belgicos incendi cœpit, in lucem

(*) Anni 1730. p. 176.

lucem prodiit. Editor neque ſuum, neque Impreſſoris, neque loci, ubi impreſſus eſt, nomen prodidit. Ipſum vero Caſtellionis & ſcriptorum ejus amatorem fuiſſe, apertum eſt. Caſtellio præfatiunculam libro præpoſuit, in qua amicum Anonymum alloquitur, ſcripta vero eſt Calendis Junii MDLV. Animum amici ad conſtantiam excitat his uſus verbis: „ Quanto magis mundus a verita„ te abhorret, tanto magis nitamur verita„ tem cognoſcere, atque retinere." A Caſtellione compoſitus eſſe videtur, lite Serveti Genevæ effervefcente. Amicus ad quem ſcripſit, forte hujus urbis incola fuit. Nam Beza ipſe (*) ait, Servetum multos patronos ibi habuiſſe, qui contra magiſtratus ſententiam conjuraverint, illorumque quosdam ex urbe ejectos fuiſſe. Auctor libelli ait, quod, qui Reformatores eſſe velint, externa tantum emendarent, veram autem Chriſtianæ Religionis ſpeciem poſtponerent; deinde de vi & Tyrannide in Religionis cauſa queritur, & omnia illa agit, quæ in ſcriptis, Martini Bellii nomine editis, mota ſunt, quorumque ſumma eſt: Magiſtratum non habere poteſtatem in Religionis capitibus errantem morte plectendi. Quo hoc probaret,

(*) *In Reſponſione ad defenſiones & Reſponſiones Seb. Caſtellionis.* p. 67.

baret, inter alias rationes etiam hanc produxit: „ Magistratus neminem regenerare „ aut novam creaturam facere potest. Officium ejus est homines contra injurias „ tueri, quare illi tributa & vectigalia solvuntur."

§. 43.

Una adhuc superest quæstio, quam alicujus momenti esse puto, an Castellio *Fanaticis* est ad numerandus? *Calvinus* & *Beza* illum Discipulum & asseclam Serveti, qui *Fanaticus* fuit, vocant. Horum amici, qui doctrinam illorum tuiti sunt, Castellionem odiosis variisque Sectariorum nominibus persecuti sunt; idem alii quoque fecere, qui partium studio se vacuos esse putaverunt. JOSEPHUS SCALIGER hoc de Castellione judicium protulit: (*) „ Sacram Scri„ turam recte tractasset, nisi multis opinio„ nibus Anabaptisticis imbutus fuisset." *Tanaquillus Faber* ait: „ Sebastianus Castellio „ idem est, cujus in vita Calvini mentio „ fit. Canticum Canticorum flagitiorum li„ brum esse dicebat. Aliqui dicunt, Soci„ nianum, alii Anabaptistam fuisse, hoc „ ad me non pertinet. Notum est quod „ Latinam linguam bene calluerit." (**) Qui

(*) In *Scaligeranis* p. 55.
(**) Ibid.

Qui illum Socinianum vel Anabaptistam dixerunt, extra veritatis æquitatisque limites vagati sunt. *Socinus* illo posterior fuit. *Anabaptistæ* vero omnium Sectarum colluvies fuerunt, ut primo in classes distingui debeant, antequam decerni possit, num hic vel iste cum illis fuerit? Missis aliorum judiciis ad quæstionem devenio, num Castellio fanaticus fuerit? quæstionem ipse non solvam, sed talia in medium producam, ex quibus de viri hujus mente judicari possit. Castellio Græcæ Latinæque linguæ probe peritus fuit. Ergo Autores, qui Classici appellantur, græcos & latinos diligenter perlegit, attamen juventutem ab illorum lectione abducere conatus est. Hic ejus scopus fuit, quare primos suos libros scribendos susceperit, & sacra Biblia puro sermone Latino reddiderit, quo Biblia pro Terentio, & Psalterium pro Horatio juvenibus committerentur. Dialecticam, quo nomine suo tempore Philosophia insignita fuit, contemsit. Quare factum est, ut libros systematice scriptos, nihili faceret. Calvini *Institutionem Religionis Christianæ*, quæ pluribus probata & ab inimicis ejus etiam laudata fuit, aspernatus est. Ejusdem libros, disputationes inutiles de Providentia, Prædestinatione, Fide, libera voluntate, Peccato originali, & alias tales gignere, quæ hominum ingenia tor-

torqueant, & ad religionem, quam Christus instituit, parum proficiant, statuit. Hanc ad actiones hominum pertinere & illorum mores ad recte pieque vivendum instituere debere putavit. Cultum Dei externum non magni fecit. De Templis, concionibus, Sacramentis & ejusmodi Ceremoniis nihil protulit, miratus potius est, quod homines de illis lites serendi studiosi sint. Nullam vero operam impendit in doctrinis Christianorum, quæ mysteria dicuntur, investigandis, sed iis perlustrandis atque explicandis occupatus fuit, quæ clara & perceptu facilia sunt. In libro, quem *quinque Impedimenta* inscripsit, quique tamdiu ignoratus latuit, antequam in lucem emitteretur, cogitata mentis suæ ita aperuit, ut clare pateat, illum lectionem Bibliorum non magis tanti fecisse, quanti ante faciendam esse existimaverit: „ Putavi, inquit, lectionem Bibliorum „ Christianis utilem esse; quam ob causam „ ipse meliorem versionem elaboravi, quo „ diligentius legeretur, sed jam experior, „ rem non tanti momenti esse, ac putave„ ram. Nulla enim lingua est, quæ (Lin„ guam Spiritus S., quæ non atramento in „ chartam illiniri potest, excipio) men„ tem mutare aut hominem meliorem face„ re possit, cum tamen animus emendatus „ solus efficiat, ut homo Deo placeat." Est

aliquid

aliquid veritatis in his verbis, aliquid quod sanæ doctrinæ addicti etiam pro concione dicunt; attamen etiam aliquid in iis continetur, quod ferre non possunt, nempe quod ob Spiritum verbum postponendum sit; nam Deus, inquiunt, cum verbo & per verbum operatur, & absque illo nihil. Mementote præterea, quid Castellio de Sybillis statuerit, nempe Deum per illas gentibus se revelasse, quemadmodum Israëli per Prophetas, qua opinione Sacrorum Bibliorum autoritas imminuitur; nam secundum hæc non sola divina revelatio est, sed plures sunt. Præterea felicitatem gentilium extollit, eamque felicitati Israëlis, cui foedera & promissiones divinæ attributæ fuere, æquiparat. Castellio non tam apertis verbis de hac re locutus est, ut vera ejus mens intelligi possit; hoc solum dixit, decere Deum, ut se omnibus hominibus testatum faciat. Sed ejus tempore homines fuere, qui non forte fortuna exorti sunt, sed prodromos suos per multa secula habuere. Hi contenderunt: Deum se manifestare omnibus hominibus, naturam illorum, quæ essentia vocatur, ex Deo esse, & Deum in iis agere essentialiter: uti dixere: Christum, hoc est aliquid luminis, ex lumine divino depromtum, omnibus esse datum, ut eos ad bonum præstandum impelleret & a malo faciendo averteret; qui illud

sequerentur, plenius lumine illustrari. Hi sunt, qui *Mystici* dicti fuere. Ad horum mentem Castellio propius accessisse videtur. Nihil enim in scriptis ejus de Jesu Nazareno & morte illius, quam Theologi satisfactionem pro peccatoribus habere solent, legitur. Si quid de illo protulit, aut ad exemplum Vitæ ejus, aut ad patientiam in cruciatibus pertinet. In Libello, quem de *prædestinatione* (*) vulgavit, aliquid reperitur, quod animi ejus sensus explicat: „ Sic intellige, *ait*, Christum potuisse peccare, „ si voluisset, & quidem ad peccandum fuit „ incitatus, sed restitit & vicit, perpetuum„ que retinuit candorem justitiæ. Atque in „ hoc sita est Christi virtus, salusque no„ stra, quod quemadmodum Adamus, cum „ posset non peccare, peccavit, atque ita „ se ipsum & nos imitatores suos perdidit; „ sic Christus contra, novus Adamus, cum „ posset peccare, non peccavit, atque ita „ se ipsum, & porro imitatores suos non „ secundum carnem, sed secundum spiri„ tum ambulantes, a damnatione vindica„ vit. Quod si peccare non potuisset, resi„ stere peccato virtus non fuisset, quemad„ modum tibi, quod a ferro comedendo „ abstineas, virtuti dari non potest. Sed „ si a carne abstineas, potes. Quinimo „ quem-

(*) Inter *scripta selecta & rarissima*. p. 42.

„ quemadmodum tu, ad ferrum comeden-
„ dum tentari non potes, quia comedere
„ non potes, ita Christus, si peccati capax
„ non fuisset, nunquam ad peccatum tenta-
„ tus fuisset." Ita Castellio locutus est. Ita liber, qui *Theologica germanica* inscriptus est, loquitur. Ita *Mystici* omnes loquuntur. Hi Christum sublimiore & excellentiore, quam alios homines, semine non satum natumque esse credunt, sed virtute præ cæteris eminuisse atque exemplum bonæ & constantis vitæ dedisse. *Servetus* eandem sententiam amplexus fuit, sed imprudentius egit. Sententiam suam, de *Natura Dei*, de *Natura Christi seu filii Dei*, de *Trinitate* & de reliquis Christianæ Theologiæ capitibus aperiens, & mundum ad se convertere cupiens, cum communes Christianorum de his capitibus sensus culpare ac immutare voluit, indecentibus verbis in illos invectus est. Deum, quem Christiani venerantur, cerebrum tricipitem vocitavit, & plurima alia convitia in religionem Christianam evomuit; quare blasphemias effutiisse habitus est. Amici ejus idem sentientes mortem illius: Martyrium, & ipsum corona Triumphali exornatum esse prædicarunt. Cum doctrinas ejus publice defendere ausi non sunt, supplicium ejus culparunt, & quem illius autorem habuerunt, in hunc immane odium concepe-

runt,

runt. Quod Castellionem attinet, ex ultimis ejus lucubrationibus, quid de doctrinis Christianis senserit, judicari potest. Illæ fuere versiones, Una *Theologiæ Germanicæ*, *de imitatione Christi* libelli Altera, & *Dialogorum Ochini* Tertia. Hi libri sunt mystici, & ipse eorum versionem non sucepisse videtur, nisi ipse *Theologiæ mysticæ* addictus fuisset. Quia vero tum temporis mos obtinuit, ut omnes, qui Papatu relicto non ad Reformatores accessere, Anabaptistæ dicti fuerint, factum est, ut multi Castellionem quoque a Societate Anabaptistarum esse perhibuerint. Quocunque modo hoc se habent, negari non potest, quod fuerit Vir eruditus, pius, cordatusque, qui sine dubio majoris habitus fuisset, nisi infeliciter in lites cum Calvino implicatus fuisset. Hic enim in Gallia, & aliis gentibus authoritate plurimum potuit. De versione ejus Bibliorum Gallica adhuc aliquid dicendum esse puto. Illa meo quidem judicio non cum versionibus, quæ post Castellionem factæ sunt, comparari debet, sed cum his, quæ illam præcessērunt. Versio Genevensis, quæ a Calvino aliquoties revisa atque correcta fuit, palmam ei præripuit, quia Calvinus magnus Ecclesiæ Doctor, ejusque doctrina casta sanctaque habebatur. Castellio contra hæreseos suspectus fuit. Attamen versio ejus etiam

ama-

amatores reperit. Exempla venditione diſperſa ſunt, ita ut neſciatur, ubi locorum jam deliteant. Unicum novi, ubi ſit, nempe in Bibliotheca Eliſabethana Uratislaviæ, cujus rei me *Conſtantius* certiorem fecit.

§. 44.

Caſtellionis Imago Baſileæ, qua urbe diu vixit, quaque diem obiit ſupremum, non invenitur. Attamen Editor Bibliorum, quæ anno MDCCXXIX. Lipſiæ impreſſa ſunt, unam nactus eſt, eamque calchographi opera expreſſam hiſce Bibliis præpoſuit. Illa, ſi oculi indices ſunt animi, hominis acumine ingenii præditi effigiem exhibet. *Serveti* Imago, quæ illum igne circumdatum repræſentat, quamque *Mosbemius* in limine Hiſtoriæ *de vita & fatis bujus Viri* a ſe conſcriptæ effingi curavit, in ædibus Comitum de SUERINO in Polonia ſervata fuit. Forte etiam Caſtellionis effigies hic gentium abſcondita latuit, donec in lucem producta eſt. In Polonia enim Myſtici & Antitrinitarii omnes certum quendam Portum habuere. —— Caſtellio uti jam dictum eſt, die XXIX. Decembris MDLXIII diem obiit Baſileæ, & in Templo majori ſepultus jacet. Tres nobiles Poloni, qui illo Præceptore uſi ſunt, pietatis ſuæ erga ipſum

ipsum monumentum perpetuum posuere, quod ita se habet:

IOVÆ OPT. MAX.
SEBAST. CASTELLIONI ALLOBROGI.
GRÆCARUM LIT. IN ACAD.
BAS. PROFESSORI CELEB.
OB MULTIFARIAM ERUDIT. ET
VITÆ INNOCENTIAM DOCTIS
PIISQ. VIRIS PERCHARO.
PRÆCEPTORI OPT. ET FIDELISS.
STANISLAUS STARZOCHOWKI
IOANNES OSTROROG.
ET GEORGIUS NIEMSTA
POLONI.
UT POPULARIUM SUORUM QUI *EUM*
AUDIERANT VOTO
ET PRIVATÆ PIETATI
SATISFACERENT:
AD PUBLICI LUCTUS SOLAMEN.
H. M. B. M. P.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO CHRISTI SAL.
M. D. LXIII.
IIII. KAL. IANUARII.
ÆTATIS. XLVIII.

Per

Per errorem annus LXIII. pro LXIV. poſitus eſt. *Scaliger* ſingulare hoc de ſepultura ejus commemorat: Sepulchro, quod Grynæ[illegible] genti proprium fuerit, conditum fuiſſe, ſed JOH. JACOBUM GRYNÆUM, qui celebris Theologus Baſileæ fuit, hinc extractum in alio ſepulchro poſuiſſe, forte ne pulvis ſuus cum myſtici hujus pulvere miſceretur.

T A N T U M.

II.

JOH. CHRISOPH. BÜSING,

S. S. Theol. Doct. & Prof. Bremensis,

DISSERTATIO,

Qua illustrantur phrases, quibus æterna Filii Dei Generatio,

PROV. VIII. comm. 22—25. exprimitur.

SUMMARIUM.

Loquitur in hoc Cap. summa Sapientia, *quæ est Filius Dei.* §. 1. *Generalior hujus Cap. Analysis.* §. 2. *Describit summa Sapientia suam majestatem & excellentiam comm.* 22-31. §. 3. *Horum commatum generalis sensus. Nostrum in hac tractatione propositum, explicandi tres illos terminos, quibus magnum illud* æternæ generationis *mysterium indicatur.* §. 4. *Primi verbi* קנה *vis & emphasis. De versione LXX Inter-*

Interpretum ἰκανῶς μοι. §. 5. *Alterum verbum* נסך. *Difficultates, quas parit vulgaris expositio* τῦ נסכתי *uncta sum*. §. 6. *Cur hæc verba interpretari nequeant de* destinatione & præordinatione *Filii Dei* ad munus mediatorium. §. 7. *Cur etiam exponenda non sint de* communicatione Imperii *à Patre Filio facta*. §. 8. *Quid in Cel.* WESSELII *explicatione hujus phraseos, quam ceteroquin recte ad æternam Filii Dei* generationem *retulit, desiderandum sit*. §. 9. *Observatur generatim, quod verbum* נסך *æque ac duo reliqua* קנה & חולל *à* generatione humana *desumta sint; sed cum certa distinctione; unicam tamen rem tantum in Deo exprimant, & κυριολεκτικῶς intelligi debeant*. §. 10. *De verbo* נסך *hoc propius adstruitur*. 1. *Vis ejus principalis in* fundendo *sita*. 2. *Orientales populi termino* aquæ *in generationis negotio honeste utuntur*. 3. *Confertur Job.* X: 10, 11. *ubi de* generatione humana *adhibetur verbum* נתך *synonymum plane & cognatum. Observatio de permutatione literarum* ס & ת. §. 11. *Tertii verbi* חולל *nativa vis*. §. 12.

§. 1.

Loquens inducitur in hoc capite à Rege sapientissimo æque ac potentissimo *Summa Sapientia*, quæ & se ipsam, suasque excellentes qualitates, & bona atque privilegia, quorum amicos & con-

fortes suos participes reddit, graphice describit; hominesque invitat, ut propriis cupiditatibus valedicentes, suae disciplinae se tradant, & se per eam in via justitiae & sanctitatis ad aeternam felicitatem duci patiantur. Supponimus hic, quod dudum à doctissimis Theologis nostris probatum est, intelligi per hanc *Sapientiam* ipsum *Filium Dei*, qui se ut omnis sapientiae aeque ac salutis fontem mortalibus abunde probavit: quippe in quem solum Personae hujus characteres ad unum omnes quadrant. Consulantur, qui ex professo hanc rem tractaverunt, Viri cel. JOH. FORBESIUS *in Disput. de divinitate Christi*, P. I. Dis. 18. Opp. T. II. p. 190. sq. FRANC. FABRICIUS *de Christo unico & perpetuo fundamento Ecclesiae*, Diss. II. & FRID. AD. LAMPE *in orat. inaug. de summa sapientia*, quae recusa est ad calcem Vol. II. *Diss. ipsius philol. theol.* p. 387. sq.

§. 2.

Invitaverat haec summa Sapientia I. in *exordio* orationis suae omnis generis homines, ut sibi auscultent, attendant ad suos sermones, & suae doctrinae ad duci se tradant. commate II. Describit dein in ipsa *tractatione* A. *ingentia bona & commoda*, quae, & in hac, & in futura vita, cultoribus

bus suis largitur, quibusque hos vere divites & summa felicitate mactatos reddit. comm. 12-21. B. Indicat etiam simul fundamenta, quibus omnes hæ promissiones innituntur, sita in infinita *summæ* hujus *Sapientiæ excellentia*, utpote quæ per æternam generationem semper & ab omni ævo divinæ essentiæ æque ac omnis consilii operumque consors fuit. comm. 22-31. Ex quibus omnibus III. tandem formatur *conclusio* per repetitam admonitionem, ut mortales suam doctrinam ac disciplinam libenter admittant, quarum ope tantum beati evadere & exitium evitare possint. comm. 32-36.

§. 3.

Vividissimis coloribus depingit summa Sapientia comm. 22-31. infinitam suam *majestatem & excellentiam*, qua, ut Divinæ naturæ per æternam generationem particeps, ante jacta mundi fundamenta, & ab omni æternitate, gavisa est, quamque in omnium rerum creatione ac sequenti gubernatione abunde demonstravit. *Jehova possedit me, principium viæ suæ, ante molitiones ipsius, ex tunc. Ab æterno generata sum, ab initio, ab originibus terræ. Quum nondum abyssi* (essent), *genita sum: quum nondum scaturigines gravidatæ* (essent) *aquis. Antequam montes fundati essent;*

essent; ante colles genita sum. Quum nondum facta esset terra & circuitus; & principium pulverum orbis habitabilis. Quum præpararet coelos, ibi ego (eram): quum describeret circulum super facie abyssi. Quum firmaret nubes superius: quum adstringerentur fontes abyssi. Quum poneret mari terminum suum; & aquæ non transgrediuntur os (i. e. mandatum) *ipsius: quum sinuaret fundamenta terræ. Tunc existebam apud eum alumna; & eram oblectationes quotidie: ludens coram facie ipsius omni tempore. Ludens in orbe habitabili terræ ejus: & oblectationes meæ* (sunt) *cum filiis hominum.*

§. 4.

Perspicit facile quilibet, qui animum à præjudiciis liberum habet, & sacra sobrie & cum sancto timore tractare didicit, describi hic *summam Sapientiam*, (seu unigenitum Dei Filium,) ut talem, quæ semper & ab omni æternitate fuit apud Deum Patrem; genita ab ipso, sed, modo quidem nobis incomprehensibili, absque ulla imperfectionis umbra, absque initio aut momentorum successione, in ipsa; omnis initii, omnisque momentorum decursus experte, æternitate. Quum nondum ullum à Deo opus productum esset: antequam summum Numen hoc universum, antequam terram in

primis,

primis, & quicquid in ea est memorabile, quin primos pulvisculos, primamve materiam & elementa harum omnium rerum, condere moliretur. Describi illam quoque ut principium & consortem omnium Dei moliminum, in creatione æque ac in conservatione & gubernatione, præsertim in viis gratiæ inde à mundi primordio cum humano genere institutis. Hæc, cum satis à Doctissimis saniori doctrinæ addictis Interpretibus illustrata, & ab Adversariorum, veram Filii Dei divinitatem impugnantium, contortis explicationibus vindicata sint, fusius exponere necesse non erit.

Ipsos terminos tantum, quibus magnum illud *generationis æternæ* mysterium exprimitur, & in quibus Interpretes nondum omne tulisse punctum videntur, majori cum cura enodare meum nunc erit propositum. Sunt autem hi termini numero tres; *Jehovah* קָנָנִי comm. 22. *Ab æterno* נסכתי comm. 23. Et *quum nondum* essent *abyssi* חוללתי comm. 24 quæ vox repetitur comm. 25: *ante colles* חוללתי. Horum terminorum medius præcipue ille est, ad quem Viri alioquin Doctissimi etiam & oculatissimi offenderunt, & quem nondum à quoquam ita explicatum legi, ut natura rei & nexus requirere videtur; dignus adeoque, ut in clariori luce ponatur: quem finem ut con-

tingamus, tamen nec reliquos duos sicco pede prætérire possumus.

§. 5.

Primo igitur loco dicit Summa Sapientia. comm. 22. יהוה קנני ראשית דרכו *Jehova possedit me principium viæ suæ.* Verbum קנה magnam habet cognationem cum rad. קנא quæ ex origine *rubiginem inflammatam*, qualis est *candentis ferri*, indicat, & hinc ad *Zelum*, flagrantem illum animi affectum, transfertur, ut, post magnum A. SCHULTENSIUM *in Comment. ad Job.* XXXVI: 33. p. 1037. & *ad Proverb.* III: 31. docet Philologus non minus suo merito celebris N. G. SCHROEDERUS *in Obs. Sel. ad orig. hebr.* c. II. §. 19. Cognationem, inquam, habet cum hac rad. verbum, quod hic occurrit, קנה, significatque, ut ex frequenti ejus usu in lingua non solum Hebræa, sed & in sororiis Dialectis, Chaldaïca, Syriaca & Arabica, patet: aliquid *studio inflammato acquirere*, & acquisitum, ut *peculium privum*, *carum* & *pretiosum*, omni modo *custodiendum*, *nec unquam abalienandum*, *possidere*. Vid. idem illud literaturæ orientalis Oraculum, SCHULTENSIUS, *in Comment. ad Job.* I: 3. p. 5 & *ad Proverb.* IV: 5. & VIII: 22. Peculiariter vero in Sacris adhibetur de illa *acquisitione*

&

& *possessione*, quæ Patris, vel Matris est, qui per generationem & partum carissima sibi pignora sua faciunt, & ut sua sibi vindicant. Sic hoc verbo utitur Eva, post partum, quo primogenitum suum filium Cainum enixa est, dicens: קניתי איש, ACQUISIVI VIRUM, i. e. peperi. *Gen.* IV: 1. Similiter de Deo usurpatur *Deut.* XXXII: 6. הלא הוא אביך קנך *Annon ille Pater tuus est, qui* TE GENUIT? (Proprie, *qui te acquisivit*; seu *acquisitum possidet*; scil. per generationem.) *Ille te fecit, & stabilivit.* Atque hoc sensu etiam verbum קנה in nostro loco intelligendum est: *Jehova me*, ut carissimum pignus, per generationem ACQUISIVIT, & ACQUISITAM POSSEDIT, (seu generavit,) *principium viæ suæ.* Nam & sequentia synonyma נסכתי proprie *fusa sum*, & חוללתי GENITA, s. *per partum edita, sum*, generandi actum exprimunt, ut postea videbimus, & de ultimo saltem a nemine facile negatur.

Nihil quoque juvat Arianos & alios æternæ divinitatis Christi hostes, quod LXX hoc קנני reddiderint ἔκτισέ με, quemadmodum & Chaldæus Paraphrastes בראני *creavit me*: consentiente Syracide, qui cum allusione ad hunc locum dicit, *c.* I: 4. προτέρα πάντων ἔκτισαι σοφία. Præterquam enim, quod τὸ κτίζειν intelligere potuerint eo sensu, quo Parentes Latinis *creare* & *procreare liberos* di-

cuntur; quemadmodum quidam ex Patribus Ecclesiæ illud verbum de Christo quoque genito à Patre sano sensu adhibuerunt, nec non alii recentiores Theologi, ut ostendit SIXT. AMAMA *in Antibarbaro biblico*, l. III, p. 572. sq. potuerunt hi Interpretes, hic æque ac in multis aliis locis, à vero sensu textus originalis aberrare. Et de Paraphraste Chaldæo quidem minus hoc mirandum est, quoniam is, qui Hagiographa vertit, diu post Servatoris nostri tempora vixit, & non raro odium suum in Christianos prodit. vid. GEIERUS *in Comm. ad b. l.* & FRANC. FABRICIUS *de Christo unico & perpetuo Ecclesiæ fundamento.* Diss. II. c. 2. §. 4. sq. Ceterum ipsi Interpretes Alexandrini hanc vim verbi קנה, qua *generare*, γεννᾶν, notat, alibi agnoverunt, & quidem in loco, ubi illa minus quadrat, scil. *Zach.* XIII: 5. ubi verba כי אדם הקנני מנעורי reddunt, ὅτι ἄνθρωπος ἐγέννησέ με ἐκ νεότητός μου. Quin scite conjicit clar. LE MOYNE *in Diss. ad Jerem.* XXIII: 6. *cap.* III. §. 10. hunc peculiarem verbi קנה usum occasionem dedisse Phœnicibus, ut, quemadmodum in Sanchoniatonis fragmentis legitur, fabularentur, *Ilum* (אל) *generasse Uranum & Estiam*, i. e. cœlum & terram: dum illis notum esset illud Dei prædicatum, quo dicitur אל קנה שמים וארץ, *Deus possidens* (ut Creator & Conservator)

vator) *coelum & terram*, aut, si mavis, *genitor coeli & terræ:* & quo Abrahamus utitur *Gen.* XIV: 19. 22.

§. 6.

Sequitur nunc alter terminus, majori cura enodandus, comm. 23 מעולם נסכתי מראש מקדמי־ארץ. Interpretantur ut plurimum hæc verba in hunc modum: *Ab æterno* UNCTA SUM, *à principio*, *ab originibus terræ*.. Negari etiam nequit, occurrere thema נסך in hoc sensu, ut innuat *effusionem olei ungendi causa*, atque ita synonymum esse τῷ משח *unxit*. Certissimum hoc est in loco *Ps.* II: 6. ואני נסכתי מלכי על־ציון הר קדשי. *Ego vero* UNXI *Regem meum super Zionem, montem meum sanctum.* Difficultas enim contra hanc significationem mota à GUSSETIO *in Comment. ling. Ebr. ad v.* נסך non majoris momenti est, quam contorta illa hujus loci expositio, quæ ab ipso substituitur. Verum alia hic res est; agitur enim in hoc Psalmo de Messia publice in tempore pro Rege Zionis à Patre declarato & inaugurato. Sed quomodo hoc ad hunc Prov. locum applicari poterit?

1. Quando hic dicitur facta illa *unctio*? Nonne *ab æterno*, *ab initio*, *à primordiis terræ*? Antequam ulla opera externa à Deo

producta essent? Quænam autem est illa *unctio*, quam tunc accepit Filius Dei? An publica est *declaratio* & *inauguratio* in Mediatorem? Hoc nemo dicet. Absurdum enim esset, talem declarationem & inaugurationem statuere, antequam ulla adesset creatura, coram qua illa fieret. An *collatio* esset *donorum Spiritus sancti*, quorum symbolum in Sacris oleum pretiosum & optimi odoris esse solet? Non magis hoc dicet, cui sanum est sinciput. His enim *Spiritus sancti donis* indiguit quidem in tempore humanitas τȣ Θεανθρώπȣ, & hoc spirituali *unguento* revera, & largissima quidem mensura, *perfusa est, præ consortibus suis. Ps.* XLV: 8. Sed quis ipsam divinam Filii Dei naturam ab æterno tali unctione indiguisse sine maxima absurditate asseret? Quomodo hoc sine imminutione summæ ipsius dignitatis & perfectionis explicabit? Aut quibus argumentis hæc somnia cordatis hominibus probabit?

2. Talis præterea explicatio plane adversaretur ordini verborum summæ Sapientiæ. Quid enim? Annon necesse fuisset ea absolvere, quæ de sua *æterna generatione* testari voluerat, antequam *ad suam ad munus mediatorium*, in tempore demum obeundum, *inaugurationem* transiret? Verum contrarium hic videmus, dum statim pergit comm.

24., 25. *Quum nondum abyssi essent*, חוללתי GENITA SUM: *quum nondum scaturigines gravidatæ essent aquis. Antequam montes fundati essent; ante colles* חוללתי GENITA SUM.

§. 7.

Senserunt omnino priorem illam difficultatem Viri pietate & eruditione præstantes, & hinc illam phrasin explicaverunt de Filii Dei *ad officium Mediatoris destinatione*, seu ipsius ad illud in consilio gratiæ *præordinatione*, facta ab æterno à Patre, interveniente Spiritu sancto. Sed vel sic tamen

1. Altera ex indicatis remanet difficultas: dum illud נסכתי medium inter קנני & חוללתי occupat locum, summaque Sapientia suæ æternæ *generationi* subjungeret *unctionem*, seu ordinationem ad munus mediatorium; mox autem iterum ad æternam *generationem* relaberetur; qualis confusio in sermone justo ordini, quem sapiens merito observat, refragatur.

2. Præterea autem per hanc interpretationem *unctioni* adfingitur talis significatio, quæ natura rei & receptæ in omnibus linguis loquendi consuetudini adversa fronte repugnat. Quid enim? nonne longe aliud quid est, *destinare* aliquem ad certum munus? aliud vero, *ungere* aliquem ad illud;

vel

vel (cum *unctio* ſæpe ſynecdochice & metonymice quamcunque *publicam declarationem* de munere, quo quis functurus ſit, cum ſolemni *inauguratione* per certos ritus conjunctam, exprimat,) aliquem ad deſtinatum munus *inaugurare*? Prius eſt antecedens, poſterius vero conſequens: & quidem ejusmodi naturæ, ut unum pro altero poni non poſſit. Quis ex. gr. de iis, quibus Deus per gratioſum electionis decretum ſalutem cum omnibus mediis ad eam ducentibus deſtinavit, dicet, eos *ab æterno regenitos, vocatos, illuminatos, fide donatos, converſos, juſtificatos, ſanctificatos, glorificatos* eſſe? Aut quis adſeret, Aharonem *ab æterno* ad ſacerdotale, Davidem vero & Salomonem ad regium munus *unctos* eſſe; intelligens per hoc, quod Deus in ſuo decreto illos ad hæc officia deſtinaverit? Talis locutio plane inſolita eſſet, & à nemine intelligeretur. Appellatur quidem, fateor, magnus ſalutis noſtræ procurator jam in verbo prophetico, antequam in mundo apparuiſſet, & muneribus ſuis ſolemniter inauguratus eſſet, משיח *unctus*, & *Rex*: ſed præterquam, quod in plerisque illis locis, ubi ita vocatur, ſcena prophetica nos ducat ad illa tempora, in quibus ſe ut jam actu inauguratum in mundo demonſtraturus eſſet, longe hic quoque alia res eſt, quia ipſe tamen jam à Prophetis pro

tali

tali declaratus erat, quin revera se jam aliquatenus ut summum Prophetam, Sacerdotem & Regem populi sui gerebat, & horum officiorum suorum, olim plenarie & in omni emphasi peragendorum, præludia dabat. Nullibi tamen affirmant Prophetæ illum eo tempore jam *unctum esse*, nedum *ab æterno*. Loca enim, quæ de eo pronunciant, quod *Spiritus Domini super ipso sit*, & *Dominus eum unxerit* *Jes.* LXI: 1.; quod *Deus eum unxerit oleo lætitiæ supra consortes suos* *Ps.* XLV: 8.; & *in Regem super Zionem montem sanctum* *Ps.* II: 6. scenam habent propheticam in initio Novi Testamenti demum aperiendam. *Ps.* LXXXIX: 21. vero, licet respectum ad Messiam habeat, in litera tamen de *unctione Davidis* in Regem Israëlis, ut re jam præterita, sed quæ pignus simul esset rei futuræ, à Deo eodem tempore promissæ, & olim in magno Davidis Filio implendæ, loquitur.

Displicuit ob has rationes mihi jam dudum hæc tantum non ab omnibus recepta hujus enunciationis explicatio; unde & *destinationem* & *præordinationem æternam Mediatoris* ad suum triplex munus non consideravi ut partem *unctionis* ipsius, adducto, ut vulgo fieri solet, hoc Prov. loco, sed tantum ut illius antecedens, quum de illa *Messiæ unctione* agerem in libro belgico, Amst. 1753, 1754. edito

edito sub tit. *Gods Kinderen den beelde van Gods Zoon gelykvormig, of het deugden-beeld van Christus zig openbarende in de Gelovigen*, Vol. II. c. 18. §. 15.

§. 8.

Multo minus interea adoptandam putarem sententiam cl. GUSSETII, qui, postquam in *Comment. ling. Ebr.* ad v. נסך observavisset, (quo jure, nunc non inquiro,) נסיכים esse *Principes subalternos, quos Rex, quasi auctoritatis suæ emanationem, emittat super plebem, ut eos eminentia dignitatis obumbrent quidem, sed & tegant tueanturque*; in nostro Prov. loco נסכתי de *communicatione Imperii* à Patre Filio facta intelligendum vult: sicut & *Ps.* II: 6. Sic enim in idem incommodum, quod in vulgari sententia §. præced. num. 1. notavimus, incidit, & *Oeconomicam relationem* cum *naturali* permiscet; quin illam quoque *æternam* statuere, & nisi omnia perturbare velit, illam ut priorem, hanc ut posteriorem considerare debet, quod natura rei non permittit. Aut si *Imperium* respicit non *Oeconomicum*, sed *naturale*, ex ipsa Divina Filii natura profluens, eo ipso Filium Patre minorem & dependentem facit, tanquam *Principem subalternum* à summo Rege. Conferantur etiam quæ GUSSETIO opposuit cl.

Cl. WESSELIUS in *Diss. sacr. Leidens.* Diss. VIII. § 9. [illegible]

Meliora vidit cel. WESSELIUS in *laud. Diss.* & bene observavit, verbum נסכתי positum inter duo illa verba קנני & חוללתי *generationis* negotium indicantia, ad idem quoque pertinere debere; in eo tamen exponendo non adeo felix fuisse videtur. [illegible]

Primo enim, [illegible] sibi oculos praestringi passus, arripit significationem emittendi, quem huic themati tribuit GUSSETIUS, illudque exponit de *emissione per generationem*: ita tamen, ut quaedam melioris notae admisceat, de liberis ex parentibus natis, consideratis per metaphoram ut *aqua* ex fonte scaturiens, & similia. §. 8.

2. Dein vero, non plane quidem repudiata, sed tamen missa facta hac sententia, ne necesse haberet à vulgo recepta hic *ungendi* significatione recedere, in subsidium vocat *unctionem recens natorum infantium*, quae apud varias Gentes obtinuit §. 10-15. Ad hanc ita hic alludi autumat §. 16. ut indicetur,
„ Jehovam Patrem non tantum *Filio* per
„ essentiae communicationem simul omnem
„ divinam GLORIAM, & DECUS atque ROBUR
„ contulisse, quemadmodum *infantium unctio*
„ ad

„ ad hos quoque fines instituebatur; sed „ etiam illum, qui hic summæ Sapientiæ „ nomine venit, ut Filium suum PROPRIUM „ & UNIGENITUM tenerrime & perfectissime „ ab æterno AMASSE: sicut unctio infantum „ recens natorum paternæ & maternæ erga „ eos *curæ* & *amoris* insigne indicium erat." Quo minus autem hoc nobis arrideat, præter alia incommoda, & hoc facit, quod deinceps adhuc sequatur חוללתי *genita, pregnata*, seu per partum edita sum; unde inconveniens esset, præmittere *unctionem recens nati infantis*, quæ cum semper apud homines per naturam rei posterior sit, necessario quoque hic postponenda fuisset, si Spiritui sancto ab hoc ritu colores mutuari placuisset.

§. 10.

Restat, ut tandem nostram de hoc verbo sententiam explanemus, qua omnem difficultatem hic tolli posse putamus. Ita scilicet nobis videtur, omnes illos tres terminos, qui hic reperiuntur, comm. 22-25. קנני, נסכתי & חוללתי synonyma esse, quibus unum idemque mysterium *æternæ generationis Filii Dei*, nervose, & ut in stilo floridiori & sublimiori Vet. Test. frequenter fieri solet, per ἐξεργασίαν, seu ἐπεξήγησιν, explicatur.

De-

Desumta autem esse omnia à negotio generationis humanæ, & quidem ita, ut קנה (quemadmodum ex collatione *Gen.* IV: 1. cum *Deut.* XXXII: 6. liquet) vox sit generalior, *generationem* æque ac *partum* significans, reliquæ duæ autem speciaiores; sic ut נסך præsertim ad *generationem*, חול autem & in Pohal חולל ad *partum* respiciat. Ex qua observatione quivis facile perspicit, quantò cum selectu, & quam justo, quem allusio requirit, ordine, hæc verba sint adhibita. Interim hæc omnia θεοπρεπῶς intelligenda, nec ultra scopum Spiritus sancti extendenda, aut nimis urgenda esse, ut aliquid inde deducatur, quod summis perfectionibus Patris æque ac Filii Dei repugnet, res ipsa clamat. Unde & hoc monere debeo, ne malevolis interpretationibus occasionem dem, tria illa verba in allusione, ita ut indicavi, distincta esse, non tamen aliquid diversum in Deo, distinctos actus, aut progressum in opere, exprimere. Ceterum de ipso illo ineffabili *æternæ generationis Filii Dei mysterio* hic agere nolumus, sed illius tractationem ad scholas Theologicas ablegamus, literali hujus loci sensui aliquam lucem adspersisse contenti.

§. XI.

Ut igitur clarissime appareat, verbo נסך non sine fundamento vim *generationis* attribui, quæ quam apposita hic sit, & per omnia cum nexu conveniat, ex iis, quæ monita modo sunt, tam clarum est, quam quod clarissimum, sequentia nunc observo.

1. In confesso est, vim principalem verbi נסך esse *fundere*, *effundere* liquorem, illove aliquid *perfundere*; quapropter de libaminibus, vini similiumque liquidorum haud raro adhibetur, ex. gr. *Exod.* XXX: 9. *Jer.* VII: 18. XXXII: 29. *Hos.* IX: 4. & alibi; unde & ipsa *libamina* נסכים & נסיכים audiunt; ut & de metallis igne liquatis, quæ in certam formam funduntur, ad producendum aliquod simulacrum, *Jes.* XL: 19. הפסל נסך חרש *Idolum* FUDIT *artifex.* coll. c. XLIV: 10. Quæ & ratio est, cur *ungendi* ideam aliquando formet; est enim in tali casu *effundere* oleum ungendi causa, seu *perfundere* aliquem unguento.

2. Quomodo autem hoc ad *generationem* quadret, sentire non adeo est difficile; si modo observemus, nihil tritius esse populis Orientalibus, quam quod termino *aquæ* in negotio generationis honeste utantur, *liberos-*

que

que ut ex *Fonte paterno profluentes* considerent. Sic *Jes.* XLVIII: 1. dicitur: *Audite hoc domus Jacobi, qui vocamini nomine Israëlis,* וממי יהודה יצאו ET estis illi, qui EX AQUIS JUDÆ EXIVERUNT. Similiter *Ps.* LXVIII: 27. *In congregationibus benedicite Domino:* אדני ממקור ישראל *Domino* EX FONTE ISRAËLIS, i. e. Christo, originem trahenti ex Israële. Vel, si hoc magis placeat, *Domino* (nempe benedicite) vos qui estis *ex fonte Israëlis*, i. e. vos Israëlitæ, posteri Israëlis. Simili metaphora utitur Salomo, loquens de honesti conjugii pignoribus, *Prov.* V: 26. sq. nec non Jacobus Patriarcha, nefandum Rubenis incestum describens, *Gen.* XLIX: 4. conf. ad priorem locum magnus SCHULTENSIUS, & ad posteriorem Commentatorum Princeps, CAMP. VITRINGA *Obs. S.* l. I. Diss. III. c. 1. §. 2, 3. Et huc quoque spectat, quod legitur *Deut.* XXXIII: 28. *Habitabit Israël secure seorsim,* עין יעקב FONS JACOBI (Jacobi posteri) *in terra frumenti & musti.* Nec non *Jes.* LI: 1; 2. *Respicite ad* PETRAM, ex qua *excisi estis,* ואל מקבת בור & AD FORAMEN PUTEI, ex quo *effossi estis.* *Respicite ad Abrahamum* PATREM VESTRUM, & *ad Saram, quæ* PARTURIVIT VOS. Similia deprehenduntur passim in *Corano*, aliisque Arabum scriptis. Sic ex. gr. Pseudopropheta

pheta dicit in *Corano.* Sur. LXXXVI. §. 5-7.
فلينظر الانسان مم خلقه خلق من ماء
دافق يخرج من بين الصلب والترائب

Vide, homo ex quo creatus sit. Creatus est ex AQUA EFFUSA. Quæ *procedit ex lumbis & ossibus pectoris.* Alia exempla, & sufficiente mensura, adfert cel. VRIEMOETUS *in Diss. de Schiloh, Judæ illustri germine.* cap. IX. p. 204.

3. Non possumus quidem producere aliud exemplum ex sacris Literis, ubi ipsum verbum נסך ad *generationis* negotium indicandum adhibetur; (quod mirum non est, quoniam, si genealogias accipias, in quibus voces minus figuratæ & vulgatissimæ adhiberi solent, res ipsa non adeo frequenter occurrat, & Hebræi sine dubio eandem hanc rem multis diversis phrasibus figuratis exprimere soliti fuere;) interim clarissimum habemus exemplum, in quo occurrit synonymum & cognatum verbum נתך in Hiph. התיך de *semine genitali*, ex quo divina potentia homo per generationem producitur; quodque cum hoc nostro loco omnino conferri meretur. Exstat illud *Job.* X: 10. 11. *Annon sicut lac* תתיכני FUDISTI ME; *& sicut caseum coagulasti me? Cute & carne vestivisti me; & ossibus ac nervis contexuisti me.* Extra dubitationis aleam positum est, τὸ נתך in Hiph. התיך

hic illum, quem diximus, sensum habere. Et certe nihil differt hæc radix נתך ab altera נסך nisi in eo, quod cum נסך in Kal sit transitivum, *fundere* significans, נתך ex adverso sit intransitivum, indicetque, quod liquor *fluat*, *manet* *Job.* III: 24. ויתכו כמים שאגתי FLUUNT INSTAR AQUÆ *rugitus mei.* In Hiph. autem, quod Job. l. c. reperitur, fit transitivum, & per omnia τῷ נסך in Kal synonymum, estque similiter *fundere* liquida, & metalla igne liquata. 2 *Reg.* XXII: 9. התיכו עבדיך אתהכסף *Liquatum* FUDERUNT (in massas) *servi tui argentum. Ezech.* XXII: 20.: *Sicut congregari solet argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, in medio fornacis, ad sufflandum super illis ignem* להנתיך AD FUNDENDUM; *sic congregabo in ira mea & in excandescentia mea, & deponam,* והתכתי *& fundam vos.* In Niph. quoque accurate respondet τῷ Niph. verbi נסך quod in nostro Prov. loco exstat, denotatque *fundi, effundi, Exod.* IX: 33.: *Pluvia* לא נתך NON EFFUSA *est in terram.* Et 2 *Sam.* XXI; 10. *Donec* נתך־מים EFFUNDERETUR AQUA *super eos.* Unde non sine ratione concludimus, hæc verba unam originem habere, ס & ת inter se permutatis. Atque ita, quod in transitu notari potest, exemplum tale hic habemus, quod

in præsens sibi non succurrere fatebatur summus SCHULTENSIUS in Clav. Dial. p. 264. quod ס apud Hebræos transierit in ת, quod tamen ipsi merito non absonum videbatur, quum in Arabica Dialecto pro س, conveniente cum Hebræorum ס, interdum poneretur ث & τὸ ש apud Chaldæos & Syros frequentissime, apud Arabes etiam non nunquam in ת transformaretur.

§. 12.

Sequitur nunc tertium & ultimum vocabulum חוללתי bis repetitum, comm. 24. 25. quod cum nullam difficultatem habeat, paucis defungi licebit. Chaldæus Interpres duplex synonymum hic adhibet, comm. 24. substituens אתילידית *genita sum*, & com. 25. אתבנירת *propagata sum*. Interpretes Alex. habent γεννᾷ με; *genuit me*. Aquila & Theodotion magis adhuc ad literam ὠδινήθην, *per partum edita sum*; & Symmachus ἐμαιώθην, *obstetricis* (quæ μαῖα audit) *ope educta sum*. Radix est חול, cujus primaria potestas in *torquendo* sita est, ex qua descendunt reliqui significatus secundarii, ut optime docent Viri clar. A. SCHULTENSIUS *Comm. ad Prov.* XXI: 7. p. 256. & J. W. SCHROEDERUS *Comm. in Ps.* X. ad v. 5. p. 97. sq. Inter has significationes secundarias & illa non

infrequenter est, quum applicetur ad magnos *dolores & cruciatus*, quibus quis torquetur; praesertim vero ad gravissimos *dolores*, *qui partum comitari*, & *parturientes torquere solent*. Atque ita etiam in primis active in forma Pohel חוֹלֵל est *parere*, & passive in forma Pohal, quae hic etiam legitur, חוֹלַל est *gigni*, *per partum in lucem proferri*. Exemplis in re nota, nec facile in dubium vocanda, abstineo. Patet ex his, quod jam indicavi. §. 10., desumtam hanc phrasin esse à *partu* humano, quo foetus producitur, intelligendam tamen esse θεοπρεπῶς, conf. GEIERUS *in Comm. ad h. l.*



III.

VINDICIÆ LUCIANI, SEU Vera Christi Jesu disciplina & doctrina, ex Luciano utroque illustrata

per

J. C. HARENBERG.

Synopsis §. 1. *Usus tractationis ex Luciano utroque, cujus additur discrimen.* §. 2. *Lucianus prior polytheismum prostravit, licet ab atheismo esset alienus.* §. 3. *Ipse non iniquus fuit censor resurrectionis mortuorum & Hierosolymæ Apocalypticæ.* §. 4. *In* Pseudomante *non derisit Christianos.* §. 5. *Nec in* Peregrino *sese eis hostem & empactam præbuit.* §. 6. *Id ipsum porro argumentis nonnullis comprobatur.* §. 7. *Quid sit* θαυμαστὴ σοφία *in* Peregrino *ostenditur.* §. 8. *Recte tribuuntur Christianis* ἱερεῖς *&* γραμματεῖς. §. 9. *De eis, quæ omissa sunt in* Peregrino, *ad Jesum adtinentibus.* §. 10. *Recensentur instituta primorum Christianorum, & ab irrisione liberantur fuse.* §. 11. *De causa, cur Peregrinus dimissus e carcere & a Christianis desertus sit.* §. 12. *Non fuit Lucia-*

nus

neus Dei contemtor nec Epicureus, §. 13. *Inducit Lucianus Lycinum, Christianæ religionis adprobatorem, a risu alienus.* §. 14. *Vindicatur auctor* Philopatridis *ab cavillatione, in Christianos suscepta.* §. 15. *Causa, cur scriptus sit* Philopatris, *consistit in calumnia impacta rei Christianæ depellenda.* §. 16. *Locus ex* Philopseude *in Christianam religionem non est iniquus.* §. 17. *De magna mercede, quam indidem Exorcistæ videntur reportasse.* §. 18. *De meritis utriusque Luciani in religionem Christianam.* §. 19. De usu *ex scriptis Luciani utriusque capiendo.*

§. 1.

Juvant etiam caussam veritati innitentem inimici & ab ea alieni disputatores, qui confessi sunt ea publice, quæ diffiteri vel in dubium vocare ausi non erant, verentes, ne secus se gerentes fidem & famam suam negligere aut pessumdare viderentur. Horum testimonia non solum non sunt repudianda, sed potius facienda maximi, publica quippe & fida rerum monimenta. Præmuniunt hæc id, quod contigit vel in consuetudine positum fuit, & id, quod, in verbis & in doctrina contineri & propagari, ipsi crediderunt inimici vel cavillatores, & id, quod per testimonia amicorum, idem tradentium, confirmatur. Si hoc judi-

cium transferimus ad ea, quæ penes *Lucianum utrumque* de Christianis, de eorum doctrina & disciplina atque ritibus primævis, leguntur, non possumus quin ex illis proficiamus & ipsi Christianæ rei auctoritatem & fidem conciliemus. Liceat monere, inter Luciani *prioris* & *posterioris* ætatem & scripta differentiam intercedere satis magnam. Nam ille sæculo secundo ad finem vergente e vita discessit, admodum senex (*a*). Diu quidem pervulgata via incesserunt, qui Dialogum, cui nomen est *Philopatris*, eidem famosissimo tribuerunt Luciano. HENRICUS DODWELLUS, quantus in arte Critica & studio Chronologico! eadem adhuc oberravit chorda, certe a via recta aberravit (*b*). At HUGO GROTIUS, Dialogum illum imperante Trajano publicatum fuisse, sibi persuaserat in *Commentario ad Psalmum* 104. Erat vir doctus, qui judicium hoc mentioni de Grotio factæ addebat: *Verum id de eo scriptore dici non potest, qui Artemidori Daldiani* Ονειροκριτικα *laudat*. Addit præterea vir ille doctus, MATURINUS VEYSSIERIUS LA CROZE, hæc (*c*): *Ego*,

(*a*) JOANNES FRIDERICUS REITZIUS in *Sylloge de Aetate, vita scriptisque Luciani*, præmissa *Tomo I. Operum Luciani, Amstelodami* 1743, 4. *editorum*, p. 62—64.

(*b*) In *Dissert. de Isidoro Characeno* in *Hudsoni Geographis Græcis minoribus Vol. III.* p. 65. s.

(*c*) In *Miscellaneis Berolin. Societatis regiæ* Part. I.

Ego, ad Aureliani Imperatoris tempora, adeoque diu post Luciani ætatem referendam esse ejus Dialogi scriptionem, aliquando demonstraturus sum. Promisso hoc celeberrimus olim auctor haud stetit, & inclitus JOANNES MATTHIAS GESNERUS omne tulit punctum, qui solide docuit, auctorem *Philopatridis* fuisse Lucianum, unum ex Sophistis, Juliani Apostatæ amicis. Viri post fata magni *Dissertatio de Aetate & Auctore Dialogi Lucianei, qui Philopatris inscribitur*, suffixa adparet *Tomo III. Operum Luciani, a.* 1743. *Amstelodami* foras datorum, p. 708–738. Volupe est mihi, in hac sententia *Gesneri* nunc adquiescere. Miramur cautionem, qua usi sunt Romæ jussu Alexandri VII. Viri, qui anno 1664. *Catalogum prohibitorum librorum* auxerunt. Hi enim Dialogum *Mors Peregrini* & illum, *Philopatris* dictum, a lectione voluerunt esse sejunctum, omittentes ad usum respicere, qui inde ad res Christianas illustrandas arcessi potest. Si Lucianus aliquando disciplinæ Christianæ se adgregasset ac posthæc ab ea recessisset, quæ Viri doctissimi *in Groenii* erat conjectura, invisus Christianis videri posset. At conjecturam eam destruit manca & nonnihil erronea Luciani de elementis rei Christianæ notitia. Quis enim sibi potest persuadere, virum, expiscandis eis, in quæ se immiserat, aptissimum

&

& diligenter adfixum, non accuratius de Christiana religione expositurum fuisse, si illam amplexus esset unquam?

§. 2.

Qui norunt, doctrinam atque disciplinam Christianorum duobus potissime inniti fulcris, quorum illud in animo ab erroribus & vitiorum illecebris vacuo, hoc autem in ipsa veritatis luce, quaquaversus continua & æquabili, situm sit & fundatum; illi non inficiabuntur, Lucianum rei Christianæ adminicula adtulisse eo ipso, quo idololatriam, Græcis aliisque circumvicinis nationibus familiarem, tollere eamque demoliri studuit. Accedit quod Philosophicas ætatis suæ sectas contemtui publico exposuit. Multos igitur errorum acervos & multa commentitia dogmata Lucianus destruxit, quæ amplificationem religionis Christianæ impediebant, & huic haud raro noxam solebant inferre. Superstitiones hominum a Luciano fuisse exagitatas sannisque oppletas; hominum videlicet, qui a Judaica & Christiana religione erant aversi, loquuntur pleraque ejus scripta. In eorum non licet ire sententiam, qui ipsum ex SUIDA vocarunt *blasphemum & atheum.* Nec eorum me commovet opinio ad adsensum, qui cum BARONIO in *Annalibus*, ad

ad annum 171. §. 7. ipsum inserunt Christianis. Prior sententia suffragiis omnibus est indigna. Nam, Deum esse, Lucianus numquam negavit. Derisit Jovem. At Jovem cavillatus est & irrisit eum, in *Timone* c. 9, 10. in *Prometheo* c. 7. ac in *Dialogis* passim, qualem sibi finxerant homines ingenio praepostero praediti, qui crimina nefanda & facinora, virtuti prorsus inimica, Jovi suo tribuere solebant. De Deo non ficto, sed virtutis perfectae Oceano, Lucianus in *libro de Conductis mercede* (*d*) lectorem dimittit cum hoc monito: *Quicquid facis, memento illius viri sapientis, qui dixit*: Ὡς θεὸς ἀναίτιος, αἰτία δὲ ἑλομένου, *innocens est Deus*, si male agis & incogitantia es usus, *culpa vero est eligentis*. Vindicavit Lucianus sic Deum a calumnia eorum, qui culpam eventus actionum suarum mali ac funesti, a sese remotum euntes, in Deum rejiciebant. Refellit Lucianus eos, qui animum induxerant ad credendum, τὸ θεῖον, Numen divinum hominibus indigere, gaudere ei adulantibus, ac indignatione adfligi, si ab hominibus negligatur (*e*). Ipse potius negat, Deum esse tam humilem & minus liberalem. Lucianus eum adpellat Optimum philosophorum (*f*), qui

(*d*) *Cap.* 42. *p.* 704, *To.* I.
(*e*) *De Sacrificiis p.* 525. *To.* I.
(*f*) *Pro Imaginibus c.* 28. *p.* 506. *To.* II.

qui hominem dixit Dei esse imaginem. Utrum Plato, an Diogenes Cynicus indicetur, meum nunc non est arbitrari. Ipse Phalarin tyrannum inducit sic loquentem: (g) *Homines fortassis facile est fallere; fieri autem non potest, ut quis Deum subterfugiat, seu fallat.* Quid poterat rectius meliusque dici? Possem complura hujus generis adjungere, nisi hæc sufficerent, ad Lucianum ab atheismo liberandum. Si acupri judicio fuisset, quam ingenio, idque studiosius circumspexisset, quod mentem solide tranquillare potest; si Christianam religionem penitus perpendisset, alienior ab ingenii titillationibus, gloriæque fragilis minus avidus, nec victum ex scriptis quæsivisset; illustrem in doctorem disciplinæ Christianæ potuisset gradatim converti, quamprimum gratiæ Dei sese sacrasset. Nostrum est venerari providentiam Dei, qui errores religionis, tunc dominantis in orbem Romanum, per Lucianum ejusque similes auctores fregit & deturbavit, atque eo instituto viam exquirendi meliora mortalibus voluit præbere. Laudi tribuendum est Luciano, quod per allegoricas artes fabulas theologiæ ethnicorum nec mitigavit nec sanare studuit.

(g) In *Phalari priore* c. 1. p. 188. To. II.

§. 3.

Deridet, fateor, Lucianus ethnicorum fabulas, de poenis infernalibus vulgatas. Verumtamen non tollit mercedem actionum, post mortem hominibus exspectandam, præcipue criminosis, tyrannis, prave divitibus, monarchisque injuste in suos dominatis. Videtur quidem *anabiosin* ridere (*h*), quam vulgo per resurrectionem mortuorum exponi video. Simulac vero loca ipsa evolvimus & ad ea adpellimus adtentionem, intelligimus illico, Lucianum de reditione ad hanc, quam heic vivimus, vitam disserere; non de resurrectione ad vitam, alibi pro mercede antegestis obtinenda æternum transigendam, exposuisse. Est, qui suspicatur, Lucianum in Libro posteriori *Veræ Historiæ* descripsisse (*i*) sacrum quemdam locum & in eo urbem totam auream, moenibus Smaragdi-

(*h*) In *Dialogo mortuorum* I. c. 1. p. 340. To. I. *Vitarum auctione* c. 5. p. 544. To. I. *Cataplo* c. 13. p. 635. To. I. *Dial. mortuorum* 23. c. 1. p. 426. To. I. *Somnio* c. 19. p. 729. To. II.

(*i*) C. 11, 12. T. p. 111, 112. To. II. MOSES SOLANUS in [illegible] nota suum hoc exhibet judicium: *Adi modo Apoc.* XXI [illegible], *quam hæc illis sint similia, videas.*

ragdinis cinctam, portis septem cinnamominis illustrem, ad deridendam Hierosolymæ imaginem, Joanni *Apoc.* XXI, XX, visam. At est immanis inter utramque narrationem differentia. In Luciani enim urbe illa ficta adparent templa omnium Deorum, e gemma beryllo facta, & altaria maxima ex uno amethysto, in quibus hecatombæ sint peractæ. Beatos in ea urbe convivium agitare & neminem ibi senescere, commentus est Lucianus. Nil inest similitudinis hisce cum Hierosolyma Joannis.

§. 4.

Bis Lucianus prior mentionem de Christianis injicit ita, ut in eos nec injuria nec irrisione utatur. Obiter meminit eorum in *Alexandro seu Pseudomante* c. 38. p. 244. To. II. En narrationem de hoc Alexandro, quam e Luciani græcis modo dabimus latine: *Mysteria quædam instituit & facum gestationes & Sacrorum disciplinam, tribus deinceps diebus festo ritu peractis. Ac primo die edicebatur,* προέῤῥησις ἦν, *ut Athenis, in hanc formulam: Si quis Atheus, aut Christianus, aut Epicureus venerit, Orgiorum speculator, fugito; qui autem Deo credunt,* τελείσθωσαν τύχῃ τῇ ἀγαθῇ, *initiantor bona sorte!* Alexander ille, medicum & nummorum accipitrem agens, artemque suam fumi-

fumivendulam oraculis fictis & ementito cum Diis commercio tueri studens, mendacia sparsit sua imperante potissimum Lucio Aurelio Vero. Norat Alexander Christianos. Norat, eos superstitionum & commentitiorum Numinum haud esse adsectatores, in id potius intentos, ut fallacias impostorum, religione vana ad fraudes suas tegendas abutentium, detegerent ac publice abhorrerent. Credere non licet, Christianos ab Alexandro dictos fuisse Atheos, a quibus quippe illos discrevit. Patescit simul ex Alexandri edicto, Christianos ejus ætatis explorasse ac repudiasse sacra illa, Numinibus fictis dicata & cum consecratione singulari, ad paucos mysterii conscios spectante tantum, conjuncta. Anne dici potest, Christianis hoc loco injurias derisionum fuisse illatas? Videtur hoc intelligi, quod quæritur, ex causa haud una. Christiani adparent collocati Atheos inter & Epicureos. Christiani excluduntur ab Alexandri Sacris telestikis. Christianis infligi videtur illa criminis atrocia, qua e numero eorum eximuntur, qui Deo credunt. Si quid contumeliæ contra Christianos expromtæ in hisce formulæ verbis latet, vel ex eis profluxit, id non Luciano enarratori, sed Alexandro auctori, tribuendum est. Lucianus certe hunc hominem in scenam non induxit,

 L l ut

ut esset, quem lectores secum suspicerent & venerarentur. Persecutus est potius & improbavit fraudes & ingeniosam vanitatem hominis, qui credulitatem animis ditiorum adflaverat, numisque eorum insidiabatur. Nulla igitur in Lucianum redundat causa convitii, si quod Alexander, mendax vates, in Christianos videtur evomuisse. Huic viro, huic nugivendulo vati, is videbatur esse Atheus, qui oraculis, quæ ipse finxerat, fidem recusabat. Christianos ipse oderat & Epicureos vehementer abhorrebat, si quidem ab eis ipsius examinabantur nugæ & pro ludibrio habebantur. Compertum hoc nobis est ex c. 25. p. 232, 233. Lucianum audire ipsum libet, qui Christianos illis, quibus inerat intelligentia & mens sagax, adnumeravit. Patet hoc ex loco laudato, in quo hæc leguntur: *Quum multi jam viri, mente præditi sana, quasi ex profunda ebrietate ad sese redeuntes, contra Alexandrum consisterent, in primis quotquot Epicuri sodales essent, & in urbibus deprehensæ paullatim essent omnes illius præstigiæ, ἡ πᾶσα μαγγανεία, ac totus fabularum adparatus, terriculamentum quoddam in eos vibrat, dicens: Atheis plenum esse & Christianis Pontum, qui audeant pessima de se maledicta spargere, quos lapidibus* (Ponti incolas) *jussit abigi, si propitium habere vellent Deum.* —— *Universim implacabile ipsi & infinitum*

nitum bellum erat contra Epicurum, hominem, qui naturam rerum perspexisset, solusque verum in illis vidisset! De Christianis nihil ibi præterea narravit vel judicavit Lucianus. Adhærescimus merito ad id, quod significavit, in oris Ponti jam tum crevisse copiosum gregis Christo addicti numerum. Hoc est *unum*. *Alterum* est hoc, quod ibi gnaviter operam dederunt Christiani, ne sibi suisve imponeretur per præstigias & præstigiatores. Nonne hinc sequitur, Christianos fæculi secundi non fuisse homines stupidi ingenii, nec cereos vel præcipites ad institutionem qualemcunque, facili simplicique indulgentia suscipiendam, existimandos esse? Erant, PLINIO (*k*) teste, in Bithynia Christiani non ex vulgi fece adsciti, sed homines omnis ordinis, sexus, ætatis. Si Luciano Christiani visi fuissent fungi ac pepones, si ipse eos ludibrio dignos duxisset, an eos in eorum numero retulisset, qui Alexandri nugas præstigiatrices & commentitia oracula ad examen revocaverint, vitandas & fugiendas judicaverint, & prorsus abhorruerint? an a derisione in Christianos se abstinuisset profundenda, si ipsos pro plebecula, mentis exsorte, & pro grege fraudibus ductorum decepto reputasset? Nonne inter eos

(*k*) *L. X. ep. 97.*

eos fuisse tradidit τοὺς ἐν τέλει, *honoratiores principes*? Tantum abest, ut Lucianus nobis irrisor Christianæ religionis jure meritoque suo videri, & Christianorum contemtor existimari possit. Tantum abest, ut Atheus fuisse censendus sit. Quis enim Epicurum, cujus sectatores laudavit, reputabit pro Atheo, pro homine, qui, Deum esse, prorsus negaverit? Videri id nobis potest mirum & singulare, quod Alexander eos initiatione sua tantum dignos esse voluit, qui *Deo crederent*. MOSES SOLANUS hanc phrasin e Christianorum scholis traductam esse, ab Alexandro, opinatur. Quam vellem supersedisset hoc judicio. Nam machinam Alexander fabricaverat, per quam dictitabat Deum loqui. Erat vero clanculum extra eam collocatus minister, qui ad interrogata respondebat, vocem per linteum Aesculapium emittens. Huic Deo efficto volebat Alexander credi (*l*). Simili artificio Anglus callidus, *Thomas Irsinus*, caput ligneum, quod loqui posset, construxerat. Revera autem homo in proxime adjacenti cubiculo os tubo admovebat, & inspirata sibi per Sacerdotem Pontificium, per caput adfabre factum, pronuntiabat, Carolo II. Rege Anglos regente. Ante hoc quadriennium homo Helvetius, per factum arte Cornelium suum, Bruns-

(*l*) Lucianus in *Alexandro c.* 26. *p.* 234.

Brunsvici, tanquam per oraculorum fontem, ad interrogata respondit, plebis concursu celebratus admodum. Parum aberat, quin Cornelius ille pro omniscio Numine haberetur. Latebat minister in proximo cubiculo, qui per tubum in cavum Cornelii caput, parieti perforato adplicatum, responsa immittebat, voce utens gravi & sonora.

§. 5.

Progrediendum nunc est ad alium Luciani locum, in quo fusius de Christianis disseruit, historicum tamen, non judicem, agens. Dabo locum (*m*), multis de causis memorabilem, latine: *Peregrinus*, exilio ob crimen damnatus & passim oberrans, *admirabilem Christianorum sapientiam edidicit, circa Palæstinam cum sacerdotibus illorum & scribis versans. Et quid porro? Brevi tempore, ut pueri juxta se viderentur omnes, effecit, Propheta ipse & conventus illorum moderator ac congregator*, ϗ θιασάρχης ϗ ξυναγωγεύς, *& solus omnia. Ac librorum alios interpretatus est & exposuit perspicue, alios multos ipse etiam conscripsit* (*n*).

Itaque

(*m*) *De Morte Peregrini* c. 11. s. p. 333. s. *To.* III. Op.

(*n*) Exciderunt heic verba de Jesu nonnulla.

Itaque ipsum veluti Deum ipsum illi habebant & ipso utebantur legislatore & Antistitem adpellabant. — Magnum igitur illum adhuc colunt hominem, illum in Palæstina cruci adfixum ideo, quod novam hanc initiatricem disciplinam in vitam recte agendam *introduxit. Tunc sane deprehensus* ἐπὶ τούτῳ, *ob hoc vitæ genus ille Proteus in carcerem conjectus est.* quæ *ipsa res illi non parvam dignitatem ad sequentis vitæ rationem conciliavit, & ad prodigiosam narrationis indolem ac gloriæ studium, quorum cupidus erat. Postquam igitur in vinculis erat, Christiani calamitatem illam curæ cordique debere sibi esse rati, omnem impendebant operam tentantes eum ex ea eripere. Deinde quum hoc fieri non posset, ministerium omne reliquum non obiter, sed summo studio, peragebatur; & prima luce vix micante, licebat videre juxta carcerem vetulas præstolantes, viduas quasdam & orphanos. Qui vero honoribus inter eos excellebant, ii etiam, dato custodibus carceris pretio, intus apud ipsum simul dormiebant. Deinde cœnæ inferebantur collaticiæ, & sermones libri-ve sacri ipsorum dicebantur vel legebantur, & optimus Peregrinus (adhuc enim hoc nomine adpellabatur) ab ipsis novus Socrates nominabatur. Quin etiam ex Asia quibusdam urbibus, Christianorum missu publico,* venere

Hic enim postea dicitur *legislator* pariter. Peregrinus dici non poterat Christianorum ξυναγωγεὺς, antistes, auctor.

venere quidam, adjuturi virum & advocati ejus futuri, ad eum consolandum prompti. Incredibilem enim alacritatem Christiani ostendunt, si quid tale fiat publice. Ut enim breviter dicam, nulli rei parcunt. Itaque etiam Peregrino tum multæ ab illis pecuniæ vinculorum causa venerunt, cumque reditum habuit sibi non exiguum. Persuaserunt enim sibi miseri (nn), in universum se fore immortales & illam sempiternam vitam, βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον. *Unde etiam mortem vilipendunt, & multi sua se ipsi sponte necaturis præbent. Deinde adhæc potior ille legislator illis persuasit, omnes esse invicem fratres, postquam semel* (priorem religionis modulum) *transgressi, tum Græcos Deos abnegaverint, tum adoraverint adfixum illum cruci suum Sophistam, atque ad præscripta legum ipsius vixerint. Vilipendunt igitur omnia* (reliqua) *æquali ratione & communia arbitrantur, dum sine ullo idoneo argumento talia receperunt. Si quis igitur ad illos venit impostor & callidus homo, & is, qui rebus scit uti, illico admodum dives brevi evasit, simplices homines* (*) *illudens*, ἰδιώταις ἀνθρώ-

[illegible] ποις

(nn) Κακοδαίμονες non sunt errantes, sed miseratione digni, ob numos in hominem indignum collatos.

(*) Verbo ἐγχάνων propria est vis, *inhiare* indicans. Traductus inde est significatus *illudendi ore hiante*. Malim igitur hæc postrema sic

 inter-

ποις ἐγχανών. „ Addidit Lucianus c. 14. " Peregrinum a Syriæ præside e vinculis fuisse dimissum, eo quod hominem, Philosophiæ amatorem, morti ob famæ monimenta sibi paranda imminentem, nequidem ob amentiam hanc, dignum esse poena existimaverit. Non omisit Lucianus significare, Peregrinum fuisse Parii ad Hellespontum olim in lucem editum, ibique patrem senem per scelus enecuisse. Peregrinum, e carcere dimissum, viatico & comitatu Christianorum fuisse in alia loca instructum, donec in horum præscripta peccasset; idem ex ore alterius memoravit, ratus, illum prohibito ipsis cibo usum esse. " Luciani sunt hæc verba: Ὤφθη τι ἐσθίων τῶν ἀπορρήτων αὐτοῖς. c. 16. Ex eo tempore ipsum non amplius admiserunt Christiani in communionem suam, & ipse, nullo ab eis adjumento sustentatus, ad sectam Cynicorum sese convertit. Hæc Lucianus de Peregrino vertumno memoriæ litteris prodidit, nunc nominari Proteus volente ex Apollonii Tyanensis exemplo. Ipsius in Elide spectaculo, quo sese multis spectantibus igni immisit ac cremavit, adsti-

... non ... tit

interpretari, dum hominibus parum cautis, id est, eorum nummis opibusque, inhiavit. Exhibui tamen interpretationem, quam legimus in editione Reitzii nitidissima & laudibus digna.

tit Lucianus, & de Peregrini vita & gestis narrationem ibi hausit ex ore viri, qui hunc recte per alios istius cives norat, quos exploraverat: idem, ubique negotia vitæque rationes Peregrini perscrutatus c. 8. Scripsit igitur de hoc Lucianus ea, quæ ab alio narrante acceperat. Hæc ad diluendam omnem causam præmitti oportebat.

§. 6.

Falsum itaque est, quod vulgo creditum & per plura sæcula propagatum fuit, fabulæ fundamentum, quæ dictitavit, Lucianum per hanc narrationem voluisse labem Christianæ adspergere religioni. Dedit enim arcessita atque repetita ex alterius narrantis ore, quæ de Christianis in vita tradidit Peregrini. STEPHANUS LE MOYNE suspicatus est (*v*), Lucianum hoc libello illudere martyrio *Polycarpi* ac Christianos ad martyrium sponte ruentes traducere voluisse; videri etiam vulturem, e rogo Peregrini evolantem, per irrisionem a Luciano cum *Polycarpi columba* comparatum esse. Mihi nihil ejusmodi obversatum est legenti vitam Peregrini Lucianeam. De Peregrini ad Christianam disciplinam transitu quæ narra-

vit

(*v*) In *Prolegomenis ad Varia Sacra* fol. 10.

vit Lucianus, ea habuit ex alterius cujusdam ore accepta, dicentis c. 13, καταφρονῦσι τῦ θανάτυ ϗ ἑκόντες αὑτὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοὶ, *Vilipendunt* Christiani *mortem, & multi sua sponte se morti offerunt sustinendæ* (*p*). Intercedit discrimen magnum inter eos, qui sibi ipsi mortem consciscunt, & illos, qui mortem sibi ab aliis intentatam non refugiunt. Si voluntaria sui nex fuisset Christianis universis probata, ipsi mortem non exspectassent, vel ab hostibus, vel a natura, sed eam occupassent. Hoc autem a narrante non solum non adfirmatur, verum etiam negatur; qui præterea negat, Christianos ad unum omnes morti sese offerre, a persecutoribus intentatæ. Fabellam illam, de vulture vulgatam, effinxerat Lucianus, ut amentes stupidosque homines derideret (*pp*), non contendens, vulturem illum e miraculo natum esse, vel revera rogo seu pyra evolasse coelum versus, magna humana voce clamantem: *Reliqui terram, abeo in Olympum*. c. 39. Si columbam *Polycarpi* rodere & illudere statuisset Lucianus, vocis hujus additamento supersedisset, nec avem rapacem adfinxisset tragoediæ de Peregrino. Quis igitur me reprehendet, si ingenue confi-

tear,

(*p*) J. B. COTELERIUS ad *Ignatii ep. ad Rom.* §. 2. p. 27. in *Bibliotheca Patrum apostolic.*

(*pp*) *Cap.* 40. *p.* 361.

tear, conjecturam STEPHANI LE MOYNE nullo niti robore, nec eam ad Lucianum accusandum quicquam conferre.

§. 7.

Ille, qui Luciano vitam Peregrini exposuit, religionem Christianorum vocavit (q), *admirabilem sapientiam*, τὴν θαυμαστὴν σοφίαν. Videntur hæc per ironiam dicta. MOSES SOLANUS ad ea ringitur adversus Lucianum. At quo argumento tandem hæc ad Lucianum trahi possunt? Finge tamen, judicium id esse a Luciano profectum. Ne sic quidem ironia inde exsculpi potest. Nam religio Christiana, quoniam e dogmatibus & regulis officiorum conflata est, videbatur species esse Philosophiæ, quam eruditi ejus ætatis homines *Sophiam* (r) adpellabant. Pythagoricis Socraticisque Philosophis præcipue tribuebatur σοφία, *sapientia* (s). Stoicorum ac Epicureorum sectam Lucianus (t) æque *Sophiam* vocavit. Et quis ignorat, sæculo secundo, doctores Christianorum nonnullos

(q) *Cap.* 11. *p.* 333.

(r) Lucianus in *Mortuorum Dialogo I.* c. 2. *p.* 332, *fin.* In SCYTHA c. 5. *p.* 865. In *Mort. Dial.* c. 3. *p.* 378. *To.* I.

(s) Lucianus in *Bis accusato c.* 8. *p.* 800. *To.* II.

(t) De *Parasito c.* 30. *p.* 859. *To.* II.

nullos pallio philosophico jam esse usos (*) & religionem Christianam passim nomine Philosophiæ & Sectæ adfectam fuisse? Quonam sensu narrator vitæ Peregrini dictam voluerit esse religionem Christianam, dum hanc adpellavit τὴν θαυμαστὴν σοφίαν, non satis definiri potest. Nam ea, quæ nos in admirationem trahunt, dicuntur *thaumasta*, & isthæc admiratio sæpissime ex ignorantia permanat, si quid in eis, quæ adparent vel intelligentiæ occurrunt, & quæ sunt insolita aut in suo genere eximia prorsus. Adde quod vocabula θαυμαστὸς & σοφία a Luciano nunquam in malam partem vel sensu deteriori adhibentur. Dabo unum alterumque exemplum, ut dictis faciam fidem. En (*u*) hoc: *Annon admiratione dignum tibi videtur*, ὁ θαυμαστὸν εἶναι σοι δοκεῖ, *per Jovem*, *pro servo liberum*, *pro paupere vere divitem*, *pro stulto autem & stupido me factum esse modestum*? En aliud (*x*): *Tibi multa ostendam veterum virorum acta resque gestas admirabiles*, πράξεις θαυμαστάς. Alibi (*y*) Lucianus ea, quæ admiratione aliis, non recte rem putantibus, videntur digna, ἃ τοῖς ἄλλοις θαυμαστὰ δοκεῖ, εἰ

(*) HIERONYMUS de *Viris illustribus* c. 20. 23. EUSEBIUS *H. E. IV*, 11.

(*u*) In *Nigrino* c. 1. p. 39. *Tom.* I.

(*x*) In *Somnio* c. 10. p. 14. *To.* I.

(*y*) In *Hermotimo* c. 7. p. 747. *To.* I.

ἐκ ὀρθῶς δοξάζουσι, meminit. Ex hisce intelligitur, non inesse dictioni, qua religio Christiana ἡ θαυμαστὴ σοφία dicta est, ullam ironiæ speciem, quam quidem sibi in ea adpellatione visus fuit deprehendisse *Moses Solanus*. Pone tamen, eam inibi latere, quid tunc ex eo ad Lucianum redundare poterat, alterius cujusdam verba repetentem?

§. 8.

Idem *Moses* notat & carpit illud, quod alter iste narravit: Peregrinum circa Palæstinam versatum esse cum Christianorum *sacerdotibus & scribis*, τοῖς ἱερεῦσι καὶ γραμματεῦσιν αὐτῶν. Monet, titulos hosce doctoribus ductoribusve Christianorum haud congruisse, quippe qui suis Presbyteris & Episcopis sint gavisi. At num narratoris erat, aliis muniorum titulis ac hisce ad Antistites eosdem designandos uti? Nomen ἱερεὺς eum denotat, qui sacra publica administrat & obit, peragitve. Joannes ad septem ecclesiæ Christianæ Angelos hæc scripsit *Apoc.* I: 6. *Jesus nos declaravit* jussitque esse *Reges &* ἱερεῖς *Deo Patrique suo*. Jesaias prænuntiavit fore, ut in Oeconomia foederis Novi ex consortibus ejus sibi deligat Deus *cohanim*, sacra publica tractantes, & *Levitas* c. LXVI, 21. Doctores ecclesiæ, doctrinam Christia-

nam

nam recte edocti, vocantur γραμματεῖς, *scriptorum sacrorum periti*, & conferuntur cum heris familias. *Matth.* XIII: 52. Christianis primis hi doctorum ecclesiæ tituli non potuerunt esse ignoti. THEOPHYLACTUS (z) γραμματεῖς interpretatus est per populi doctores. Nolim negare, CASPARO SUICERO (a) haud aliam de titulo ἱερεὺς sententiam ac illam *Mosis Solani* placuisse. Miror tamen, qui fieri potuerit, ut *Suicerus* librum *de Morte Peregrini* in censum haud vocaverit. Nihil certe in hoc argumento peccavit Lucianus, si verba narratoris repetiit. Narrator indubie repetiit modulum dictionis, qua Peregrinus ipsi exposuerat sua inter Christianos fata. Elucet enim ex ea narratione tumor fastusque, animum Peregrini obfuscans. Lucianus laudem promeruit, dum ea, quæ ipsi tradiderat narrator, ad lectorem ita propagavit, ut imaginem ingenii, quæ Peregrino erat propria, exhibuerit haud mutatam. Ad hanc referenda sunt hæc, quibus docemur, Peregrinum brevi superasse socios suos Christianos doctrina, fuisse prophetam, conventus antistitem & coitionum imperatorem, fuisse solum omnia, interpretatum esse & dilucide exposuisse libros religiosos Christianorum, mul-

(z) In *Matth.* XXIII. *p.* 140.
(a) In *Thesauro ecclesiastico col.* 1441.

multosque ipsum scripsisse. Thrasonem quendam hæc spirant.

§. 9.

Hisce subjunctum fuit aliquid de Jesu, quod librarii omiserunt, fortassis sic instructum: *Et Jesus eorum putabatur summus doctor & sacerdos.* Contexta, quæ restant nobis, ita porro sic habent: *Ut Deum illi eum æstimant & legislatore utuntur* ipso: *ac titulo Antistitis in inscriptionibus ornant.* Videtur respexisse ad litteras Alpha & Omega autor, eum denotantes, si recte conjecturam duco. Nihil heic blasphemiæ adversus Jesum in narratione lectum fuit, licet SUIDÆ sic sit visum, nisi narrator forte parenthesin acerbam inseruisset de suo. Nam Lucianus, qui ante & post potuisset varias irrisiones intexere, ab eis præbuit sese immunem. Non solebat in eos falcem suam licentiose criticam Lucianus immittere, qui polytheismum & superstitiones abhorrebant, &, a nugis Philosophorum, crumenis inhiantium, sejuncti, fortitudinem, justitiam, sapientiam ac temperantiam cordi habebant, cultu ipso & ardenti studio expressam. Fortassis publice eos dilaudasset, nisi vitæ amorem prætulisset, & inimicos in se provocare veritus esset, quibus abundabat. *Moses Solanus*

ad

ad vocabulum προστάτης offendit frustra. Id certe ea ætate erat admodum usu tritum, & Antistitem denotabat summum. Lucianus induxit Diogenem, Alexandro Magno hæc dicentem: *Memini, qualia faciebant Græci, jam tibi imperium suscipienti adulantes & προστάτην αἱρούμενοι καὶ στρατηγὸν ἐπὶ τοὺς βαρβάρους, te eligentes supremum dominum & belli ducem adversum barbaros* (*b*). Idem Lucianus patronos potentissimos, qui ad universa opem ferre possunt, insignivit eodem nomine *prostatarum* (*c*). Talem majoremque prostatam esse Jesum, docemur *Ebr.* VII: 25. licet ibi vocabulum προστάτης haud legatur. Christianos primos Jesum coluisse ut Deum, Joanne suos sic docente, nequidem ausus est negare Julianus Apostata. Narrator, cujus verba repetiit Lucianus, addidit, Christianos eum, quem colant ut Deum, venerari etiam qua hominem, & hunc in Palæstina cruci esse adfixum. Duo mihi heic sese offerunt scopuli. TANAQUIL. FABER sibi persuasit, ante verba τὸν μέγαν γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσι ἄνθρωπον lacunam in contexto esse. JOA. MATTHIAS GESNERUS, eam ibi deprehendi vel exstare, negat, quærens, an substituendum μάγον vocabulo μέγαν esse, judicaturi sint eruditi. Nihil horum mihi placet.

(*b*) In *Dialogo mortuorum* XIII. *c.* 2. *p.* 391. *To.* I.
(*c*) In *Scytha c.* 10. *p.* 870. *To.* I.

placet. Lacunam animadverti adesse ante verba, ὡς θεὸν αὐτοὶ ἐκεῖνον ἡγοῦντο, eo quod per disciplinam Christianam fieri haud potuit, ut ejus sodales Peregrinum velut Deum colerent, eumque haberent legislatorem & dominum primarium. Narrator enim paullo post tradidit, novam hanc initiandi homines disciplinam seu rationem a magno illo homine, qui in crucem actus sit, fuisse constitutam. Quomodo igitur Peregrinum adpellare potuisset νομοθέτην & προστάτην? Narratori haud alienum esse potuit, Jesum dicere hominem magnum, siquidem ei constitutionem disciplinæ novæ attribuit. Is solum hujus novæ disciplinæ auctorem dicere potuit νομοθέτην, *legislatorem*, more Christianorum, quibus sese adgregaverat Peregrinus. Jesum enim hi adpellabant νομοθέτην: *Jac.* IV: 12. *Legem Christi* ob oculos Christiani habere debebant, amorem mutuum genuinum. *Gal.* VI: 2. Hunc ipsi *habebant legislatorem*, νομοθέτῃ ἐχρῶντο. Ita enim utebantur tunc Græci verbo χρῆσθαι (*d*), nec minus sensu consulendi aliquem (*e*). Hunc ipsi prædicabant herum suæ familiæ, dominum primarium, patronum maximum, προ-

(*d*) Lucianus in *Phalaride priori c.* 2. *p.* 189. *To.* II.

(*e*) HOMERUS *Odyss. A.* 163.

προστάτην. Honos hic nullatenus Peregrino tribui poterat. Ab hoc postea legislator Christianorum adparet plane diversus. Et hæc est ratio, cur, ante hæc nomina, ante ὡς θεὸν, —— lacunam in contexto statuendam esse, existimem. Quo facto Jesus sine hæsitatione dici potuit a narratore magnus homo. Qui vero narratoris verba Luciano adscripsere, eumque ironice hæc enuntiasse crediderunt, prolapsi sunt in conjecturam aut opinionem, Lucianum hoc loco blasphemias in Jesum protulisse, legendumque heic esse, licet codex nullus adsentiatur, μάγον loco vocabuli μέγαν. SUIDAM ita rationes suas putasse, nullus plane dubito. At hic de vita Luciani parum norat certa & extra errorem sita. Collocavit enim eum in Trajani tempus, tribuit ei cognomentum *blasphemi aut athei*; putatque, ipsum in vita Peregrini Christianismum & Christum contumeliis polluisse, ac in poenam interiisse, a canibus discerptum. BOURDELOTIUS (ee) merito de his sic judicavit: *Quæ mendacia blateravit*? Acerbiora in Lucianum judicia potissime nota sunt ex Scholiaste, Luciani manibus temere insultante, ad *Vitam Peregrini* §. 13, & ex eo, quod librum *Philopatris* dictum, Luciano nostro Samosateno quidam tri-

(ee) In *Vita Luciani* apud JOANNEM ALBERTUM FABRICIUM in *Biblioth. gr. Vol. IV. p.* 485. f.

ribuerunt. Scholiasten vero incautum, maque judicantem fefellit pietas ipsius; & ber Philopatris, est junioris Luciani (*f*) oetus. Corruunt itaque frivolæ hactenus n Lucianum excogitatæ accusationes.

§. 10.

Lucianus narrata sibi ab alio continuavit, obisque confirmationem disciplinæ primorum temporum Christianæ impertiit eadem, quæ ad testimonia Christianorum scriptorum jusdem ætatis quadrat. Inire eorum numerum libet, non vituperato, qui illa nobis dservavit, Luciano.

1. Præses Syriæ in vincula conjici jussit Peregrinum seu Protea, qui in coetu Christianorum agebat Prophetam, θιασάρχην, seu conventus principem & convocatorem. Tradidit hæc narratori Peregrinus, ad speciem veri attemperata, addens, se ἐπὶ τούτῳ, ob hoc criminis simulacrum in carcerem esse conjectum. Erant enim adhuc Origenis ætate in coetibus Christianorum Prophetæ, licet rariores (†). Erant in eis semper Antistites & ministri non

unius

(*f*) De eo Fabricius l. c. p. 488.

(†) Journal Britannique 1750. Juillet p. 327. s.

unius ordinis. In hos solebant Præsides provinciarum statuere plerumque poenas, rati, eis amotis Christianos disciplinam suam deserturos. Ex Mecænatis consilio, ad Octavianum relato, origines hujus consuetudinis judicialis videntur fluxisse. Nostrum jam non est, inquirere an Proteus is hæc ex vero dixerit, an ob crimen patri suo inustum in carcerem & vincula sit ductus? Adjunxit narrator mentionem de maximo gloriæ studio, quod Peregrinum obsederat, sic monens, illum fortassis, ob vitium illud retulisse, Christianorum auxilia captantem, Christianis hæc, non alia sibi ignominiosa. Solebant Christiani Neophytos diu probare, antequam eis munia sacra crederent 1 *Tim.* III: 6. 10.

2. Christiani, sodalem miserati, eum eripere vinculis studuere, memores præcepti, quod ipsis erat curæ cordique. *Ebr.* XIII: 3.

3. Ministeria in usum captivi obierunt sodales, præcipue prima jam luce ventitantes vetulæ, viduæ & pupilli, periculis sese offerentes, fortitudinis & amicitiæ exempla. Viduæ illæ videntur fuisse diaconissæ, ob 1 *Tim* V: 9, 10. & ob consuetudinem ecclesiasticam primi ævi, quam edisseruit JOSEPHUS

BING-

BINGHAMUS in *Antiquitatibus ecclesiasticis. L. II, c.* 22. Vetulæ reliquæ erant inter primos Christianos, quæ viduæ ecclesiasticæ adpellabantur. Harum æque erat, sodalibus in carcere detentis ministrare. 1 *Tim.* V: 10. Utrarumque erat, ægrotis, adflictis & in custodia morantibus ministrare, martyribus confessoribusque. Cur vero vetulæ orphanos secum ad Protea carceri mancipatum duxerint comites, ex scriptis primorum Patrum ac Conciliorum nondum potui comperire.

4. Meminit porro narrator Christianorum τῶν ἐν τέλει (*), opibus & honore eximiorum ac abundantium, qui per data custodibus dona in carcerem immissi, cum Peregrino, præmissis indubie verbis sacris, dormierint. Fatetur itaque cum *Plinio*, Christianos coetus ex ordine vario sexuque non uno, & ætate omni coaluisse. Feminas ab hac societate arcuerat disciplina Christianorum.

5. Meminit deinde illata a Christianis δεῖπνα ποικίλα, quæ vulgo per convivia omnis generis & coenas dubias solent ex-

(*) Eodem sensu hæc honoratiorum designatio occurrit apud PAUSANIAM in *Vita Aristomenis* IV, 22. p. 333.

exponi, ut ægre fiat Luciano, præeuntibus *Baronio* & *Mose Solano*. At δεῖπνον nude positum ei significatui aut interpretationi haud favet. Alia coena adpellatur a Luciano δεῖπνον σφόδρα λιτὸν, *coena admodum tenuis* (*ff*), alia πολυτελὲς, *sumtuosa* (*g*) & ἐντελὲς, *perfecta*, *numeris omnibus absoluta* (*h*). In carcerem intulerunt ad captivum nunc hos, nunc illos cibos, adferentes unusquisque aliquid, quod una consumerent. Agapæ designantur, a Christianis tunc nondum extra usum positæ. Coena collatitiæ, variis variorum Christianorum symbolis cibariis constantes, indicantur, quibuscum lectio librorum diviniorum fuit conjuncta, & a quibus abfuit suspicio luxus universa. Solebat præmitti Agapis communio seu Coena sacra, ad cujus instruendum usum ei, qui conveniebant, separatim sua ad eam necessaria solebant conferre, e quibus post eam coenam superstitibus agapæ fiebant. Divites adferebant cibos; pauperes tamen, & qui nihil habebant, etiam vocabantur ad illud convivium tenue, & omnes communiter

(*ff*) In *Lucio* c. 3. p. 573. *To.* II.
(*g*) *Quomodo historia conscribenda sit* c. 28. p. 34.
(*h*) In *Convivio* c. 38. p. 444. *To.* III.

ter eo vesci erant soliti. Fusius hæc exposuit BINGHAMUS *Ant. Ecclesiast.* XV: 17. §. 6. (*i*).

6. Narrator pergit ita, cum coenis collatitiis hæc connectens: *Et libri eorum sacri recitabantur*, ϗ λόγοι αὐτῶν ἐλέγοντο. Ad luxum convivalem hæc prorsus non quadrant. Et quis eum in carcere inter homines, casum sodalis tristiorem miserantes, quæret vel suspicabitur? λόγοι sunt scripta, præcipue historica, ut Interpretes ad *Act.* I: 1. demonstrant. Nam defuncti Agapis Christiani sacra ad scripta redibant, & subjungebant ante discessum preces (*k*). Narrator nil calumniæ admiscet mentioni de Agapis factæ, licet inimici Christianorum eas infamarent passim (*l*).

7. Narrator hæc addit statim: *Et optimus Peregrinus novus ab illis*, Christianis, *dicebatur Socrates*. Omittitur ratio, cur ei id nominis impartiverint? Nihil tamen criminis inest huic actioni. Quis enim ignorat Socratis & Platonis sententiam de immortalitate animarum post mortem corporum (*ll*) & de mercede futura?

(*i*) *Vol.* VI. *p.* 534. f. *Halæ* 1727. 4.

(*k*) TERTULLIANUS *Apol.* c. 39.

(*l*) BINGHAMUS §. 10. *p.* 519. f.

(*ll*) PAUSANIAS IV, 32. *p.* 360. *Lips.* 1696. *fol.*

futura? JUSTINUS MARTYR, aliique tunc Christiani, quorum doctrinæ celebrantur, Socratem & Platonem magni faciebant. Narrator hæc ex Peregrini, ambitiosissimi hominis, narratione acceperat scripseratque.

8. Fama de Peregrino, intra Syriam jussu Præsidis in carcerem conjecto, confinem ad Asiam Minorem & ad Christianos in hac obvios perlata fuit. Hi igitur ἀπὸ τῦ κοινῦ, *ex communi sua sodalitate*, nonnullos miserunt, qui Peregrino opem ferrent, verba pro eo facerent, & eum consolarentur. Addit narrator: *Christiani mira utuntur celerique alacritate, si quid ejusmodi publice contingat. Ut paucis dicam, nulli rei parcunt.* Hæc ille. Magnifica de mutua Christianorum caritate prædicatio! Hæc caritas Juliano Apostatæ tanti etiam fuit habita, ut eam Antistitibus religionis suæ imitandam proponeret.

9. Adlati sunt per eos aliosque Christianos numi non pauci ad Peregrinum, carcere detentum, nec exiguum hic ex eo caritatis fructu habuit reditum. Christiani enim Asiatici noluerunt Christianos carceri illi vicinos ferre solos ea, quæ necessitatibus captivi sublevandis erant necessaria, subsidia & adjumenta. En cari-

caritatem culpæ expertem, & spei immortalitatis animarum innixam! Tum vero narrator hæc addit:

10. *Persuaserunt enim sibi* οἱ κακοδαίμονες *ad unum omnes, se futuros esse immortales & perpetuo victuros.* En mirandum doctrinæ de animarum immortalitate & resurrectione corporum perpetuo victurorum illustris & præclaræ fructum, dummodo doctrina illa animis continuo sit præsto ac viva. Qui huic vitæ, quam nunc degimus, ita sunt adfixi & addicti, ut alteram negent vel ad eam sese non componant, sibi consulere sibique nati esse volunt, caritatis mutuæ exsortes ejusque purioris. Narrator vitam ultra hanc nos victuros esse aliam, videtur negasse, si eos putavit esse miseros, qui ad futuram anhelant. Nolim tamen id pro certo reputare, eo quod Lucianus eos adpellavit κακοδαίμονας, qui non intellexerint in tempore, se ab eis, qui amicos sese simulaverint, exhaustos & deceptos esse (m). A probro igitur nomen illud abest.

11. Narrator significat, Christianos contemnere mortem, eorumque multos, ob illam de vita æterna persuasionem, necem

(m) In Timone c. 8. p. 114. To. I. c. 14. p. 124.

cem, quam effugere nequeant vel nolint, haud reluctantes subire. Notissima cuicunque haec sunt.

12. Narrator pergit, hæc memorans: *Legislator ille persuasit ipsis* (Christianis) *primus, ipsos invicem fratres esse. Postquam semel* ad eum a Diis Deorumque cultu religioso *transgressi, græcos Deos abnegaverint, adoraverint vero illum cruci adfixum suum Sophistam, tunc ad leges ejus vitam componunt*, βιῶσι. Legislator ille est Jesus, nam ipse adsectatores suos jussit se invicem fraterno ardere amore. *Matth.* XXIII: 8. *Jo.* XV: 12. 17. Primi Christiani id præceptum cordi habuerunt. *Act.* II: 42. XI: 29. XV: 23. XX: 32. XXI: 4. XXII: 1. XXIII: 1. Paulo fuisse morem Christianos adpellandi fratres, norunt universi. Nihilominus in hac narratoris narratione sunt causæ duæ, quæ crimini dantur Luciano. *Moses Solanus & Tanaquil Faber* in eorum numero sunt præcipui, qui Lucianum hoc loco reprehenderunt. Prior existimat, narratorem vel etiam Lucianum, quis ille fuerit legislator, nescivisse. Posterior contendit, Lucianum discrevisse legislatorem a Jesu cruci adfixo. Priori videtur Jesus ob nomen *Sophistæ* in invidiam adductus esse.

Pri-

Primam calumniam duco repelli per interpunctionem recte adhibitam ante ἐπειδάν, *postquam.* JO. FR. REITZIUS eam secutus est in interpretatione latina, at male duntaxat commate usus est in græco. Narrator incipit per ἐπειδὰν indicare modum, quo Christiani doctrinam Jesu suscipere & initiari solebant. Initiatio hæc fiebat per transitum a polytheismo, qui a narratore indicatur per παραβαίνειν *transire*, *transgredi*, verbum utriusque significatus: per abnegationem Deorum græcorum: per adorationem (*) Jesu, in crucem suffixi. Spectant hæc ad abrenuntiationem & professionem, baptismo præmitti solitam, quæ actio tribus constabat requisitis, ipsa abrenuntiatione diabolo ejusque operibus opposita, professione fidei secundum verba Symboli cujusdam recepti, & stipulatione, modo baptizandum se Christo fore fidelem, & vitam ad ejus præscripta compositurum (*n*). Per stipulationem hanc candidati susceperunt Jesum qua doctorem suum, Dei & Mariæ filium, eumque adorare coeperunt.

(*) Christus, omnium Deus, fuit invocatus, teste EUSEBIO *Hist. Eccl.* VIII: 11.

(*n*) BINGHAMI *Antiquit. Eccles.* XI: 1. seu *Vol. IV.* p. 362.

runt. Miror, quod de baptismo hisce subjuncto nil adjectum fuit distincte. Sed baptizatio ipsa comprehenditur in conformatione vitæ ad leges Jesu. Præcepto enim Jesu nititur Christianorum baptismus. *Jo.* I: 33. *Matth.* XXVIII: 19. Si punctum posueris ante *postquam*, non potes non ad apodosin periodi animum adtendere. Hæc vero haud alio in loco poni potest ac in illis verbis, καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνου νόμους βιῶσι, *tunc secundum leges ejus vivunt*, reliquaque expediunt. Quoties καὶ interpretandum est per *etiam*, & per notam exordii apodoseos? Si Christianos narrator dixit ex legibus Jesu vivere, causam non video, cur dubitandum sit, narratorem per legislatorem Christianorum primum designasse Jesum. Fodicat tandem *Mosen Solanum* id, quod narrator significavit, novitios Christianæ religionis candidatos *transiisse*, παραβάντες, & græcos Deos abnegasse. Effervescit hic *Moses*, ita indignans: *Quid facias homini sibi tam turpiter obloquenti? En tibi Lucianum illum, tam acrem Deorum suorum in omnibus opusculis insectatorem, nunc sub nescio cujus persona Christianos in invidiam summam idem ob factum adducentem.* Nil ejusmodi exsculpere queo ex narratoris, cujus verba

verba repetiit Lucianus, expositione. Nullus enim Christianorum negavit, se unicum venerari Deum, nec reliquos nationum avitos colere Deos. Quidni exprομeret narrator, immo ipse Lucianus, ea, quæ erant vera & Christianorum confessioni congrua? Nisi *Moses Solanus* in Lucianum animo fuisset parum æquo, crimini hoc ei non vertisset, quod Jesum adpellavit cum narratore adfixum cruci & Sophistam. Persuaserat sibi iste *Moses*, Lucianum hoc ipso indicaturum fuisse injurias in Jesum, ratus, indicare illum voluisse Jesum, *qua maleficum* in crucem suffixum, & persuasoriis artibus, *qua oratorem*, instructum usumque Sophistam. At quis sacramento contendet, in scriptis Luciani Sophistam ubique esse oratorem, qui alios homines delinire & inescare artibus eloquentiæ atque in partes suas pertrahere solet? Lucianus certe Anaxagoram adpellavit Sophistam, id est, Philosophiæ doctorem, docentem (*o*), nos, homines, nuspiam esse Deos. Eum, qui obsoniorum magister est optimus ac peritissimus & *voluptatis conciliator*, vocavit Lucianus σοφιστὴν ἡδυπαθείας (*p*). Quid

(*o*) In *Timone* c. 10. p. 119. To. I.
(*p*) In *Vitarum auctione* c. 12. p. 558. To. I.

Quid opus est copiosori argumentorum communicatione, ut lectores intelligant, haud inesse nomini *Sophistæ* contumeliam, in Jesum conjectam?

13. Narrator ad finem professionis seu simulationis Peregrini progreditur, qua inter Christianos ipse versatus ac in carcere sublevatus est. De Christianis tamen ætatis suæ hæc subjicit, quod ipsi in vita sua, omnibus reliquis rebus æque contemtis, omnia sua putarint communia, id est, in usum communem, si necessum sit, concesserint. Qui κοινὰ interpretati sunt per *vana & futilia*, compagem narrationis & narratoris scopum neglexerunt. Autor enim in eo est, ut, unde per Christianos Peregrinus rebus suis, antea, pauperculus, consuluerit, lectorem doceat. *Non* alucinatus est in eo, quod Christiani ob unius vel alterius inopiam & indigentiam, præcipue martyrum & confessorum in carcere detentorum, tantum æris convasarint, quoad ejus fieri poterat & necessitas postulabat, quantum facultates eorum patiebantur. (*q*) Communionem bonorum cujusque universorum certe Christiani genuini nec inculcarunt

(*q*) *Act.* II: 45. 46. Conf. IV. 37. V. 4. 1 *Cor.* XVI: 2. 3. 2 *Cor.* VIII: 4. 12. IX: 8.

runt nec exercuerunt. Succrevit, tamen inter Christianos suboles hominum, quædam, qui, ut mundo se prorsus renuntiasse viderentur, omnigenam bonorum communionem laudarunt & adsectati sunt. Nomen ipsis inditum fuit *Apotacticorum* & *Apostolicorum*, quibus tandem gemina docuerunt *Eustathiani* (r). *Encratitæ*, qui jam sæculo Luciani exstiterant (s), idem amplexi erant institutum. Si narratorem citra restrictionem verborum ejus sequimur, Peregrinus in coetum Encratitarum incidit. Narrator enim Luciano hæc tradidit de Christianis, inter quos Peregrinus aliquamdiu hæsit: *Omnia æque despicantur & communia existimant. Sine ullo accurato idoneoque argumento talia receperunt.* Sic recte judicatum. Addidit vel narrator vel Lucianus isthæc: *Si quis igitur venisset ad illos impostor & callidus homo, & qui nosset rebus uti, subito admodum dives brevi fiebat, homines non satis peritos deridens.* Fluere hæc visa sunt ex judicio proxime præmisso. Si hoc erat justo amplius & ultra veritatis terminos procurrens, enuntiatum quoque inde deriva-

(r) BINGHAMUS *Antiq. Eccles.* XVI. 12. §. 5.
(s) IRENÆUS apud EUSEBIUM H. E. IV, 29. CLEMENS ALEX. *Strom.* *L.* VII. *p.* 549.

rivatum nondum eodem laborat nævo. Exemplum & arrogantia ambitiosissimi Peregrini fons fuit hujus narrationis, viri, quem, opinor, Christiani non diu magni fecerunt, & fortasse, quum ingenium ejus explorassent, segregarunt a communione. Ut ne hoc sentiret quisquam, omisit causam sui a Christianis discessus indicare narratori, persuasurus lectori aut narratori, ex volentibus se potuisse non contra fas ditescere, quippe qui sua reputent pro bonis communibus, in quæ sodalibus singulis sint eadem jura. At hæc tamen æstimabantur ἐξ ἴσης, *ex æqualitate* (*t*). Ingenio suo ambitioso heic abusus est Peregrinus, suæque famæ parum consuluit, si sic de Christianorum misericordia & liberalitate judicavit. Videtur igitur, quandoquidem Peregrinus se cum γόησι & τεχνίταις, *impostoribus*, *arte callida usis*, comparasse credi non potest, narrator vel Lucianus id judicium adjecisse, ut intelligeret lector, qualium artium magister fuerit Peregrinus. Incidet quidem lectori cogitatio, Christianos hoc modo læsos esse, quippe qui simul adpellati sint *idiotæ* & materia *derisionis*; liceat tamen monere, nomini ἰδιώτης nil probri

(*t*) 2 *Cor.* VIII: 13. ἐξ ἰσότητος.

bri inhærere. Idiotæ enim dicebantur homines privati (*u*), litteris non admodum exculti (*x*), vitæ simplici fraudibusque carenti studentes, & arte supersedentes oratoria (*y*), tranquillioris vitæ amici (*z*). THUCYDIDES adpellat cives, muniis publicis non ornatos, *idiotas*, ac a Talmudistis quivis officii publici exsors vocatur הדיוט, *hedioth*, in *Nedarim* V, 5. Paulus ipse se vocavit ἰδιώτην τῷ λόγῳ, 2 *Cor.* XI: 5. vir divinus, qui se noluit ipse, opinor, dehonestare. Videntur tamen Christiani labeculam passi, eo quod simplicitatem eorum dicuntur impostores & artifices fraudum, per illos ditati, eos loco gratiarum actionis dentibus albis deridere. Interpretem latinum, sequor recen-

(*u*) PLUTARCHUS in *Publicola* c. 51. JOSEPHUS *Bell. Jud.* II: 6. *p.* 173. PHILO *de Somniis p.* IIII. B. PLUTARCHUS in *Cæsare.* c. 31.

(*x*) XENOPHON de *Venatione p.* 787. *edit. Basil.* LUCIANUS *de Saltatione c.* 8. *p.* 272. *To.* II. In *Nigrino c.* 24. *p.* 63. *To.* I. *Contempl. c.* 4. *p.* 495.

(*y*) LUCIANUS in *Vitarum auctione c.* 11. *p.* 551. ÆLIANUS *Var. Hist.* IV, 15. XII, 50. LUCIANUS in *Alexandro c.* 30. *p.* 238. *To.* II.

(*z*) LUCIANUS in *Nekyomantia c.* 21. *p.* 485. *To.* I. JOSEPHUS *Bell. Jud.* IV, 10. §. 4. *p.* 308.

centissimum. Ponamus, huic patuisse sensum genuinum, & recordemur exemplorum deceptionis, qua circumventi & emuncti sæpius sunt Christiani a neophytis ecclesiæ Christianæ spuriis. Possem sex ejusmodi exempla Judæorum, ad Christianam & Evangelicorum partes transire visorum, in medium ex historia novissima adferre. Potissimum ex eis est *Caroli Antonii* neophyti exemplum, qui pecunias coëgit ex suscepto Brunsvici baptismo, ex muniis ipsi concreditis, & ex defraudatione varia, quæ ad 8000 vallenses pertinet, & quam ipse discessu clandestino a. 1752. poenis subtraxit. Erat *Lector* linguæ Hebrææ in Academia *Helmstadiensi*, & paullo post *Professor* usque ad annum 1752, quo, desertis liberis & uxore, defraudatis creditoribus, clanculum se subduxit & *Herbipolin* aufugit, ubi formulam religionis mutavit & bibliothecæ Episcopalis curam, cui prorsus impar erat, in se suscepit. Ignorabat scientias, notitiam antiquitatum linguarumque ei studio jungendarum, & historiam tam litterariam, quam civilem & ecclesiasticam. Eapropter eo abdicatus fuit post aliquot annos munere, circumvagatus est per *Poloniam* & *Orientem*, ac

ad

ad *Judaismum* relapsus, & *Batavia* in *Java* Judæis præesse coepit. Quis ad credendum inducet animum, religioni Protestantium vel Protestantibus ipsis per scelus ejusmodi impostoris & fraudulenti artificis inustam fuisse inde ullam probri seu ignominiæ maculam? Si quid tamen judicio meo adsequi valeo, verba Luciani, αὐτίκα μάλα πλούσιος ἐν βραχεῖ ἐγένετο, ἰδιώταις ἀνθρώποις ἐγχανών, sic sunt interpretanda: si ad Christianos aliquis venerit impostor, —— *statim admodum dives existere solet, dum hominibus simplicioribus* & a suspicione fraudum alienis eorumque opibus continuo *inhiavit*. Hunc significatum Lucianus verbo ἐγχάσκειν tribuisse censendus est, aut, si mavis, ἐγχάσκειν hoc auctore est *biare*. En exempla duo. Menippus inducitur sic Empedoclem compellans (*a*): Cum primum celerrime in Græciam devolavero, memor ero, ut libem tibi in fumario & noviluniis ad lunam ter *hians*, ἐγχανὼν προσκυνήσεσθαι, te *adorem*. An qui cultum alicui religiosum præstant, eum albis dentibus deridentʔ Non opinor. Inspiciamus porro alterum Lucia-

(*a*) In *Icaromenippo* c. 13. p. 767. *To.* II.

ciani (*b*) locum, in quo verbum idem sese offert. Monetur ibi is, qui ad coenam primam a viro dignitatis magnæ vocandus erat, ut servulo ipsum invitandi in manum demittat quinque minimum drachmas. Oratio deinde sic profluit: *Ille vero per simulationem recusans initio*, & , *apage*, *inquiens*, *a tene ego* (quicquam sumerem?) &, *me hercle*, *non fiet*; *subjiciens*, *denique persuaderi se patitur*, τέλος ἐπείσθη, καὶ ἕπεταί σοι πλατὺ ἐγχάνων, & *sequitur te*, *lato* ore *bians*. Quis credet, vernas eum albis dentibus derisuros esse, a quo tam bene donati adfectique sunt? Adde quod verbo ἕπεμαι significatus adhæret *succedendi*, *sequendi*, *invadendi*, non abeundi. Verbis ἐγχάνειν & ἐπιχάνειν tantundem denotatur. Lucianus (*c*) hæc hæredipetis opponit: Ὁ μὲν ἔςω ἀθάνατος, οἱ δὲ πρὸ-απίτωσαν αὐτοῦ ἐπιχανόντες, *ille quidem dives*, cujus mortem exspectant avidi hæredipetæ, *esto immortalis*; *illi vero ante eum* e vita *abeant*, *qui frustra illius* divitiis *inbiarunt*. Idem ita hæredipetas compellat (*d*): Ἀλλοτρίοις ἐπιχάνετε, *alienis inbiatis*. Idem eosdem a Jove adpel-

(*b*) *De mercede conductis c.* 14. *p.* 670. *To.* I.
(*c*) V. *Dialogo mortuorum c.* 1. *p.* 354. *To.* I.
(*d*) Ibi *VI*, *c.* 3. *p.* 349.

adpellatos (*e*) fingit ἐπικεχηνότας τῷ χρυσίῳ, *ad auri conspectum biasse rictu diducto*, inhiasse auro. Ecquid multa? Materiam derisionis, opinor, me removisse a Christianis primi ævi, ratus, impostores artibus usos esse ad emungendum illos pecuniis hisque inhiasse. Probrum igitur cecidit in fraudis magistros, Christianorum numis inhiantes. Accipitres pecuniarum omnigenos nemo magis Luciano perhorruit. Tantum abest ut Lucianus Christianorum beneficia voluerit sugillare.

§. II.

Dictum satis esse arbitror de Peregrino, de Christianis primi ævi, & ad vindicias Luciani. Exiit enim Peregrinus e carcere & e Christianorum societate. Causa vero utriusque exitus a Peregrino non videtur accu-

(*e*) In *Timone c.* 18. *p.* 128. *To.* I, Homines *largitionibus inhiantes* Lucianus adpellat πρὸς διανομὰς κεχηνότας, *de Morte Peregrini c:* 15. *p.* 340. eosque, qui testatoris opibus inhiant, adpellat simpliciter Κεχηνότας, in *Timone c.* 21. *p.* 132. eos vero, qui e testamento contra spem suam nil obtinent, μάτην κεχηνότας, *frustra inhiantes. c.* 22. *p.* 135.

accurate significata. De priore exitu hæc narrat Lucianus aliunde accepta, indicans, Peregrinum se ostentasse Philosophiae amatorem, mortisque cupidum; Præsidem Syriæ igitur eum poena indignum judicasse ac e custodia dimisisse. c. 14. De posteriore segregatione & Christianorum ad eum porro alendum reluctatione pauca sunt memoriæ prodita. Videtur, e communione eorum coactus & exclusus, leges eorum, antea jam a sese sepositas, migrasse. Lucianus opinatur, causam segregationis in eo fuisse sitam, quod prohibitos ab ipsis cibos comederit, ἐσθίων τῶν ἀποῤῥήτων αὐτοῖς. c. 16. p. 344. LAMBERTUS BOS respicit ad idolothyta, sanguinem, & suffocatum, a quibus in cibum sumtis primi abstinuerint Christiani. Nil obstat, quo minus ei adstipulemur, dummodo Lucianus vera aperire de hisce potuit. Id vero est memoratu dignum, a Luciano istud Christianorum institutum nec dijudicari nec reprehendi. Si ipse incessendi eos flagrasset cupiditate, hoc in loco ipse sibi a sale non temperasset.

§. 12.

Si Lucianus amore inarsisset cavillandi Christianos eorumque instituta ridendi, occasio ei aptissima subnata fuisset salibus in eos spar-

ſpargendis in *Timone*, in *Dialogis* & in *libello de Sectis* alibique paſſim. Prometheum (*f*) profecto inducit cum Jove colloquentem & ſic de divino homines creandi conſilio diſſerentem, ut, ſi paucula in melius verteris, laudare diſputationem cogare. Egregie Prometheus docet, eos, qui Deorum nomine venire velint, oportere eſſe beneficos, bonorum largitores procul ab invidia remotos. Qui Lucianum Epicureis adſociant, rectius de eo ſentire hinc diſcunt. Mythologiam de Diis Græcorum ſenſu proprio interpretatus eſt Lucianus, eamque mentibus hominum ſanis repugnare, docuit ſolide, licet ſparſim id egerit. Eodem tramite tunc inceſſerunt doctores Chriſtianorum, ac haud ita multo poſt *Minucius Felix*, *Arnobius*, *Lactantius*. Quis hoſce ob ſimile inſtitutum & ob diſputandi modum conſimilem inter Epicureos collocare audebit? Si Lucianus illam mythologiam ex priſci ævi hieroglyphicis & ex hiſtoria vetuſtiſſima cum *Hermanno van der Hardt* eruere auſus eſſet, majorem atque jucundiorem Polytheis præſtitiſſet operam, ita tamen, ut Chriſtianis nocuiſſet eo magis, & eorum contra Polytheismum diſputationes nervis & fide privaſſet. Si in Lucianum ſe infudiſſet Abbatis *Banierii* conatus exponendi mytho-

(*f*) In *Prometheo* c. 12—17.

mythologica per historiam, Lucianus damnasset Christianorum morem contra Polytheismum disputandi, & religionem polytheismo refertam evertendi. Mirum est, Luciano parum gratiæ, ob opem causæ Christianorum in hoc argumento latam, repensum actumque fuisse. An ethnici homines vulgarunt, Christianos eam disputandi methodum e Luciani scriptis mutuatos esse? An Christiani, ut telum hoc repellerent, maluerunt Lucianum minimi æstimare, quam adfinitatem instituti probare? Arbitrentur, qui ratiocinari queunt. Epicurus erat Deorum mythologicorum irrisor (*g*), oraculorum hisce Deis tribui solitorum confutator (*h*) & plurimarum superstitionum hostis (*i*). In hisce Lucianus erat Epicuri simillimus. At non prætermittebat ea, quæ in Epicureis publice notabantur. Nam ipsi dicebantur delicati, γλυκύθυμοι, & voluptatis studiosi, φιλήδονοι. Ipsi dicebantur in Deos esse contumeliosi, Diisque rerum curam humanarum denegare, immo Deis conscientiam & inspectionem eorum, quæ fiunt, adimere. Id ipsum est, quod queritur Jupiter in *Antimenippo* c. 32. Lucianus induxit Epicurum sibi

(*g*) LUCIANUS in *Icaromenippo c.* 32, *p.* 788. f. *To.* II.
(*h*) In *Pseudomante c.* 43. *p.* 249.
(*i*) In *Pseudomante c.* 25. *p.* 233.

sibi persuadentem, vitam convivalem non esse *finem jucundiorem*, ratus, ipsum numquam obtinuisse finem suum (*k*). Idem induxit Epicurum fatentem, aliquid mali esse laborem, & munerum publicorum administrationem esse fugiendam (*l*). Nonne Lucianus Epicurum refellit reipsa, dum sedulo perfunctus est multorum scriptorum elaboratione & publico munere tandem suscepto? Id tamen infitiari nolim, Epicurum a Luciano miris laudibus ornatum fuisse, quas quo minus huc transcribam, nihil est dehortationi vel impedimento. En laudes illas, ex interpretatione (*m*) latina desumtas: *Ignorabat* Alexander, *quantorum bonorum liber ille* capitalis Epicuri *legentibus caussa fiat*, *quantam in illis pacem*, *tranquillitatem*, *libertatem efficiat*, *qui a timoribus & spectris & prodigiis non minus*, *quam spe vana & cupiditatibus haud necessariis animum liberet*; *sed intelligentiam & veritatem inserat & vere mentes purget*, *recta ratione & veritate & libertate*. Benignum hoc judicium Christianos fortasse permovit, ut ipsi inclementius de Luciano senserint, præcipue eo tempore, quo Aristotelicam doctores Christiani Philosophiam, quam Lucianus non

(*k*) *De Parasito* c. 10—12.
(*l*) In *Bis accusato* c. 21, s. *To.* II.
(*m*) In *Pseudomante* c. 47. p. 253. *To.* II.

non fecerat maximi, amplecti, ad minimum reliquis sectis præferre, coeperunt. Epicuri scita singula quis ausit reprehendere? an vero Lucianus laudavit universa?

§. 13.

Admiratione nonnunquam correptus fui, legens ea, quæ Lucianus de civitate, beatos habente cives, differentem induxit Lycinum. Hanc enim civitatem Lucianus ita formatam esse tradidit (*n*), ut eam attente intuens non possis non in ea faciem & adumbrationem ecclesiæ Christianæ primævæ deprehendere, decenter pictam. Dare juvat potissima. Lycinus sic de ea: *Omnes ibi advenæ sunt & peregrini, indigena nemo; sed & barbari, civitatis quippe consortes, in ea versantur multi, & servi & deformes & parvi & pauperes, atque in universum civis est, qui velit* (*o*). *Lex enim illis est, non ex censu adscribi aliquem* (*p*), *neque ex habitu, vel statura, vel pulchritudine, neque ex genere neque claris ex majoribus* (*q*); *sed istorum nullam haberi apud illos rationem: sufficere autem unicuique ad hoc, ut cives fiat, intelligentiam, rerum honestarum cupiditatem, labo-*

(*n*) In *Hermotimo* c. 24, f. p. 760, f. *To.* I.
(*o*) *Matth.* XXII, 9, 10.
(*p*) *Matth.* XI: 5. XV: 30.
(*q*) *Jo.* I: 12, 13. 1 *Cor.* I: 26—29.

laborem, (*) *adsiduitatem* seu constantiam, *postpositam viæ, cui quis se dederit, desertionem* (**), *neque mollitiei amorem denuo delectum* (*r*), *si in multas in tramite difficultates inciderit* (*s*). *Atque adeo, siquis ista in se demonstraverit, emensusque omne ad urbem iter fuerit, is continuo civis est & æquo jure quisquis alioqui fuerit. Illa autem nomina, deterior, melior, nobilis, ignobilis, servus, liber, neque sunt omnino neque adhibentur* (*t*) *in ea civitate.* Fictam & commentitiam esse hanc civitatem, quo minus existimemus, hæc nos impediunt *Lycini* verba c. 24: *Jam alias aliquando senem audivi enarrantem, uti se res illæ haberent; isque me hortatus est, uti ad eam civitatem se sequerer; ipsum enim se præiturum & adscripturum civibus, quum advenissem & tribulem me facturum, & fraternæ societatis suæ mihi jura impertiturum, ut cum omnibus vitam viverem beatam. Ego vero præ juvenili inscitia, quindecim fere anni sunt, non sum obsecutus.* Siquid ego judicando adsequor, videre mihi videor in ejus civitatis descriptione ecclesiam primi ævi Christianam, sectis Philosophorum cunctis anteponi dignam. Lucianus nil ad eam adjecit

(*) 2 *Thess.* III: 8—11.
(**) 1 *Cor.* XVI: 13. *Luc.* XIV: 26. 33. IX: 62.
(*r*) 1 *Cor.* VI: 9.
(*s*) 2 *Tim.* III: 12.
(*t*) *Matth.* XII: 50. *Gal.* III: 28. 1 *Cor.* XII: 13.

adjecit salium vel convitiorum. Numquid igitur Lucianum licet adpellare ecclesiæ Christianæ derisorem & inimicum?

§. 14.

Tantum de Luciano, sæculi secundi Scriptore, sæpissime increpato dirisque omnibus devoto ab eis, qui, librum, *Philopatris* dictum, fuisse illius opus, existimarunt. Sed hic error feliciter a præclaro quondam J. M. GESNERO profligatus est ac eversus in *Dissertatione*, quam supra laudavi. Lucianus ille *prior* ex scriptis foederis prioris nihil decerpsit aut commemoravit. Lucianus vero *posterior* Mosen non ignoravit, cujus quippe scripta Alexandriæ in græcum conversa legit. Ipse Mosen adpellavit βραδύγλωσσον LXX ex *Exod.* IV: 10. ut, prouti prima specie videtur, vati Divino insultaret, ejus narrationem de sextiduana rerum creatione repetiit, adjungens ei aliquid simile ex ARISTOPHANIS *Avibus* v. 696, f. Reprehendendus non est junior Lucianus, quod nos docet, Christianos ætatis suæ Deum triunum adorasse atque nuncupasse jusjurandum per id ipsum Numen; quod candidati professionis Christianæ ab eo dicuntur, renovati per aquam: quod, homines *ex eis, quæ plane non*

erant, ἐξ οὐκ ὄντων (*u*), productos esse primos tradit: quod, Deum curare res humanas, actiones justorum & injustorum pervidere, ac universis die, quam præfiniverit, retributurum esse justis injustisque ea, quæ ad actiones eorum, in hac vita vel commissas vel omissas quadrent, ex dogmatibus Christianorum tradidit. Triephon est, qui Critiam hæc perdocuit, nullis convitiis salibusve amaris adjectis. Auctor dialogi induxit collocutores potissime istos duos. Critiæ dedit negotium commenta de Diis Deabusque, inter Græcos & Latinos doceri ac circumferri solita, repetendi; Triephontem finxit disputatorem adversus polytheismum & superstitiones, polytheismo junctas, vel aliunde pervulgatas. Triephon formulas jurisjurandi per Jovem aliaque nationum Numina improbat & adversatur, contendens, rite jurari per Deum triunum, per

Ὑψιμέδοντα θεὸν, μέγαν, ἀμβρότον, οὐρανίωνα,
Υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον,
Ἓν ἐκ τριῶν κ̔ ἐξ ἑνὸς τρία,
Ταῦτα νόμιζε Ζῆνα, τόνδ᾽ ἡγοῦ Θεόν.

Pa-

(*u*) *Ebr.* XI: 3. ἐκ μὴ φαινομένων. PHILO *de Creatione Princ.* p. 728. Θεὸς τὰ μὴ ὄντα ἐκάλεσεν εἰς τὸ εἶναι. Paulus adpellat Deum καλοῦντα τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. *Rom.* IV: 17.

non ridicula, sed ea, quae religioni Christianae sunt propria: Et, ne videatur sodalem ludificari, *re vera*, testans, promissa constituram esse fidem, serio se agere ostendit. Id tamen lectoribus insigni est offendiculo, quod Triephon (1) Christianos more Celsi, & Juliani Apostatae videtur Galilaeos adpellasse, (2) Pauli caput, risum excitaturus, mirabili describit ratione, vel potius alius cujusdam doctoris memoriam recolit: & quod (3) Pauli ecstasin, qua ipse in coelum tertium evectus esse sibi videbatur, verbo ARISTOPHANIS ex *Nub.* 225 usus (y), derisisse videtur. Quo minus tamen sic sententiam, ut derisioni Triephontem heic indulsisse arbitrer, id potissime me impedit, quod cum homine, Christianam doctrinam horrente ac penitus aversante, qui non poterat quin solita & ethnicis consueta convicia in eam conjiceret, ipsi res & colloquium erat. Videtur igitur mihi Triephon repetiisse ea, quae inimicis crucis Christi erant in ore & amore. Critias certe inducitur sic loqui, ut formulis illis derisoriis delectatus sit. En ejus (z) verba: *Unum de Pancia verbum nequidem addere voles, quamvis forte cum illo magistro tuo in coelum raptus arcanisque initiatus.*

(y) Ἀεροβατῶ. Haec cavillis Critiae tribue c. 25. p. 614.

(z) c. 14. p. 600.

initiatus esses, εἰ καὶ τάχα πεδάρσιος ἐγεγόνεις μετὰ τοῦ διδασκάλου καὶ τὰ ἀπόῤῥητα ἐμυήθης. Dehinc Triephon fundamenta fatorum, a Jove quæ dicebantur constituta, subruit, serio disputans. Quum vero Critias eum mox interrogaret, an res Scytharum in coelo etiam describantur; respondet Triephon: *Omnes* utique res, *si modo bonum esse aliquem inter gentes contingat*, εἰ τύχοι γε χρηστὸς καὶ ἐν ἔθνεσι. De libro vitæ coelesti erat sermo. Nonne ἔθνη sunt homines, extra formam ecclesiæ Christianæ externam viventes? *Moses Solanus* adnotationem huic loco isthanc adjecit (*a*): *Vel hinc manifesto Christianum arguere licet.* Amabo te, lector, an scriptor Dialogi, si fuit Christianus, & reliquos homines adpellavit ἔθνη, more Christianorum, potuit deliberato animo Jesum, Apostolos & ecclesiæ Christianæ doctores, vocare Galilæos? An, si ea imbutus erat mente, voluit deridere Paulum & Mosen? An potius ea in sinum Critiæ refudit, quæ hic ex consuetudine empæctarum ethnicorum repetierat? Triephon summam doctrinæ Christianæ nec improbat nec dicteriis onerat, nec refutationem contra eam molitus est, licet fulcra ethnicæ theologiæ iverit eversum. Docent id ipsum hæc, a Triephone in Critiam c. 17. evibrata: *Noli quid in sapientem*

&

(*a*) c. 17. p. 602. ἔθνεσι.

& genuinum Deum dicere petulantius; sed tamquam Catechumenus mihi ausculta, dummodo vivere æternum cupis. —— Deus, qui omnia fecit, omnia facile percurrit, omnesque omnium actiones & cogitationes. Tui enim Dii cottabus (deridiculo sapientioribus) *illis, qui rectum sapiunt, facti sunt.* Nullam heic materiem dissimulationis falsæ mihi deprehendere licet. Ut verbo dicam; non cadit in eum suspicio irrisionis in religionem Christianam directæ, qui serio errores ei oppositos & protervíam illi contrariam aversatur & retundit: qui fundamenta doctrinæ Jesu exponit, Deumque prædicat creatorem, omnium inspectorem actionumque omnium humanarum judicem, ac sempiternam piorum vitam, a remuneratore Deo tandem eventuram eis, qui recta sapiant & in hac vita sint χρηστοὶ, *boni.* Si quid igitur judicio meo aliquid adsequi possum, Critiæ & hujus similium formulas repetit, ut ostendat, quam inepte hæ ad præclarissimas doctrinas congruant, quas sequantur Christiani. Repetit nomen Galilæi, quo empæctæ Jesum excipiebant. Repetit formam capitis, quam eidem tribuebant Paulo, in deterius ab eisdem conversam, decerptam tamen ex Christianorum de Paulo narratione (*b*), & ex ipsis Episcoporum

(*b*) *Acta Theclæ in Spicilegio Grabii To.*I. *p.*95.120.334.

rum Romanorum bullis quodammodo elucentem. An Galilæus ille, an recalvaster hic in Triephontem inciderat, Christianos omnes baptizaverat, renovaverat, in vestigia beatorum transtulerat? Erroribus hæc sunt obfuscata & ne quidem Catechumeno seu candidato religionis Christianæ tribuenda. Triephon igitur hæc ex dicteriis & nugis empæctarum repetiit, quippe insulsa & incondita, indicaturus: quanta eis insit, & inde diluceat vanitas. Quis enim æstimat doctrinæ veritatem vel falsitatem ex patria magistri? Quis metitur virtutem & veritatem forma & figura capitis senilis, quo magister disciplinæ fuit insignis?

§. 15.

Critias tandem inducitur Triephontem vellicare & vexatum ire per mentionem prædictionum, quibus Christiani videbantur imperio Romano fata infesta præfiniisse & ominati esse (*c*). Quid ad hæc Triephon? An infitiatur, id umquam evenisse? An dat illud & concedit, simulque in Christianos invehitur, hisque diras vel derisiones duras infigit? Nil prorsus horum omnium molitur. Quum Critias ad illa pervenisset, *Vos, Christiani, pessime patriæ precamini!* Triephon respon-

(*c*) c. 25, 26.

respondet: *Quin tace, Critia, neque nugas extende amplius. —— Hos sermones omitte, precationemque a patre incipiens & cantum multa nomina habentem,* πολυώνυμον ᾠδήν. *ad finem superadde.* Remittit Critiam ad orationem Domini, in qua precantes ad Deum hæc emittunt, *Libera nos a malo.* An per carmen polyonymum designetur doxologia orationis Dominicæ vel alia quædam, definire haud ausim. Doxologia certe non est carmen. Triephon orationem deflectit ad Cleolaum advenientem. Critias tamen denuo Triephontem pertentat, resciturus, an hic vitæ Imperatoris imperioque Romano bene cupiat (*d*). Respondet Triephon: *Et ego, Critia, hæc relinquo liberis, ut videant Babylona perditam, Aegyptum sub jugum redactam, Persarum liberos servilem ætatem degentes, excursiones Scytharum repressas, utinam omnino præcisas! Nos vero ignotum Athenis Deum, a nobis inventum, adorantes, manibus in coelum sublatis eidem gratias agemus, tamquam digni existimati, qui tam excellenti subjecti essemus potestati. Reliquos autem nugari sinamus.* Et ita paullo post adparet Dialogi finis. Si quid ego video, Triephon refellit calumniam, Christianis impingi solitam. Hi enim dicebantur male precari Imperatoribus & imperio Romano tum

(*d*) c. 28. p. 617.

tum prece religiosa, tum præsagiis & elicitis jejunio prædictionibus. Triephon non ingreditur illius evolutionem quæstionis, an Christianorum nonnulli præsagiis ejusmodi indulserint vel obtinendis vel disseminandis. Evitat Critiæ ictus tum quærendo, tum fausta quævis Imperatori & terris ei subditis adprecando. Critias hæc ad Triephontem, de Christianis narrans nonnihil, aspere satis locutus inducitur c. 25.: *Ista in vos ipsos vestraque capita expetent, qui patriæ vestræ adeo male ominamini Neque enim* αἰθεροβατήσαντες *conscenso æthere ista audivistis, nec male sedulam Mathematicorum artem edidicistis.* Pungit Critias Pauli ecstasin, quæ legitur 2 *Cor.* XII: 2. 4., doctrinam de Trinitate rodit, ac paullo post Christianis vaticinia & γοητείας, imposturarum artes, tribuit. Quid ad hæc Triephon? Triephon data opera obscuriuscule dicitur hæc respondisse: *Quid vero ad ista, o pulcher Critia, detonsis mentibus animisque homines?* Hos adpellat κεκαρμένους τὴν γνώμην καὶ τὴν διάνοιαν spoliatos deceptosve mentem & intellectum, & interrogat, quid isti ad Critiæ graviora responderint monita. Vocaverat vero Critias eos stupiditatis plenos & muliebribus næniis deditos. Noluit Triephon recta respondere; utitur potius specie quadam adsensionis, ad Critiæ mentem attemperata. Critias transit dehinc ad novum

novum contemtionis argumentum, indicans, Chriſtianos jejunare crebro noctesque pervigiles cantibus ducere, ac, ſic compoſitos, prædictiones proferre, in quibus ſint imprecationes adverſus patriam. Triephon nil cavillorum, reſpondens ad priora & poſteriora, immiſcet. Ad priora nihil præter hoc: *Tu vero quid ad illa* de effectu jejuniorum & cantuum *dicebas? Magnum enim quiddam dixerunt & διηπορημένον, quod multam habet quæſtionem*, necdum ſatis eſt illuſtratum. Non repudiat, non contemnit, non deridet illa jejunia illosque cantus & prædictiones, potius ſignificans, argumentum id nondum ad liquidum eſſe perductum. Ad poſteriora nil præter hæc regerit: *Tace neque nugas* (tuas) *extende amplius.* —— *Hoc igitur omitte, precationem* (εὐχὴν) *a Patre incipiens.* In hac eniteſcunt illa verba: *Remitte nobis debita noſtra, ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Si Critias has preces meditabundus dixiſſet, is non potuiſſet non animadvertere, Chriſtianos nemini non delictorum gratiam facere, & omnibus a malo liberationem adprecari, ideoque Imperatori patriæque ac ejus ſaluti haud imprecari mala. Nec dubito, quin ex hoc fonte manaverit Dialogi inſcriptio, *Philopatridis* præferens nomen, prædicabile & illuſtre monimentum. Sin vero hæc tibi, lector, non ſatisfaciunt nec

adrident, memineris quæso, Dialogum Luciani Operibus haud esse adnumerandum. Memento præterea, Christianos tunc agnovisse illud Joannis pronuntiatum 1 *Jo.* V: 7. quo Unum ex tribus, & in Uno tria esse, docemur. Miror, quod superciliosi Critici nunc id pronuntiatum rejiciunt, caussa sua malesana confisi.

§. 16.

Unus adhuc occupare & fodicare potest scrupulus lectorem. Lucianus indicit, Ionem quemdam (*e*), hæc commemorantem: *Libens interrogaverim te, quid de hisce dicas* sentiasque; *qui dæmoniacos liberant terroribus, aperte adeo ipsa quoque* Φάσματα *excantantes? Et hæc me dicere nihil opus est: Sed norunt omnes Syrum illum e Palæstina, talium curationum*, ἐπὶ τούτων, *Sophistam. Quot ille traditos sibi, cadentes ad Lunam, distorquentes oculos, spuma os repletum habentes. tamen suscitat & sanos dimittit, magna mercede liberatos. Quum enim adstat jacentibus & interrogat, unde intraverint* (*f*) *in corpus? Ipse quidem tacet ægrotus; respondet vero græce vel barbare Dæmon, tum unde sit, tum quomodo & unde venerit*

(*e*) In *Philopseude c.* 16. *p.* 43, 44. *To.* III.
(*f*) Videtur excidisse δαιμόνιον aut φάσμα, aut ὁ δαίμων, quod paullo post se offert.

nerit in hominem, Tunc ipse adjurationibus urget, &, si non pareat, minis dæmonem expellit. Atque ego vidi etiam exeuntem nigro colore & fumoso. Hæc Ion, qui vixit Luciani ætate, & ab hoc mirum in modum laudibus ornatus est (*g*). Tribuit Lucianus eidem τὴν ὀρθότητα τῆς γνώμης, *rectam mentem*, & in loco priori magistrum sectæ Platonicæ adpellat. An hic Ion viderat Jesum? an conspecti ab eo erant Apostoli? Dæmoniacos fuisse id temporis, nolim negare. Christianis nonnullis fuisse charismata extraordinaria, qui misere ægrotantes potuerunt sanitati restituere, novimus ex 1 *Cor.* XII: 9. 28. Dæmones nonnihil præscire aliisque præsagia de rebus sibi cognitis impartiri atque expelli sic posse, ut pereat in homine vis illa præsagiendi, compertum habemus ex *Act.* XVI: 16. 18. Novimus præterea ex JOSEPHO (*h*), fuisse in Palæstina Dæmoniacos. Evangelistæ plura hujus hominum generis exempla exhibent. Frustra sunt, qui eos convertunt in homines desperatum in modum ægrotantes, dæmonibus exclusis. Erant enim Judæi quidam per Asiam Minorem vagantes, qui exorcismis per nomen Jesu interpositum ad dæmonas ex obsessis expel-

(*g*) In *Symposio c.* 7. *p.* 423. *To.* III.
(*h*) De *Bello Jud.* VII: 6. *p.* 417.

pellendos utebantur. *Act.* XVI: 13. De Christianis Ion non differit. Horum enim exorcistæ mercedem nullam exspectabant, nullam pro exorcismi usu recipiebant. In criminationibus adversus Christianos disseminatis nihil fit mentionis de ejusmodi fostro seu mercede. Arte simul quadam adhibita Syrus ille exorcista videtur usus, dum dæmon expulsus conspiciebatur, colorem fumosum sibi & adstantibus circumfundens. Ponamus tamen, Ionem instar hujus rei aliquod vidisse, tunc nondum videtur res ipsa inter ἀδύνατα rejicienda. Lucianus ad omnem narrationem Ionis nihil respondet, nihil deridet. Ad colorem illum egredientis ex obsesso dæmonis hoc duntaxat subjicit judicium: *Non erat magnum, talia te videre, Ion, cui ipsæ etiam ideæ adpareant, quas Plato, pater vester, ostendit, obscurum esse & evanidum spectaculum*, ἀμαυρόν τι θέαμα. Flexurus alio orationem Lucianus hæc adjecit. Ad rem ipsam sic nihil dixit. Ideæ enim extrinsecus nobis non adparent. Ion vero de rebus sibi extrinsecus visis sermocinabatur. Occasio, si qua alia, tunc sese obtulit Luciano inquirendi in rerum, quas Ion memoraverat, veritatem. Poterat quærere ex Ione, an curationes istæ fuerint per medicinam & adjuncta apta artificia, an per miracula, per-

actæ.

actæ. Poterat progredi ad sciscitandum, quid de dæmonibus morbos excitantibus Ion sentiat. Poterat ansam colloquenti præbere de miraculis Jesu & de eis, quæ per Christianos Jesus patraverat, operibus mirificis exponendi. Poterat, si Christianæ religioni prorsus adversabatur, delabi ad derisiones in eam tentandas. At nihil eorum tentavit. Cur vero id, quod Ion narravit, Luciano adsignabimus? Ionem, qui tunc in vivis erat, Lucianus ea induxit loquentem, quæ illi ejusque opinionibus erant apta & accommodata. Narratio, quam Lucianus Ioni tribuit; ad res sæculi secundi, vergentis ad finem, spectat, nec ad ætatem Apostolicam trahi potest. De reliquo hinc intelligimus, sæculi secundi hominibus ignotos haud fuisse dæmoniacos, quorum nonnulli simul fuerint epileptici, qui ad certa lunæ adparentis tempora cum malo suo conflictati sint. Ex indole ævi illius consuetudo propagata est in libellos exorcisticos, notandi ægrotos, qui morbo comitiali divexebantur *in punctis lunæ vel crescentis vel decrescentis*. De Lunaticis hisce, adjuratione curandis, ex moribus ecclesiæ suæ exposuit PAULUS MARIA CARDI *in Ritualis Romani Documentis, de Exorcisandis obsessis a dæmonio p.* 13.

§. 17.

Incidi in sententiam, quam cum lectore communicabo. Non videtur mihi magister ille Syrus e Palæstina dæmonas ex epilepticis, mercede multa accepta, ejecisse, licet interpretatione latina sic persuadeamur. Lucianus Ionem sic loquentem induxit: *Magister eos, qui morbo caduco correpti erant*, ἀνίστησι καὶ ἀποπέμπει ἀρτίους ἐπὶ μισθῷ μεγάλῳ ἀπαλλάξας τῶν δεινῶν, *erigit in statum rectum & dimittit penitus* a morbo *liberos. dum proposita magna mercede eos a malis reddit alienos.* Non significatur, a quonam magister ille mercedem magnam obtinuerit aut sperarit. Præpositio ἐπὶ, ablativo juncta casui, significat *sub*, *super*, respicitque simul ad quemdam modulum. In medium proferenda sunt exempla, quibus id ipsum confirmetur. Luciani est hoc (*i*): Αὖθις ἑλόμενοι διαιτητὴν, ἄλλους ἐπ' ἐκείνῳ εἴπωμεν φίλους, *rursus electo arbitro, alios amicos sub* illo seu *ad illius convenientiam statuamus*. Idem id, quod dicimus fieri *ea lege, conditione*, significavit per ἐπὶ τούτοις, in *Dialogo Deorum* XX: c. 16. *p*. 267. XENOPHONTIS hoc est in *Memorabilibus Socratis* II: 8. §. 2. Μισθοῦ ἐργάζεσθαι, *mercede proposita opus facere.* Subest modulus, ad quem respicit, qui opus facit. Alibi

(*i*) In *Toxari c. 62. p. 566. To. II.*

Alibi dictionis hæc eſt formula ἐπὶ μισθῷ ἐργάζεσθαι. Λύπη ἡ ἐπὶ φιλων ἀτυχίαις ejusdem eſt ibi *Xenophontis* III: 9. §. 8. Eam inter triſtitiam & infortunia inimicorum eſt quidam proportionis modulus. Mercedem magnam Jeſus ſuis doctrinæ adſectatoribus præcipue thaumaturgis fiduciæque in Eum heroibus promiſit, nec tamen eam miraculorum effectibus adnexuit Apoſtoli nil mercedis, miraculoſa ſanatione perfuncti, poſtularunt vel acceperunt. Propoſuit Jeſus ſuis, per miracula dæmones expellentibus, gratis mercedem magnam coeleſtem *Luc*. X: 20 Gratis effectus ibi impartiendi erant *Matth*. X: 8. Fide igitur miraculoſa ei erant inſtructi, ad quorum nutum Jeſus per ipſos miracula patrabat, Nemo dixerit, Jeſum per eos edidiſſe miracula, qui doctrinam Jeſu oderant vel ea ad errores illi adverſos ſtabiliendos edere cupiebant. Tantum abeſt, ut concedere poſſimus, dæmones poſſe patrare vel patraviſſe unquam miracula (*k*). An vero is, quocum Jeſus id chariſma communicavit, ut ad preces & voluntatem ejus fiant miracula, obſequitur magiſtro ſuo miraculorum auctori, dum mercede accepta dæmones expellit? Illuſtre & luculentum eſt, illud Jeſu ad diſcipulos ſuos, quorum ad preces miracula edebat per ipſos, pronuntiatum: *Amici mei eſtis*,

(*k*) JAQUELOT *Diſſ. ſur l'exiſtence de Dieu p.* 669.

estis, si, facitis, quæ vobis do in mandatis Jon. XV: 14. Per inimicos suos miracula Jesus non patravit. Ipse discipulis suis, qui querebantur, quod quidam per nomen ejus, nomine ipsius in adjurationem adhibito, dæmonia expelleret, ipsos tamen non sectatus, hoc impartivit responsum: *Nemo est, qui faciet miraculum invocato nomine meo, simulque confestim poterit mihi maledicere* & inimicum se præbere *Marc.* IX: 39. Apud Lucam IX: 50. legitur hoc responsum Jesu: *Qui non est contra nos, pro nobis est*, id est, qui non est inimicus nobis nostrisque institutis, is propositas nobis operationes adjuvat amici in modum. *Ne prohibete*, quo minus sic facere pergat. Charismata eis non concedebantur divinitus, qui Deo haud probabantur vel ea in abusum traducere tentabant. *Act.* VIII: 18, 19, 20. Et quid est miraculum? Est immediata Dei operatio, & signum ejus certissimum, qui est Dominus mundi & ordinis naturæ, quem ipse constituit, non per se nec per Deum prorsus immutabilem. An Deus umquam potuit se omnipotentia sua exuere? An numquam voluit fieri miracula? An ea sunt per se inutilia quovis tempore & loco? Miror admodum, quod MOSES MENTELIDES illa pro sigillis & criteriis Divinæ & revelationis & doctrinæ legationisque noluit reputare, in sola legum-

lationc

latione Moſaica, tamquam fundamento doctrinæ Divinæ unico adquieſcens. Nonne Deus per miracula Iſraëlitas eripuerat moleſtiis Aegyptiacis, & ductu per mare miraculoſo inſectationem Aegyptiorum proſtraverat? Nonne lex e monte Sinai per miracula haud una eſt publicata? Quomodo quis poteſt Moſen ab homine, artibus politicis tantum inſtructo, diſcernere, ſi miraculis vim convincendi homines de legatione divina ſubtrahere avet? *Moſes* Moſen igitur auctoritate Divinitus impartita exuit, ut doctrinam Jeſu amoliatur. Omnem igitur religionem Divinitus per Dei legatos revelatam refugit & religionem Judaicam genuinam averſatur. Ficulneum ejus illud eſt argumentum, quo contendit, miracula etiam ab impoſtoribus fieri poſſe. Hi certe per vim ſuam miracula patrare nequeunt, nec Deus eis umquam voluit proprium ſibi in res mundi dominatum tradere, vel ad illorum deſideria aliquod edere miraculum. Fruſtra ſunt ei, qui, ſecus ſentientes, vel, miracula fieri poſſe, negant, vel, ea per meros homines ſpiritusve edi poſſe, opinantur. Qui ob loca *Deut.* XIII: 1–5. *Matth.* XXIV: 24. & 2 *Theſſ.* II: 9, 10, 11. fluctuantur vel eo delabuntur, ut exiſtiment, impoſtores ad miracula patranda non eſſe inhabiles, rati, Magos Aegypti nuvigendulos Moſi

oppo-

estis, si, facitis, quæ vobis do in mandatis Jon. XV: 14. Per inimicos suos miracula Jesus non patravit. Ipse discipulis suis, qui querebantur, quod quidam per nomen ejus, nomine ipsius in adjurationem adhibito, dæmonia expelleret, ipsos tamen non sectatus, hoc impartivit responsum: *Nemo est, qui faciet miraculum invocato nomine meo, simulque confestim poterit mihi maledicere* & inimicum se præbere *Marc.* IX: 39. Apud Lucam IX: 50. legitur hoc responsum Jesu: *Qui non est contra nos, pro nobis est*, id est, qui non est inimicus nobis nostrisque institutis, is propositas nobis operationes adjuvat amici in modum. *Ne prohibete*, quo minus sic facere pergat. Charismata eis non concedebantur divinitus, qui Deo haud probabantur vel ea in abusum traducere tentabant. *Act.* VIII: 18, 19, 20. Et quid est miraculum? Est immediata Dei operatio, & signum ejus certissimum, qui est Dominus mundi & ordinis naturæ, quem ipse constituit, non per se nec per Deum prorsus immutabilem. An Deus umquam potuit se omnipotentia sua exuere? An numquam voluit fieri miracula? An ea sunt per se inutilia quovis tempore & loco? Miror admodum, quod MOSES MENTELIDES illa pro sigillis & criteriis Divinæ & revelationis & doctrinæ legationisque noluit reputare, in sola legum-

lationc

latione Moſaica, tamquam fundamento doctrinæ Divinæ unico adquieſcens. Nonne Deus per miracula Iſraëlitas eripuerat moleſtiis Aegyptiacis, & ductu per mare miraculoſo inſectationem Aegyptiorum proſtraverat? Nonne lex e monte Sinai per miracula haud una eſt publicata? Quomodo quis poteſt Moſen ab homine, artibus politicis tantum inſtructo, diſcernere, ſi miraculis vim convincendi homines de legatione divina ſubtrahere avet? *Moſes* Moſen igitur auctoritate Divinitus impartita exuit, ut doctrinam Jeſu amoliatur. Omnem igitur religionem Divinitus per Dei legatos revelatam refugit & religionem Judaicam genuinam averſatur. Ficulneum ejus illud eſt argumentum, quo contendit, miracula etiam ab impoſtoribus fieri poſſe. Hi certe per vim ſuam miracula patrare nequeunt, nec Deus eis umquam voluit proprium ſibi in res mundi dominatum tradere, vel ad illorum deſideria aliquod edere miraculum. Fruſtra ſunt ei, qui, ſecus ſentientes, vel, miracula fieri poſſe, negant, vel, ea per meros homines ſpiritusve edi poſſe, opinantur. Qui ob loca *Deut.* XIII: 1–5. *Matth.* XXIV: 24. & 2 *Theſſ.* II: 9, 10, 11. fluctuantur vel eo delabuntur, ut exiſtiment, impoſtores ad miracula patranda non eſſe inhabiles, rati, Magos Aegypti nuvigendulos Moſi oppo-

ea, quæ præstruximus, nihil restat, quam ut credamus, hominem illum mercede *nulla* laborem eum vel operæ id præstitisse acceptam. At licebat ei alimentis eorum frui, a quibus erat vocatus. Mercedem magnam ipse secum habuit, gaudium de salute sanati solidum & spem gloriæ in coelo majoris. Illud ἐπὶ, casui sexto junctum, non necessario mercedem indicat, extrinsecus datam. Qui enim superbiunt, *divitiis suis confisi*, ἐπὶ πλούτῳ μέγα φρονοῦντες (*p*), vel, ἐπὶ σοφίᾳ (*q*), *sapientiam propter suam* spiritus sumunt majores, ob significatum hujus præpositionis haud tenent sapientiam, & de divitiis gaudium extra sese. Sensiones illæ animis inesse creduntur. Sic etiam *merces magna*, quam Deus amicis suis (*r*) promisit & hi animis suis percipiunt, ad illos congruit, qui charisma miraculosum dæmoniacis, cum epilepsia per se ineluctabili conflictatis, benigne adhibuerunt. Nihil certe derisionis libuit Luciano ad commemorationem Ionis de miraculosa dæmoniaci sanatione adferre. Nomini Sophistæ non insidere contumeliam, jam supra me memini monere.

§. 18.

(*p*) XENOPHON in *Memorabilibus Socratis* IV, 1. §. 5.
(*q*) *Ibi* IV, 2. §. 1, 2.
(*r*) 1 *Petr.* I: 4. 1 *Cor.* III: 14. *Ebr.* XI: 6. *Apoc.* XXII: 12.

§. 18.

Si rationes meas recte subduxi, lectores intellexerunt, Lucianum utrumque impedimenta doctrinæ Christianæ, in polytheismo sita, non male demolitum esse, &, quod majus est, amplificationem religionis ejusdem admodum adjuvisse. *Lucianus* certe *junior*, seu quisquis *Philopatridis* est autor, fundamenta religionis non solum videtur a latere defendisse, sed ipse etiam latifundia polytheismi sollide prostravit. *Lucianus* vero *famosior* aperte satis de innocentia & præstantia religionis Christianæ testimonia perhibuit. An ea dedisset vel daturus fuisset exquisitiora & copiosius deducta, nisi Christianum non esse ei plus adtulisset emolumenti, nec adfirmaverim nec negaverim. Id ipsi laudibus ducendum est, quod Deum unum eumque justum judicem veneratus est; quod ecclesiam Christianam scite & ad amussim veritatis descripsit §. 13. quod in Christianos non invectus est, licet Jovi Polytheorum haud pepercerit: quod in Christianis laudavit studium explorandi imposturas easque refugiendi, quod Christianorum religionem adpellavit admirabilem sapientiam §. 7. ritusque ejus potiores, laudandos utique, exposuit §. 8, 9, 10. ita, ut nil adjecerit

judicii acerbioris. Quum doceret, *quomodo historia conscribenda sit*, notat Principum laudatores, Poëtarum adulationes proceribus impartitas taxat minimi, historias fabulis plenas repudiat, easque mendaciis sparsas ferre non potest. Aristobuli, Ctesiæ, Herodoti & aliorum nævos damnat. Thucydidem laudibus justissimis ornat. Historiam stilo poëtico scriptam respuit. Historiæ dictionem laudat, quam vulgus intelligit, laudant eruditi. Potuisset in historiam & dictionem Evangelistarum excurrere dijudicandam, sed silet & intra terminos serio subsistit. Eumdem morem servat in utroque libro Satyrico, quem *de vera historia* inscripsit, Ctesiæ non parcens, quem scribit de Indorum regione scripsisse, quæ neque viderit ipse, neque alio dicente audiverit. I, 3. At de Christianorum historia prorsus tacet. Quæ de eis habet, ab omni insectatione maledica abhorrent. *Lucianus* vero *junior* dogmata Christianorum ita recenset, ut objectiones ei oppositas prudentissime refellat, præcipue illam, qua vulgatum erat, ipsos imperio patriæque per præsagia sua male ominari.

§. 19.

Uterque Lucianus habet, quæ faciunt ad do-

dogmata & alia monimenta voluminum foederis utriusque. *Ille* novit Jesum adoratum, Deum & hominem; *hic* prædicat Deum triunum & tres, qui sunt unum 1 *Job.* V: 7. melior criticis seculi nostri petulcis. *Prior* Lucianus fatetur, fuisse dæmoniacos epilepticos, e quibus dæmon fuerit ejectus: fuisse lunaticos, in *Toxari* c. 24. p. 534: fuisse Christianos in fratrem carcere detentum beneficos & misericordes. Ad Colossum Nebucadnezaris hæc habet illustrandum in *Navigio* c. 40. p. 274: *Reges ante obitum relinquebant* χῶμα ὑψηλὸν ὑπὲρ γῆς καὶ στήλην μακρὰν, *aggerem altum super terra & columnam longam.* Describit initiationes & incantationes Chaldæorum, *de Nekyomantia* c. 6. p. 463. f. Ad Belsazarem, similem numo numerato, ponderato, & ob adulterinam materiam & conditionem abjiciendo hæc trahi possunt ex Luciano libro, *quomodo historia conscribenda sit*, §. 10. p. 14: *Trapezitica ratione singula* —— *explorantes, ut adulterina abjiciant protinus, proba autem & legitima & accurate expressa, recipiant.* Reges Orientalium loco muneris splendidissimi donasse bene meritis de illis togam purpuream & torquem aureum, κάνδυν πορφυροῦν καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν, ibidem tradit c. 39. p. 52. Confirmantur hæc ex *Dan.* V: 29. Si liber de Dea Syria esset Luciani foetus, illustrarem diluvium Noachicum ex

ejus c. 12. p. 458. Omissis aliis transire libet ad Novi foederis libros. Obversantur mihi loca duo enodationis indiga 1 *Cor.* XV: 28, 29 Operam dabo, ut ex græca Luciani dictione incisum utrumque reddam luculentum. Prius incisum hæc habet: Οταν ὑποταγη αυτῳ τα παντα, τοτε και ὁ υἱος ὑποταγησεται τῳ ὑποταξαντι τα παντα. Monendum est, verbis τασσεσθαι & ὑποτάσσεσθαι sæpe in passivo inhærere significatum neutrum (s). Luciani hoc est *Adversus Indoctum.* c. 20. p. 116: Ει τις αλλος των ὑπο το ψευδος τεταγμενων, *si quis alius eorum est, qui post vocem* ψευδος stant vel *statum habent*, i. e. qui sunt mendaces. Succurrit hæsitantibus PLUTARCHUS in *Cæsare* c. 72, ubi Brutus, ipse supremus militiæ dux, dicitur ἀντιταχθεὶς τῳ Αντονιῳ και Καισαρι, *stans in acie adversus Antonium & Cæsarem. Lucianus de Parasito* c. 49. p. 874. ita: Ὁ τρεφων αὐτον οπισθεν ὑποτετακται τῳ παρασιτῳ, κακεινος ὑπο τῳ σακει καλυπτει και —— τουτον σκεπει. *qui illum alit, secundo sit ordine pone parasitum, & ille —— suo clypeo operit & —— hunc tegit.* Non vacat jam arcessere alia similia. Paulinum illud liceat sic interpretari: *quando stabunt infra eum omnia, tunc etiam filius stabit sub eo, qui omnia ei*

(s) Activum etiam, ut in hoc PLUTARCHI de *Cæsare c.* 8. Brutus dicitur strinxisse gladium, ἐσπασμένος τὸ ξίφος: &c.

ei subordinavit; habebit, qua homo, secundum a Patre ordinem. In exitu enim mundi regnum mediator Jesus tradet Patri, & regnum gratiæ desinet post resurrectionem. Tunc redivivi suo stabunt ordine. Princeps eorum erit Jesus, caput eorum, qui e morte corporis resurrexerunt; in secundo ordine erunt consortes ejus, genuini Christiani. vs. 23. Non dimittenda sunt ex oculis illa: Ἑκαστος εν τῳ ιδιῳ ταγματι. In inciso 1 *Cor.* XV: 29, hæc leguntur: *Quid facient* οἱ βαπτιζόμενοι ὑπερ των νεκρων, *Si omnino mortui non resurgunt? cur etiam*, ut ceteri ante ipsos, βαπτιζονται ὑπερ των νεκρων; Paulus statim hæc adjecit: *Cur etiam nos in periculo* vitæ *versamur horis singulis? Quotidie morior*, ad necem sustinendam me compono & paratus sum. Qui submerguntur, hos Lucianus dixit βαπτιζομενους. En locum, ex ejus L. II. *de Vera Historia* c. 4. p. 107 decerptum; Εθαυμαζομεν ιδοντες ου βαπτιζομενους, αλλ' ὑπερεχοντας των κυματων και αδεως ὁδοιπορουντας, *mirabamur, quum videremus, illos non mergi, sed eminere super fluctus ac sine metu viam facere.* Conferri potest cum hoc loco alius in *Timone* c. 44. p. 157. ubi memoratur homo, a fluvio abstractus, quem alius adjutum vocatus detrudat ac submergat, βαπτιζῃ, ut miser nequidem caput attollere queat. Obversantur animo Pauli ei Christia-

ni, quos crudelitas perſecutorum jam enecaverat, ſimillimos ſubmerſis; & quaſi acervum jam formantibus conſimilibus. Super his neci tradebantur & quaſi ſubmergebantur alii. Quid ſint illa συγκρινειν & εγκρινειν, το μετρον, & τα αμετρα 2 Cor. X: 12, 13. 15. intelligi poteſt demum ex libro Luciani *de Imaginibus* c. 11. p. 490. To. II. Deſumta ſunt illa vocabula ex victorum Olympiæ conſuetudine, quam ex eo loco haurire licet. LAMBERTUS BOS, JACOBUS ELSNERUS aliique viri πανυ ωφελιζοντοι uſi fuerunt adjumentisglorioſe; quæ ad Sacros alioſque libros redundant.

I V.

NICOLAI BARKEY,

COMMENTATIO
DE
Scopo Evangelii, quod est secundum JOANNEM.

qua variis quoque Evangelii locis lux adfunditur.

§. I.

Cum nuper me tangeret ordo, ut ex legato & instituto *Ruliiano* caput *primum* Evangelii, quod est secundum *Joannem*, methodo Catechetica explicarem, & quod in quavis Hermeneutica præcipuum est, in scopum, in quem Joannes oculos suos defixerit, inquirerem; accidit, ut Apostoli dicta & temporum locorumque rationes adcuratius pensitando in sententiam inciderim, ut opinor, plane novam, quæ Interpretum nemini hucusque in mentem venit. Nec mirum!

rum! Accidit sæpiuscule & aliis & mihi, ut quamprimum sententiam aliquam adoptavimus, & quidem ab hoc illove Patrum Ecclesiæ inventam, aut ejus auctoritate probatam & munitam, haud raro in eadem adquiescamus, si veritatis aut probabilitatis speciem ferat. Neque ego quicquam Patrum auctoritati detractum velim, nisi quid obstet, liquideque adpareat eos in errore versatos fuisse; hoc vero velim, Patres sæpius nobis reliquisse spicilegium, adtentione nostra dignum, nec omnia vidisse quæ videre poterant, licet Evangelistis & Apostolis ætatis respectu propinquiores essent. De *scopo Evangelii Joannis* sollicite circumspiciens vulgarem sententiam pridem jam amplexus fueram, nec Patribus, multo minus *Irenæo*, qui Evangelium contra Cerinthum præsertim & Gnosticos scriptum fuisse testati sunt, obloquendi ullam esse rationem satis validam censueram, imo quæ viri Docti N. HARTMANNUS, G. L. OEDERUS singulari libello *Francof.* 1732. 8. *de Scopo Evangelii S. Joannis Apostoli*, parum modeste, modestius vero BUDDEUS, MOSHEMIUS & J. D. MICHAËLIS, B. LAMPIO, fidem *Irenæo* deneganti, obposuere, solide satis dicta fuisse existimaveram. At penitius rem trutinanti plura occurrebant de Scopo hujus Evangelii discutienda, cum vulgari sententia forte concilianda, eidemque

demque ſubordinanda. Quin moderamen aliquod inveniſſe mihi viſus fui, quo *Lampii* cauſſa maximam partem ſalva erit, *Irenæi* vero auctoritas quoque manebit, dum ipſum alias Sectas jam ante *Cerinthum* exiſtentes, ſub ejus nomine, ſiquidem ut earum Anteſignanus adparuit, repræſentaſſe veroſimile ſit. Saltim, quam hac Commentatione Lectoribus obfero, ſententia talis mihi viſa fuit, ut cum vulgari vel pari paſſu ambulet, aut illi ſubordinari queat, immo parum abeſt quin dicam, ſcopum conſtituat primarium. Penes Lectorem judicium eſto!

§. 2.

Communi ſententia D. Joannes ἐλεγχον inſtituit contra *Cerinthum* ejusque aſſeclas & *Gnoſticos* complures, haud indicatis *Cerinthi* aut *Gnoſticorum* nomine & erroribus. Ex dictis Joannis, his Cerinthi erroribus obpoſitis, Scopus Evangelii elicitur. Nec renuo. Si vero quæris, cur D. Joannes nec ipſos errores, quos contundere voluit, nec eorum Arthitectos nominetenus indicaverit? ratio in promtu eſt. Dicunt: Apoſtolum, virum Divinitus inſpiratum, fallere & falli neſcium, haud decuiſſe diſputare cum Pſeudo-doctoribus; ipſi potius conveniſſe methodo ſynthetica tradere dogmata fidei, ut

 cre-

credentes hoc ipſo fidei normam haberent & lapidem Lydium, errorum monſtra protinus detegentem. Nec reluctari animus eſt, licet adlata ratio, ſtrictius expenſa, parum habeat roboris, quum *Paullus*, itidem Vir θεόπνευςος, aliquando non tantum errores, quos profligat, verum etiam eorum Auctores nominetenus nuncupat, & Evangeliſtæ Phariſæos & Sadducæos, qui a Servatore ſæpe errorum convincuntur, nominant. Verum enimvero ſcopus Apoſtoli procul omni dubio evadit ſpecialior & ſpecialiſſimus, ſi oſtendi poterit, Scriptorem ſacrum ipſos, quibus ſe obponit, errores recenſere, eorum falſitatem demonſtrare, contrariumque expreſſis verbis docere & quamplurimis comprobare teſtimoniis. Næ, amabo! hac ratione Scopus Scriptoris comparet dilucidior, verior & evidentior? Hujusmodi Evangeliſtæ Scopi criteria mihi viſus ſum animadvertiſſe non tantum in hujus Evangelii *Prologo*, verum etiam in quamplurimis Evangelii & *prioris* ipſius *Epiſtolæ* locis; & niſi me omnia fallant, oſtendi poterit, ipſam hiſtoriam Eccleſiæ primævam huc conlimare.

§. 3.

Erunt jam fortaſſis, quibus hæc, quæ præ-

præfatus sum, videbuntur nimis adseveranter dicta; quique ad audiendum hoc εὕρημα aures adrigant! Ne ipsos detineam diutius, mentem meam explicabo. Mea quidem opinione Scopus, in quem Joannes oculos suos fixit, ferebat, ut *declararet probaretque*, coram Ephesina aliisque, in Oriente præsertim, Ecclesiis, *solum Jesum Nazarenum, nullatenus vero Joannem Baptistam esse Messiam, Filium Dei, Divinitus promissum*, atque adeo *Joanni B. minime talem deferendum esse reverentiam & honorem, qualis Messiæ, Filio Dei, competit*. Ut vero in eruendo hoc Scopo ordine procedam congruente, *primo* argumenta exponam, quæ in Prologo & in ipso Evangelio obvia invenimus; *secundo* ostendam, fuisse qui Joannem B. anteferebant aut æquiparabant Jesu Christo, tum ipsius Christi ævo, tum illo, quo Joannes Apostolus Evangelium suum exarabat, tempore, tum sequentibus insuper seculis.

§. 4.

Agedum, eruamus hæc argumenta ex Joannis Evangelio & ex historiæ subsidiis!

Evolvamus *primo Prologum*. Evangelista ipse in hoc Prologo expressis verbis declarat, Joannem B. neutiquam esse Lumen Verum, docetque, eum tantummodo *missum fuisse a Deo, ut testaretur de Jesu, vero Lumine*

ne c. I: 6, 7 ; 8. Ἐγενετο ἀνθρωπος ἀπεσαλμενος ἀπο Θεου, ὀνομα ἀυτου Ἰωαννης, ουτος ἠλθεν εις μαρτυριαν, ἱνα μαρτυρηση περι του φωτος, ἱνα παντες πιστευσωσι δι ἀυτου. ΟΥΚ ΗΝ ΕΚΕΙΝΟΣ ΤΟ ΦΩΣ, ἀλλ' ἱνα μαρτυρηση περι του φωτος. Simplicior declaratio nulla. Evidenter autem hanc doctrinam confirmat, quando paucis interjectis ad ipsius Joannis B. testimonium provocat vs. 15. Ἰωαννης μαρτυρει περι αυτου, και κεκραγε λεγων; Ουτος ἠν ὀν ειπον; Ὁ ὀπισω μου ἐρχομενος, ἐμπροσθεν μου γεγονεν, ὁτι πρωτος μου ἠν. In memoriam revocat testimonium jam antea datum de adpropinquante hoc tempore Messia, quem nondum noverat, & simulac Eundem viderat, hoc Ipsi perhibet testimonium. Patet ex eo luce meridiana clarius, Joannem B. tum adventum Messiæ prædixisse jamjam instantem, tum declarasse se non esse Messiam. Qui enim alium quemdam adnunciat adventantem, is de se hoc negare dicendus est, quum ipse præsens adest. Nihil dilucidius! At nihilominus Evangelista adseverat, Joannem B., quem de alio quodam adpropinquante loquentem inducit, non esse verum Lumen, Messiam, sed alium illum, cujus adventum prædixerat, ab illo distinctum. Non opus fuisset, testimonio ipso hoc jam satis distincte ferente, hac adseveratione, nisi sonticæ ipsi fuissent illud adseverandi

caussæ.

caussæ. Non quidem ignoro, & reliquos Evangelistas referre idem Joannis B. testimonium; cave tamen, credas, eundem ipsis fuisse Scopum specialem. Præcursorem illi indigitant, & ostendunt in Joanne B. oracula Prophetarum *Jesaiæ* & *Malachiæ* fuisse adimpleta; eorum quippe nemo negat Joannem B. esse Messiam, quemadmodum Joannes Evangelista; manifesto indicio, Joannem Evangelistam voluisse coarguere errorem aliorum hoc vel adfirmantium, vel Joanni B. primas tribuentium. Hæc autem in nexu spectata adhuc magis stringunt. Ceteri Evangelistæ in Exordio loquuntur de Nativitate Servatoris ex femina Virgine, qua humanam naturam adsumsit. Joannes autem E. actutum gloriam ejus Divinam enarrat, Eumque repræsentat ut omnis veri Luminis & Vitæ fontem, & ex Ejus veluti Verbi substantialis & Filii Dei ἐνσαρκώσει deducit Ejus ad salvandos peccatores omnisufficientiam. Quid vero aliud Joannes Ev. hac oratione demonstrat, quam summam Jesu Christi Nazareni præ Joanne B. ipsoque Mose supereminentiam. (*)

§. 5.

(*) Quæ hic adtuli claritate sua adeo perstrinxerunt oculos Inl. J. D. MICHAELIS; ut in *Introd. ad libros N. T. p.* 1284. 85. scribat super hæc verba: *Johannes non erat Lux* c. I. 8.

Dis

§. 5.

Ut jam testimonia Euangelistæ exhibeam, duo cieo. Prius occurrit ubi testatur, quod *Jesus compertum innotuisse Pharisæis*, quod *Jesus plure discipulos, baptizaretque* Apostolorum rio; *quam Joannes B.*, quodque *Jesus* Pharisæorum odii caussa *reliquerit Ju abiverit in Galilaeam*. Ex hoc loco sat elucescit, Joannem B. Pharisæis mu tiorem fuisse, eosque illum Jesu N antetulisse. Unde vero hoc? Proc

Dis müssen einige der damahligen E deren Irrthümer uns aber die Kirche nicht vollständig aufbehalten hat / gleich etwan vorgegeben haben / so wie de Christus / sich mit dem Menschen Jes den / auf eben die Art habe das Licht / höherer Aeon / Johannem belebt. E schade für uns / dasz wir nicht wiss Cerinthus von Johannes dem Täufer g so viel aber siehet man / das die Wi mit denen unser Apostel zu thun hat / den Täufer zu hoch erhoben haben. fui Virum celeb. in meditationibus viam, quæ ad hypothesin nostram d ultra calcasse. Postea de Ophitis, s Gnosticos celebri aliisque adnotabim hujusmodi opiniones fovisse.

dubio Joanni B. non adeo infensi erant, licet eorumdem mores gravissime reprehenderet, quia illum pro *extraordinario Dei Legato & Propheta* habebant, ad cujus baptismum confluxerat Hierosolyma, omnisque Judæa & Jordani ora, ab eoque baptizabantur in Jordano, confitentes peccata sua *Matth.* III: 5.; præsertim vero, quia ipse negaverat sponte se esse Christum *Joa.* I: 20., quando Deputati ex Synedrio, Sacerdotes & Levitæ, Hierosolyma venerant ad interrogandum ipsum, num esset, ut fama ferebat, Messias promissus, & quia ut prodromus Messiæ eos ad Messiam se jamjam sequentem ablegasset. De *Joanne B.* itaque haud solliciti erant Pharisæi, sed oculos fixerunt in Jesum Nazarenum, quem, quum natus erat ex femina, Nazarethi educatus, & nihil Regi conveniens egerat, præjudiciis occæcati repudiabant. Præcursori favebant baptizanti, & contra, ipsum, quem ostenderat Messiam, licet etiam Hierosolymis doctrinæ suæ veritatem signis miraculosis comprobasset, odio persequebantur, inprimis quia multi Eum sequebantur, pluresque a discipulis ejus, quam a Joanne, baptizabantur. Verebantur ne plebs universa a Joanne B. ad Jesum Nazarenum descisceret.

§. 6.

§. 6.

Involvebat jam hæc Evangelistæ narratio supereminentiam Jesu præ Joanne Baptista. Testabatur deinde eandem c. X. 40. - verbis clarioribus, quando ait, *Jesum abiisse trans Jordanem in eum locum, ubi primum baptizaverat Joannes, ibidemque per aliquod tempus mansisse*; ubi, quum frequentes ad Eum veniebant loci illius incolæ, dicebant, *Joannem quidem nullum edidisse prodigium*, sed *vera esse quæcunque Joannes de Jesu Nazareno dixisset, multosque eorum Christo habuisse fidem*. Duo hic notanda veniunt. *Primum* est, quod Joannem B. magni habebant, eumque venerabantur ut magnum Prophetam, Deique Legatum, cujus testimonii de Jesu Nazareno veritas ex Jesu doctrina & ipsis rebus gestis comprobata erat. *Alterum* est, quod Joannes B. tamen nullum prodigium fecisset, quo ipso testantur, Jesum prodigia fecisse, & horum signorum gratia Eum Joanni *B.* anteferendum esse. —— Dices, quorsum hæc? sententiam tuam hæc ipsa Evangelistæ verba labefactant? Judæi ergo Joannem B. Jesu Christo postponendum esse censuerunt? Verum non tam supine judicabis, si adtentius omnia consideres. Immo vero Judæi hi tum temporis Jesum anteferebant Joanni B.; ve-

rum

rum reminisci oportet, eadem in sententia fuisse omnem Judæorum turbam, quæ sumtis palmarum ramis Jesu Christo, equitatu Regis Judaici, Hierosolymam ineunti, adclamabat: Ωσαννα ὁ ευλογημενος ὁ ερχομενος εν ονοματι Κυριου, ο Βασιλευς του Ισραηλ. c. XII: 13. At eadem turba arundo erat quolibet vento agitabilis. Seducta à Senioribus, Scribis & Pharisæis & vel a Pontificibus coram tribunali Pilati clamabat: Crucifige illum, Crucifige illum! Joannem B. igitur præferendum censuerunt Jesu ignominiose crucifixo; id quod statim clarius adparebit, quando videbimus, quanto in honore Joannes B. apud Judæos fuerit. Hanc scenæ mutationem adplices, quæso, ad Judæos, de quibus in hoc loco mentio injicitur, & res erit in vado.

§ 7.

Addo aliud Evangelistæ, de Jesu præ Joanne B. υπεροχη, testimonium ex *priori* ejus *Epistola* c. V: 6. De Jesu Christo loquens: *Hic*, ait, *est*, *qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus*, *non in aqua solum*, *sed in aqua & sanguine* Ultima verba Scopum Evangelistæ haud obscure indicant. Subponit enim venisse quendam in aqua tantum, & quid innuit aliud aqua nisi baptismum? Et

quis alius venit aquæ solum ministerio fungens, nisi Joannes B.? Obponit ergo Joanni B. Evangelista Jesum Christum, qui non solum aqua baptizavit doctrinam Ejus amplectentes, sed etiam sanguinem suum pro credentibus in Eum profudit, ut in Ejus sanguine remissionem peccatorem haberent. Obpositionis ratio suadet Joannem Ev. magis ad utrumque Joannis & Christi baptismum respexisse, quam ad aquam & sanguinem ex perfosso Christi crucifixi latere profusum, quæ sententia est JOA. GASP. HAGENBUCHII in *singulari ad h. l. prolusione*, *Turici* a. 1757. edita. Excellentiam igitur Jesu præ Joanne vindicat Evangelista, manifesto indicio fuisse Judaizantes Christianos, qui Joannem B. Christo præferebant, vel Ipsi obponebant, saltem Ipsi æquiparabant. His diutius immorari necesse non est, cum otia nobis fecerit cl. JAC. TRIGLANDIUS in *Diss. de tribus in coelo testibus*, quæ in *Sylloge Dissert.* ejus *Theolog. & Philolog. Delphis* 1728. editarum, tertia est §. 33, 34. p. 169. s.

§. 8.

Prodeant jam ipsius *Joannis Baptistæ* testimonia, quibus se Christum esse negat, & disertis verbis pronunciat se Christo longe inferiorem esse. Sunt autem hujusmodi multa,

ta, & quidem omnia utrumque innuunt. Non immorabimur horum testimoniorum explicationi, sed ex iisdem hinc inde ostendemus, quam apte hypothesi nostræ conveniant. *Primam* exstat c. I: 15. Dicitur: *Joannes Bapt. testatur de Eo, & clamavit, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat.* Evangelista hic quasi in compendium redigit, quæ postmodum fusius enarraturus & demonstraturus erat. Adprime enim conveniunt eum eis, quæ vs. 30. reperiuntur. Conferantur quoad verba LAMPIUS in *Comment.* & CHRISTOPH. WOLLIUS, in *Comment. de genuina locutionum sacrarum Comparativarum & superlativarum explanatione*, juncta ejus *Examini Regularum Hermeneuticarum ab Aug. Calmeto commendatarum* p. 157. G. D KYPKIUS ad l. c. & GER. HORREUS in *Animadvers. sacris, profanis &c.* p. 134. s. Utrumque, in quo Interpretes divisi sunt, *tum* prioritatem temporis, æternitatem του λογου, Ejusque præsentiam inter majores Judæorum, *tum* dignitatem & majorem Personæ Christi præ Joanne B. excellentiam conjungendum esse censeo, quia utrumque Evangelista in antecedentibus docuerat; æternitatem & Divinitatem του λογου vs. 1—3. 14. & summam Christi & majorem præ Joanne B. dignitatem vs. 6-9. Placent omnino quæ doctissimus

HORREUS ad illuſtrationem loci protulit; oſtendit nimirum ex *Matth*. XX: 27. πρωτον & δουλον ſibi invicem *obponi*, ut adeo agnoſcat & fateatur, ſe eſſe ſervum Chriſti ut Regis & Principis ſui, cujus imperio ſe ſubjecerat, & cujus dignus non ſit, ut pronus ſervi inſtar ſolvat corrigiam calcei ejus *vſ*. 27. Simul vero, cum ſervus ſequi ſoleat herum vel Principem ſuum, nec ei antecedere moris ſit, problema, quo Herum ſe ſequentem induxerat, ſolvit, oſtendendo ſe eſſe ex illo ſervorum ordine, qui Principis adventum parandarum viarum cauſſa adnunciant. Hinc eſt, quod *vſ*. 30. dicat: ὀπισω μου ἐρχεται ἀνηρ. Fallor quoque niſi Joannes, teſtimonium ſuum *magno clamore* proferens, nam Evangeliſta ait: μαρτυρει περι αὐτου και ΚΕΚΡΑΓΕ, ad *vocem Clamantis in deſerto Jeſ*. XL: 3. reſpexerit, quam ſe ipſum eſſe dicit *vſ*. 23. Ἐγω ΦΩΝΗ ΒΟΩΝΤΟΣ ἐν τῃ ἐρημῳ· εὐθυνατε την ὁδον κυριου, καθως εἰπεν Ησαιας ὁ προφητης. Clamor autem Joannis innuit tum ingentem populi turbam, ipſi adſtantem *Matth*. III: 5. qua voce elatiori opus erat, ut populus verba ejus audire & intelligere poſſet, tum ferventiorem animum in oratione ejus conſpicuum. Nimis ſubtile & hypotheſi adaptatum nonnulli forte cenſebunt, his ſi addam, quod Baptiſta teſtimonii ſui clamore motus

&

& susurros quamplurimorum ex turba hominum compescere voluerit, qui eum ut Messiam venerari gestiebant, quemadmodum coorta populi dissensione, dubiisque in caussis lites sæpius componi solent per elatam vocem & clamorem Viri alicujus honoratioris, præsertim si lites ipsiusmet in gratiam reciprocantur. —— Liceat hic notare cel. WITSIUM, qui *Misc. S. T. I. p.* 294. vocem clamantis in deserto explicat per *vocem clamantis, Dei*, qui eo tempore validissime quosvis hortabatur ad poenitentiam. Hoc enim modo ipse Deus in clamantem convertitur ante faciem Messiæ, quod parum congruit missioni Filii Dei ut Regis a Patre. Hinc Φωνὴν βοῶντος transferre mallem per *Vocem clamantem*, i. e. Prodromum, qui sonora & clamante voce viam Regi suo parat, aut parari jubet.

§. 9.

Secundum, quod profero, testimonium rem extra omnem dubitationis aleam ponit. Exstat. c. I: 19–36; estque plenior testimonii jam expensi enarratio cum omnibus circumstantiis huc pertinentibus. Publice mittebantur a Synedrio Judæorum Hierosolyma *Sacerdotes* quidam *& Levitæ* explorandi caussa, quid Baptista moliretur, & ut ex

ipſo intelligerent, *quis eſſet?* & num pro Meſſia vel alio Propheta haberi vellet. *Rumor* itaque de Baptiſta, quod Chriſtus eſſet, per totam Judæam, ceteraſque Palæſtinæ regiones Hieroſolymam usque increbuerat. Nihil evidentius. Ne autem quis putet me hoc per conſequentiam elicere ex hiſtoria hic narrata, teſtimonium proferam D. Lucæ, quo perſpicuum magis nullum. Refert ille c. III: 15, quod putaverit omnis populus vel dubitaverit, omnesque de Joanne animo cogitaverint, NUM IS ESSET CHRISTUS: ΜΗΠΟΤΕ ΑΥΤΟΣ ΕΙΗ Ο ΧΡΙΣΤΟΣ. Dicitur hoc de omnibus, qui ad Joannis Baptismum ex omni Judæa convenerant, ex incolis Hieroſolymæ omnique Judæa & Jordanis ora *Matth. l. c.* Quod autem illud animo cogitaverint de Joanne B. ſatis clare innuit, ſuſurrus ubicunque locorum auditos eſſe, alterumque alteri hanc narraſſe fabulam. Poſtea plura dabimus teſtimonia. Cum vero fama, qua nihil eſt velocius, ſuſurros hos ad aures Synedrii magni detuliſſet, cenſemus expergefacta fuiſſe ejus membra, ut iis obicem ponerent, mittendo Legatos, & *quidem* honoratiores, Sacerdotes & Levitas, omnibus procul dubio ſubſidiis *inſtructos*, quibus, ſi Joannes ſe Chriſtum eſſe adnueret, ipſum falſi ejus teſtimonii, ut & *populum* hac de re convincere poſſent. Nihil

quo-

quoque commodius fieri poterat. Etenim Sacerdotes & Levitæ habebant *tabulas* suas *Genealogicas*, quibus probare poterant Joannem ortum fuiſſe ex *tribu Levi* & ex *familia ſacerdotali*, ex Patre *Zacharia*, *Sacerdote*, genitum. Et procul omni dubio, quum Chriſtus ex tribu Judæ & domo Davidis juxta expreſſa Prophetarum vaticinia oriundus erat, Sacerdotes & Levitæ delecti erant ad contundendos de Joanne errores, quaſi Chriſtus eſſet? Adſunt ergo veſtigia, quæ *b. Lampius* hiſtoriæ rei geſtæ ineſſe negat, quod non quidem ex invidia & odio, ſed ex impediendi ſtudio, ne rumor latius ſerperet, legatio hæc inſtituta fuerit; & ſi, quod *Lampius T. I. p.* 407. ſtatuit, revera Legati & Synedrium libenter ex Joanne audire voluerint, quod eſſet Chriſtus, malo animo legationem decretam fuiſſe cenſuerim, ut ſcilicet argumentis ad hominem illum pudefacerent, omnemque adplauſum exſibilarent. Ruit igitur Obſervatio *Lampii*, qua dicit: „ oportet ut aut originem & natales Joannis „ ignoraverint, aut inſigniter ſtupidi fuerint, cenſentes Meſſiam poſſe ex tribu „ Levi oriri." Rem autem ipſam ſi ſpectamus, bene & ſapienti conſilio, opinor, Synedrium, legatos ad Joannem hujus rei inveſtigandæ cauſſa miſiſſe, & hos recte officio ſuo functos fuiſſe. Adoramus in hoc ne-

negotio summi Numinis digitum, qui hoc ipso ostendebat coram omni populo, Baptistam non esse Christum, sed verum Christum his ipsis diebus modo solemnissimo adpariturum & ab ipso Joanne B. monstrandum esse. Plura non addo. Illustravit hanc historiam doctissime cl. A. DANZIUS in *Diss. de Inauguratione Christi ad docendum baud obscuriore Mosaica*, & recusa in MEUSCHENII *Novo Testam. ex Talmude & Antiquit. Hebræorum illustrato* p. 306.

§. 10.

Restat ut hujus argumenti robur ostendam. Jure merito cum aliis quærit R. LAMPIUS, cur Joannes Evangelista, relictis omnibus quæ historiam Nativitatis & Infantiæ Christi respiciunt, exordium historiæ Jesu Christi statim petat a ministerio Joannis B. & quidem ab illa ejus parte, quæ cum manifestatione Servatoris proxime conjuncta erat *pag.* 403 f. Non adquiescit in eo, quod reliqui Evangelistæ abunde satis historiam hanc pertractaverint. „ Potior ipsi ratio videtur, quod historia factorum Christi, quæ in publico „ quasi theatro gentis Judaicæ evenerunt, „ ad Scopum Evangelistæ magis faceret, „ qui volebat ostendere, quam clare gloriam suam coram omnium oculis manifestaverit, quod ante initium muneris Do-

„ cto-

„ ctoralis Christi nondum ita evidenter fa-
„ ctum erat. Deinde quod ad fidem majo-
„ rem narrationi suæ conciliandam ea præ-
„ cise narrare voluerit, quorum ipse αὐτόπτης
„ fuerat. " *Prior* ratio nimis generalis est parumque solidi habet, cum etiam reliqui Evangelistæ pauca tantum de Nativitate & infantia Christi enarrent, & statim ad ministerium Joannis B. præcursoris sui progrediuntur, in primis *Marcus*. Si vero nostræ adhæremus hypothesi, ratio sufficiens dari potest, cur Joannes Evang. non solum historiam legationis Sacerdotum & Levitarum ad Joannem B. immediate Prologo suo jungat, sed etiam fuse enarret, quomodo Baptista negaverit se esse Christum, & quis revera esset, digito monstraverit. In Prologo enim docuerat hoc fidei dogma contra aliorum errores, & doctrinam suam a *vs.* 19. probare & demonstrare feliciter satagit. Joanni Evang. autem hoc officium præ reliquis Evangelistis incumbebat, quia ex his solus erat testis αὐτόπτης, uti LAMPIUS *Proleg. T.* I: *c.* II: §. 2. haud levibus rationibus probat, Joannem fuisse *Anonymum* illum Discipulum Joannis B., qui Christum sequebatur, *vs.* 37. memoratum: In sequentibus adhuc aliam rationem proferam, cur Joannes post Prologum Evangelii sui historiam hoc

modo exordiri, eandemque fusius ut testis αυτοπτης exponere debebat.

§. 11.

Superest ultimum Joannis B. testimonium, quod reperitur c. III: 22. —— Necesse est, ut tum occasionem, quæ Joanni obferebatur, tum ipsum testimonium illustremus. De occasione non nisi ea delibabimus, quæ ad illustrandam historiam faciunt. Clarum est ex vs. 22. Christum relicta Hierosolyma in Judæam transiisse, & quidem non procul ab Αινων, prope Σαλειμ, ubi Joannes, nondum ab Herode in carcerem conjectus, baptizabat, versatum fuisse, & ministerio discipulorum suorum omnes ad Eum accedentes baptizasse: Etenim recte, ut opinor, Inl. J. D. MICHAËLIS in *præfatione Sciagraphiæ Theologiæ Typicæ* præmissa, Entwurf der Typischen Gottes-gelartheit edit. postr. p. 46. in notis ex *Jos.* XV: 32. statuit, שלחים, a *fluentibus* seu *missis aquis* dicta civitate & aquarum copia, & ין vel נון עין *fontem Nun* in australi tribus Judæ parte sitam esse. Multas ibi aquas & aquarum fontes fuisse adparet ex petitione Hacsæ, filiæ Calebi *Jos.* XV: 19. his verbis Patrem compellantis: *Dedisti mihi terram Anstralem vel siccam, des mihi quoque scaturigines aquarum; dedit itaque ei scaturigines*

rigines superiores & inferiores. In hac regione quoque reperiuntur scaturigo clausa, fonsque obsignans & piscina aquarum Salomonis, de quibus mentio fit *Eccl.* II: 5, 6. & *Cant* IV: 12. & balnea conf. RICH. POCOCKIUS in *Descriptione orientis aliarumque regionum T.* II: *p.* 43. edit *Angl.*, *p.* 64. edit *Germ.* Est quoque in hac regione, duobus a Bethlehemo milliaribus ad austrum *Monasterium S. Joannis*, ubi Joannes B. dicitur natus, & in hujus vicinia vicus est, quem Arabes juxta DELLA VALLIUM *Ain Ciareb*, juxta NAVIUM vero *Ain Karem* vocant, sic dictum a fonte, quod ipsa vox עין indicat, proximo, qui aquarum insignem copiam in vallem ipsi vicinam emittit conf. cl. A. F. BUSCHINGII *Novæ Geogr. P. V. P.* I: *p.* 346 qui etiam feliciter suspicatur, hunc locum *Ain* esse vel *Aenon*, cui proximæ erant civitates *Salim* & *Juda.* Σαλειμ autem, quæ scriptio quoque exstat in editione των LXX- virorum Complutensi *Jos.* XV: 32. convenit Hebr. שלחים *emissarii*, „ ut indigaverit vicum, in cujus „ tractu, vel tractum, in quem torrentes „ seu aquæ fontanæ diversis ductibus emissæ „ coëunt, vel ex quo alebantur, " verba sunt J. E. HARKENROHTII in Diss. *de Aenon prope Salim.* BIBLIOTH. BREM. *Cl.* VII: *p.* 351. Miror itaque & demiror HARKENROTHIUM l. c. F. ZORNIUM *Opusc. S. T.* II: *p.* 74. aliosque ab

ab eis citatos, quibus addo A. CALMETUM, LAMPIUM & ADAM. GOTTL. KERTZIGIUM *in libello* doctissimo, quem inscripsit Biblisch-Historische Abhandlung von den Kenitern / Chemnitz 1769. 8. p. 98. loca hæc penes Jordanem constituisse, ac ad Galilæam vel ad Peræam retulisse, hoc potissimum usos argumento, quod Herodes, cui Galilæa subjecta erat, Joannem B. in vincula conjecerit, hoc vero ipsi haud licuisse, si Aenon & Salim ad Judæam pertinuissent. Subponunt viri doctissimi Herodem captivum duxisse Joannem, quum Aenone prope Salim versabatur & baptizabat ex vs. 24. *Nondum enim in carcerem conjectus erat Joannes.* Nullum vero hujus subpositionis exstat fundamentum, è contrario verba hæc insinuant, Joannem heic securam egisse vitam, & quamdiu hic in Judæa degebat, baptizabatque, nullum ei vitæ periculum imminuisse. Phrasis ista neutiquam docet Joannem hic ad captivitatem suam usque versatum fuisse. Potuit enim Joannes se aliorsum transferre, fortean in oras Transjordaniticas sc.: *Bethabaram*, ubi baptizaverat antea *Joan.* I. 28 X: 40. immo probabile omnino videtur, Joannem, qui magnifice adeo de Jesu Christo differebat, ut adseveraret Illum oportere crescere, se ipsum vero decrescere, cessisse Jesu locum vel regionem, & Bethabaram, ad Transjordaniticam

tran-

transitum iterum rediisse, ubi, saltim sub ditione sua, Herodes ipsum armata manu captivum ducere ac in vincula conjicere poterat.

Accedit quod ipsa, quæ hic traditur historia quæstionis inter discipulos Joannis B. & Judæos agitatæ, & indicatio baptismi utrorumque Jesu & Joannis, insinuare videntur, utrosque in vicinia commoratos fuisse, ibidemque utrosque baptizasse. Quin imo ex hac locorum proximitate & baptismate utriusque controversiam hanc ortam fuisse quam maxime verisimile est. Fortassis Articulus του, voci Σαλειμ præmissus, lucem aliquam adfundit. Articulus hic certe parum congruit nomini Σαλειμ, quia nomina urbium & oppidorum ut plurimum sunt generis feminini. Inde est, quod LIGHTFOOTUS legi vult ἐγγυς του Σαλαμειου vel Kinæi. Hoc vero non opus esse ostendit KERTZIGIUS l. c., monendo, ex ellipsi vocis τοπου vel χωριου Articulum hunc explicandum esse. Nec relu&tor. Audacior forte videbitur Critica, si Ellipsin ita conciperem: ἠν δε και Ἰωαννης βαπτιζων ἐν Αἰνων, ἐγγυς του βαπτιζοντος Ἰησου ἐν Σαλειμ. Insolens quidem fateor est adeo longa verborum Ellipsis, rebus tamen narrandis optime convenit. Christus versabatur in Judæa cum discipulis suis, baptizabatque. Baptizabat vero Joannes quo-

quoque in *Aenon*, & cur vicini oppidi *Salim*, vel aquarum copiæ mentionem fecisset *Joannes* Evangelista, nisi respectu baptismi ab utroque Jesu & Joanne administrati. *Aenon* fons tunc temporis satis notus fuit, nec addi oportuisset *Salim* nisi respectu ad Jesum.

§. 12.

Verum satis hæc dicta sint de locis baptismi. De *quæstione* vel *disputatione* ipsa περὶ καθαρισμοῦ *vs.* 25. satis constat, eam ex utroque Joannis & Jesu baptismo in locis adeo sibi vicinis ortam fuisse, omnesque Interpretes hac in re consentiunt. COCCEJI, LIGHTFOOTI & CARTWRIGTI sententiæ, quos vide apud *Lampium*, conjungi possunt, & mea quidem sententia conjungi debent. In ea omnes conlineant, quod de præeminentia baptismi vel Joannis vel Christi actum sit, & utrosque, tum discipulos Joannis B., tum Judæos his adhærentes & jam baptizatos a Joanne, ob successum, quem baptismus Christi habebat, invidiam concepisse. Discipulos inprimis Joannis ea potissimum de caussa invidia concitos fuisse videtur, quod *pauci* ad Joannis Baptismum accesserint, ad Christum autem, Ejusque baptismum, *omnes vs.* 26. Et huc præcipue tendit, quod Joannis ait: *Illum oportet crescere,*

me

nu vero minui *vs.* 30. Recte hinc LAMPIUS dixit p. 678.: *Discipuli sane Joannis non amplius jam tum ita multi erant, & confluxus populi decrescebat, qui brevi plane cessaturus erat. Unde non male multis videtur, Joannem jam tum imminentem finem non solum ministerii sed etiam vitæ suæ animo præsensisse.* Digna autem est quæ proferatur, & ad scopum meum omnino facit, uti patebit ex sequentibus, observatio CHRYSOSTOMI citata *Lampio* p. 660.: *Aemulatione quadam contendebant semper cum discipulis Christi discipuli Joannis, etiam coram ipsomet Christo. Cumque viderent eos baptizare, coeperunt adversus baptizatos loqui, ac si baptismus Joannis discipulorum Christi baptismo quid præstantius haberet.* Et haud inconcinne in h. l. commentatur MICH. DE PALACIO in *Enarrationibus in Evangelium Joannis Venet.* 1587. 4. ubi per Judæos intelligens *Jesu discipulos*, ait: *Erat igitur quæstio, num Christi baptismus esset præstantior quam Joannis baptismus, an contra? Christi discipuli colligebant illius excellentiam ex Auctoris eminentia supra Joannem, Joanne testante: Christum esse verum Messiam, tollentem peccata mundi, & se esse indignum qui calceamenta Domini portaret: Itemque ex miraculis a Christo exhibitis, quæ Joannes non fecerat. Discipuli vero Joannis putabant, illud esse palmarium argumentum, ad commendandum Joannis baptismum, quod Dominus sese*

illi

illi subjecerit. At vero isti non advertebant, Joannem suos, quos baptizabat, discipulos ad Christum mittere, ut ab eodem baptizarentur, id quod testimonio erat Joannis Baptismum fuisse inefficacem, si quidem Christus neminem ex suis mittebat ad Joannem, ut a Joanne baptizaretur. Discipuli quoque Joannis, errore detenti, Christum non Auctorem, sed ministrum baptismi esse ducebant; ideo magis tribuebant baptismo Joannis quam Christi. Hactenus *de Palacio.* Joanni itaque dignitatem præ Christo majorem tribuebant ejus Discipuli. Joanni soli ministerium baptismi competere censebant, neminemque sine mandato Joannis hoc officio rite fungi posse putabant. Cum vero, quantum novimus, Joannes ministerium baptismi nunquam commiserit discipulis suis, viderentque ejus discipuli discipulos Jesu ex mandato magistri baptizare, delata hac re ad magistrum *vs.* 26. edoceri cupiebant, num ipse baptismi ministerium Jesu contulisset, num Jesus recte ageret, aut qua Auctoritate ipse per Discipulos suos baptizaret.

§. 13.

Testimonium Joannis B., ad quod delati sumus, Christo omnem præeminentiam & Divinam auctoritatem tribuit, provocatque ad testimonium antea datum publice, se non

non esse Christum, sed Christi tantum *prodromum*, Ejus *amicum* & *paranymphum*; cujus maximum, quod desideraverat anxie, gaudium impletum erat, quando ipsi referebant Jesum in vicinia Evangelizantem & baptizantem, vel, ut ipsius verbis utar, quando audiebat vocem sponsi, seque decrescere animadvertebat. Quin imo de Christi coelesti missione & summa Superioritate, Infallibilitate & Veracitate tam magnifice testatur, ut nihil supra. Eum fatetur Filium Dei esse Unigenitum & unicum fidei objectum, in cujus obedientia & communione æterna salus posita sit, sicut contra incredulitas & inobedientia æternum inferat exitium —— Inprimis ad rem nostram facit observatio nova, quam ad *vs.* 32, 33. protulit cl. KYPKIUS ad *h. l.*; ostendit vulgarem interpretationem verborum: και την μαρτυριαν αυτου ουδεις λαμβανει, qua dictum sit: fere a nemine Judæorum doctrinam Christi ut veram recipi, contradicere *vs.* 26. ΠΑΝΤΕΣ ερχονται προς αυτον; & per την μαρτυριαν αυτου intelligit testimonium de Jesu, ac το λαμβανειν μαρτυριαν per *suscipere testis officium* explicat; ut adeo Joannes B. dicat: *Non obstante summa personæ Christi eminentia, doctrinæque illius præstantia & certitudine neminem fere reperiri, qui munus in se suscipiat, publicum de illo, divinaque ejus origine & missione ferendi testimonium;*

nondum habere illum μαρτυρειν αὐτον, *sive* μαρτυρουντας περὶ ἑαυτου, uti *postea Act.* I: 8. *Joa.* XV: 26, 27., se ipsum autem innuere Joannem *vs.* 33 quando ait: *Qui suscepit testimonium ejus, obsignavit quod Deus verax sit*, ubi recte docet, obsignare testimonium *non tam esse credentium, quam testium officium*. Faciunt autem hæc ad rem nostram, quum hoc ipso Joannes testatur, quod ipse non sit Christus; sed tantum fuerit testis Jesu, qui veritatem obsignaverat, & veracem esse Deum obsignaverat. Repetit igitur testimonium, quod commemoraverant ejus discipuli *vs.* 26. ac proinde idem hoc testimonium iterum obsignat.

§. 14.

Denique Servatoris ipsius de Joanne B. testimonia consideranda veniunt. Sunt ea varii generis, a reliquis Evangelistis relicta. His non inmorabimur. Minime vero illud præterire possumus, quod Joannes Evang. adnotavit, quia dignitatem Joannis B. indicat, & simul suam, puta Christi, præ Joanne superioritatem & eminentiam evincit. Exstat *c.* V: 31–38. Quæ Servator de Joanne B. loquitur, sc. quod Primores Judæorum legatos ad eum miserint inquirendi causa, num esset Christus? quodque dederit testimonium de Jesu: quod Christus esset; quod

quod Joannem non vocet το φως, sed λυχνον τον καιομενον και φαινοντα, *lucernam ardentem* & *lucentem*, *phosphorum* & *præcursorem* suum; respiciunt satis dilucide ad ea, quæ Evangelista c. 1. de Joanne B. in Prologo, opposite ad Christum, docuerat, quæque hic selegisse videtur, ut testimonium suum de Joanne B. probaret: *Fuit homo missus a Deo, nomine Joannes, venit is ad testimonium, ut de luce testaretur, ut omnes per eum crederent. Non erat ille ipsa Lux, sed qui de Luce testaretur.* Nam ipse Servator Joannem B. non nisi ut *testem* de semet ipso inducit, & ad ipsius quoque testimonii veritatem, ab ipso Synedrio Judæorum agnitam, provocat; quorsum quoque tendit symbolum *lucernæ* præeuntis vel λυχνοφορου, quæ illum qui sequitur, aut qui eam in manu gerit, manifestat, monstratque, ac de eo quasi testatur. Per *breve* tempus voluerunt Judæorum Proceres in luce ejus exsultare; dico Judæorum Primores; illos enim adloquitur Servator *vs.* 33. *Vos misistis ad Joannem.* Probarem observationem Inl. J. D. MICHAËLIS, qua in *Introd. in N. T. T.* I: *p.* 32. verba hæc inlustrare videtur ex phrasi Arabum, quibus *exsultare super Prophetam* est: *eum ludibrio habere*, cum & apud LXX Interpretes verbum ἀγαλλιασθηναι, qua utitur Servator, hanc notionem induat 2 *Sam.* I: 20. μηποτε ἀγαλλιασωνται θυγατερες των ἀπεριτμητων, nemoque inficias

ire poterit, Servatorem primores Judæorum ob incredulitatem suam reprehendere; *nisi* constaret, revera Joannis B. doctrinam primo ministerii ejus tempore, vel Proceribus Judæorum ideo valde acceptam fuisse, quod se Christum esse negaverat, & Messiam mox proditurum adnunciaverat, conf. §. 5. Sed ad horam tantum gaudium eorum durabat. Mox ipsis offendiculo fuit humilis Jesu adspectus, terrestris Regis decus & gloriam ignorans Gaudium ergo non habebant, uti postea *vs.* 38. de verbo Patris dicitur, *manens in ipsis.*

§. 15.

Quemadmodum autem hoc Servatoris testimonium magnam Joanni B. tribuit auctoritatem, ipsique cedit in honorem, ita sequentia docent, Joannem Se longe inferiorem esse. Habebat Servator juxta *vs.* 36. testimonium, Joannis illo majus. Provocat ad miracula sua, quorum edendi vim Pater Ipsi dederat, quæque testabantur de Ipso. Provocat deinde ad ipsius Patris ex coelo datum testimonium *vs.* 37, 38. *και ὁ πεμψας με πατηρ, ἀυτος μεμαρτυρηκε περι ἐμου, ὀυτε φωνην ἀυτου ἀκηκοατε πωποτε, ὀυτε εἰδος ἀυτου ἑωρακατε.* Respicit procul omni dubio ad testimonium Patris sui coelestis in baptismo

suo

ſuo datum; quum apertis coelis hæc audiebatur vox Patris publice coram populo: *Hic eſt Filius meus dilectiſſimus* vel *Unigenitus, qui mihi acceptus eſt,* & *Spiritus Dei videbatur quaſi columba deſcendens* & *in Eum veniens.* Multum vero negotii fecerunt Interpretibus poſtremi commatis verba; hinc variæ ortæ fuerunt hujus loci interpretationes, quas vide apud *Lampium.* Et revera nulla earumdem omne tollit dubium. *Interrogationis* vero formam ſi verbis tribuimus, pleraque ſaltim plana & limpida fiunt, hoc modo: *Audiviſtisne unquam vocem Ejus, vidiſtisne unquam ſpeciem Ejus?* Hujusmodi interrogatio cum fortiter rem adfirmet, idem eſt ac ſi Servator dixiſſet; *Omnino audiviſtis vocem Patris, e coelo, omnino vidiſtis Ejus ſpeciem.* Interpretatio eſt ingenioſa doctiſſimi JOA. ANT. TRINII, in Unvorgreifliche Gedanken über einige ſtellen der heiligen Schrift, quas cogitationes reperies in *Theſauro Theologico*, Theologiſches Magazin, quem Reverendiſſimus J H. PRATJE conlegit & edidit *Gothæ* & *Lipſiæ* 1762. *T.* II: *p.* 267. Servator ita ad convincendum Judæos, Patrem Ipſi teſtimonium dediſſe, publice provocat ad baptiſmum, cujus & proinde eorum, quæ tunc audita & viſa erant, teſtes fuerunt oculati & auriti, miſſi a Synedrio Sacerdotes & Levitæ. Quando vero Jeſus pergit: *Sed verbum Patris non habetis manens in vobis,*

quia quem misit Ille, ei vos non creditis, insinuare videtur, illos, cum Jesus admirando adeo & coelesti augurio baptizaretur, verbo Patris fidem adhibuisse, magnaque ab Jesu exspectasse, sc. ut sibi, ut eorum Regi, solium pararet; mox autem humili Jesu specie, & doctrina ipsos reprehendente, offensos, *verbum Patris non habuisse manens in eis*; neque amplius ad illud attendisse, neque credidisse Ei, quem miserat Pater, quemque missum a Patre prius crediderant. Si vero τὸ πώποτε, ut LAMPIUS putat, indicat, Servatorem non ad unam tantum sed etiam ad plures manifestationes testantis Patris respicere; per me licet, jungas quoque Patrem testantem in adparitione Sinaitica, quorsum *Lampius* cogitat. Etenim, quamvis Filius de monte Sinai locutus fuisse censendus sit, locutus tamen est in nomine Patris, & vox & species etiam Patri tribui possunt.

§. 16.

Sed redeo ad scopum. Ex testimoniis & Joannis Evangelistæ & Joannis B., quin ipsius Servatoris, satis jam liquet, tempore Servatoris quam plurimos Judæorum fuisse, qui Joanni B. plus auctoritatis vel dignitatis tribuebant quam par erat, quique eum

Chri-

Christum ipsum esse opinabantur, saltim Jesu Christo æquiparabant, immo ipsi Christo præferebant, quorum opinioni tres hi testes se obposuere, eamque evertere studebant.

Occurrunt autem in *historia rerum gestarum* plura hujus rei indicia indubia. Quæ Evangelistæ in historia vitæ Jesu commemorant, tribus verbis refero, ut pateat, quam facile hujusmodi opiniones disseminari & pedetentim in errorum monstra degenerare possint — A ministerio Joannis B. exordior. Simul atque modo plane extraordinario, habituque Prophetarum singulari & vitæ genere adparuisset, propinquitatem regni coelorum erigendi in terra, & conversionis veræ necessitatem docuisset, ac peccatores poenitentia ductos baptismo lavasset; convenerunt, uti supra jam notavimus, ad ejus baptismum, agmine quasi facto, omnis generis homines, ab Hierosolyma, omnisque Judææ & Jordanis ora *Matth*. III: Nomen ejus in omni Judæa celebratissimum evasit. Joanne adhuc vivente haud obscura subinde intercessit, dum amicissimi essent magistri, inter Christi & Joannis auditores simultas & æmulatio *Joa*. III: 25. *Matth*. IX: 14. verba sunt Cl. TRIGLANDII l. c. — Captivus cum teneretur ab Herode, cujus caussam enarrant Evangelistæ, isque eum occidere vellet, crimen hoc committere vix ausus

 est,

est; metuebat enim vulgus, quod eum pro vate habebat, & doluit Rex, quum propter juramentum, filiæ Herodiadis præstitum, & propter convivas, se adactum putabat, ad eum in carcere decollandum. *Matth.* XIV: Magna itaque penes populum Joannis B. erat auctoritas, quin immo Herodes ipse præclara quævis de eo præsumebat; auditis enim quæ de Christo, Ejus doctrina ac rebus gestis, puta miraculis ejus, referebantur, dixit: *Joannem B.* a se trucidatum, *Christum* esse, & quidem e *mortuis redivivum*, unde eam *miraculorum haberet efficaciam Matth.* XIV: 1, 2. Patet ergo Herodem Joanni occiso magnam tribuisse potentiam. Accedit, quod, licet Christus Joannem B. maximo elogio exornasset, testatusque fuisset, *nullum in feminarum natis exstitisse majorem Joanne B.*, ipsum tamen jam *captivum* eodem temporis articulo extenuaverit, dicens: *major est eo, qui in regno coelorum minimus.* Unde quæso hæc testimonii Christi de Joanne B. diversitas? Joannes in vincula conjectus, cum audivisset opera Christi, misit Discipulorum suorum duos, qui interrogarent: *Tune es is, qui venturus est? an alius nobis est exspectandus?* Innuunt hæc verba *suspensum* Joannis B. de Jesu Nazareno, qualis esset? *animum*, num Joannes revera venturus esset Christus? Expositio

hæc,

hæc, quæ est JUSTINI MARTYRIS (*), & HIERO-

(*) In *Quæstionibus & Responsionibus ad Orthodoxos*, quæ *Justino M.* tribui solent, sed recentioris ævi sunt, junctæ *Operum* ejus *editioni Haganæ* 1742. singularis hac de re quæstio p. 455. occurrit, ex quibus constat olim jam utramque Interpretationem suos habuisse fautores. Ut chartæ parcam, *Latinam* tantum cito *versionem*: QUÆST. 38. *Si persuadere discipulis Joannes de Christo, ipsum esse Christum, volebat, cum illos ad ipsum misit (id enim nonnulli dixerunt) quare non conceptis verbis id eis declaravit, sed interrogationem per eos Christo protulit? Quodsi nequaquam, eo quod injectus esset in carcerem, variis opinionibus adductus est, ut dubius de illo & incertus foret, (nam & id alii dixerunt) cur eum sic interrogat, quasi nondum illum venisse sciret? Illud enim: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? hanc de Christo opinionem exhibet, quasi is nondum advenisset, sed venturus exspectaretur. Id enim si persuasum Joanni fuisset, non ita interrogasset: Tu es Christus, an alius aliquis ab eo?* RESPONSIO ita habet: *Quoniam diversi rumores de miraculis a Jesu factis spargebantur, aliis dicentibus, Elias est qui hæc facit, aliis Jeremias, aliis aliquis alius ex Prophetis; hos rumores audiens Joannes in carcere, mittit discipulos suos sciscitatum, utrum is, qui mira faciebat, ipse esset cui testimonium tribuerat, an alius aliquis apud vulgus jactatus. Jesus autem, cum nosset consilium Joannis, præsentibus illius discipulis multa fecit miracula, persuadens eis & per eos Joanni, eum se esse, qui celebrata etiam sub aliorum nomine miracula fecerat, Joannis testimonio laudatus.*

RONYMI, ac inter recentiores doctissimi BEAUSOBRII, magis mihi adridet quam plurimorum Interpretum, qui, quemadmodum ORIGENES in *Dialogo contra Marcionitas Sect.* I: p. 37. *edit. J. R. Wetstenii Basil.* 1674-4 TILLIUS, WOLZOGENIUS, DODDRIDGIUS *alii*, Joannem B. non ex animi sententia hanc quæstionem instituisse censent, sed ejus discipulorum gratia, qui dubitabant de Jesu. num esset Christus, utque ex Christi responso in fide confirmarentur. Præcipua ratio, quæ illos ad hanc explicationem, si quid video, compulit, hæc est, quod impossibile judicaverint, ipsum Joannem B., qui Jesum publice & solemniter Christum proclamasset, dum Eum baptizarat, ut ejus prodromus, nunc de re maximi adeo momenti dubitasse. Quum vero ipsi quoque Jesu discipuli hac de re dubitavere, quando res eorum votis haud respondebant, nihil in eo absonum esse censeo, quod Joannem B. nobis repræsentemus per aliquot dies in re gravissima animo suspensum; inprimis si quid acciderit, quod *Messiam haud decere* autumavit. Hoc vero quid aliud fuisse existimemus, quam quod Christum decuisse putaverit, prius ipsum ex vinculis liberare, prodromum suum, qui viam Ipsi paraverat, cognatum & asseclam suum, quam quicquam aliud operari? Negari haud potest, hoc, hominum si loquimur more, prima

fronte decentiæ speciem referre, quia Regis est, qualis Messias erat & credebatur esse Jesus, ministrum suum, si poterat, e vinculis & carcere liberare, mortisque eximere periculo. Nihil autem Christo habebatur impossibile, qui vel mortuos resuscitaverit. Hujusmodi cogitationibus, quæ, cur in Joannem cadere non potuerint, ignoro, distractum ejus animum fuisse, saltim per aliquod tempus, facile credimus. Nec quæstio absolutam dubitationem de doctrina Jesu, vel divina ejus missione, involvit. E contrario Jesu primas partes concedit, Ejusque se submittit sententiæ, dicat aperte, num esset, qui exspectabatur, venturus Messias? num vero ille adhuc exspectandus sit, ejusque sit prodromus Jesus, quemadmodum ipse Jesu, seipso licet major. Quæ Servator discipulis Joannis respondet omnia huc conlineant. Demonstrat se verum esse Christum patratis coram populo miraculis. Eadem enim hora multos a morbis, miseriisque & malis spiritibus curavit, multosque cæcos visu donavit, jubens ut nunciarent *Joanni* quæ viderant & audiverant *Luc.* VII: 21, 22. sc. ut intelligeret, solum Christum venturum ejusmodi opera patrare posse, minime vero Ejus prodromum. Eo magis autem hoc argumentum stringebat, quia nec Joannes B. vel ex testimonio populi ullum ediderat prodigium *Joa.* X: 41. Dum vero

vero his dictis & factis se verum esse Messiam declarat, Joanni haud obscure significat, se satis scire, quid sibi agendum sit; se non esse missum, ut Paranymphum & amicum suum liberaret e vinculis, sed ut populo auxilium ferret ejusque miserias levaret. Neque decebat Christum, Prodromum suum e mortis periculo liberare, quia sic tramitem suum, morte violenta terminandum, impedivisset. Egregie rem ipsam de Joannis B. meta exponit GREGORIUS NAZIANZENUS in *Orat. funebri Basilio M. habita, ad finem:* τις Ιησου προδρομος, Ιωαννης, ως φωνη λογου και ως λυχνος φωτος, ω και προεσκιρτησεν εν γαστρι, και προεδραμεν εις αδου, δια του Ηρωδου μανιας προπεμφθεις ινα κακει κηρυξη τον ερχομενον. *Quis est præcursor Jesu? Joannes; ut vox sermonis & ut lucerna lucis, cui etiam præsultavit in utero & præcucurrit in infernum, eo transmissus a furore Herodis, ut etiam ibi venientem prædicaret:* quem locum debeo JOA. RUD. WETSTENIO, in *notis ad Origenis Dialogum contra Marcionitas p.* 33. ubi explicat verba *Origenis*, quibus Joannem vocat προδρομον εν τω αδη, *prodromum etiam apud inferos p.* 37. —— Eodem tendunt, quæ Jesus, dimissis a se Joannis discipulis, turbæ de Joanne B. dixit. Vocat eum *arundinem vento agitatam*, quo symbolo cespitantem ejus animum perstringit, qualis non erat, quum ad eum

ac-

accederet ut baptizaretur in Jordane. Quando pergit: *ad quid videndum exiistis? hominem mollibus indutum vestibus; at qui molles gestant, sunt in Regum domibus:* Servatorem videor mihi videre exprobrantem Joannis de regno Messiæ præjudicia, quibus vincula & carceres huic regno haud convenire arbitrabatur, seque liberari cupit a Jesu, si vere sit Christus, imo Regis terreni minister ac veluti indutus esse vestibus μαλακοις, de quibus conferri velim cl. J. H. SCHACHTIUM *Obs. Phil. in Matthæum*, *Bibl. Brem. Novæ Cl.* I: *p.* 254. *s.* His præjudiciis, vult dicere Servator, non videbatur inbutus, quum extraordinario spiritu ductus in deserto adparuit, austeriusque vitæ genus egit, indumentum gerens ex pilis camelinis, lateribus pelliceo cingulo circumdatis, & vos exeuntes illum his vestibus indutum conspexistis. Discessit itaque a se ipso, si velit liberari, ac mollius lautiusque vivere, acsi Regi terrestri a ministerio esset. Carceres & vincula his inprimis temporibus haud contrariari regno coelorum, ut potius non nisi per multas miserias intrare quis posset in regnum Dei *Act.* XIV: 22. & Rex ipse, Messias, per vincula mortemque acerbissimam sibi ad cœleste solium viam sternere deberet — *Vatem* autem ipsum fuisse, *verum Vatem & plus quam Vatem*, exserte profitetur Servator, Divinitus sc. promissum Ejus prodromum,

mum, neminemque ipso majorem, & ut talem a populo agnitum. Ratio vero *nulla solida*, in qua adquiescere possumus, dari potest testimonii sequentis: *qui est in regno coelorum minimus, major est eo*, præcipue hoc tempore, quo discipulorum Jesu quemvis hactenus fugiebat Oeconomiæ gratiæ ratio, nisi eam statuamus in *suspenso Joannis B. animo*, quo *minor fuit minimo in regno coelorum*, id est, *tali*, qui, *licet multum rudior Joanne, certus tamen erat de Jesu, quod verus esset Messias*. Longius hæc explicuisse non piget, quum mea quidem sententia, res hic memoratæ, præter baptismum, ad Jesu mandatum ab Ejus discipulis administratum, fons & scaturigo videntur fuisse æmulationis inter Jesu & Joannis discipulos, utrosque Magistrum quilibet suum alteri præferentes. Historia autem Evangelica docet Herodem non solum, sed etiam totum populum Judaicum Joannem B. maximi fecisse, & quando jam e vivis sublatus erat. Quum enim Servator Pontifices & Seniores interrogabat, *baptismus Joannes unde esset? e coelone, an ab hominibus? illi hoc modo apud sese ratiocinabantur: si dixerimus e coelo, dicet nobis. Cur ergo ei non credidistis? sin dixerimus ab hominibus, vulgus metuimus; omnes enim Joannem pro Vate habent. Matth.* XXI: 25, 26.

§. 17.

§. 17.

Si vero Joannes B., decollatus jam in carcere, vivente adhuc Servatore, tantam apud Judæos nactus fuerit nominis famam ac auctoritatem; si insignis fuerit æmulatio Joannis inter & Christi discipulos, nemini mirum esse potest, Christo infame crucis subplicium passo, discipulorum Joannis B. multitudinem apud Judæos tum inquilinos, tum extraneos, sacra qui Hierosolymis frequentaverunt, omnino semper crevisse, præsertim apud eos, qui Ebionitarum & Essenorum placita sequebantur, austeroque vitæ generi dediti erant. Plerique pertinaciter præjudiciis adhærentes increduli manebant, & rationes recte mihi subduxisse videtur cl. TRIGLANDIUS *l. c.* p. 168., quando dicit: *haud pauci fuerunt, quibus Joannis disciplina propter austeritatem vitæ præ* πολιτεια *Christi placebat —— Ideoque magis adhuc Joanni favebant, quod nobilissima natus domo, filius sacerdotis, prædicationis laude & morum sanctimonia florens, in Templum Hierosolymitanum & Cerimonias, quas illi deperibant, nihil, ut Christus, inclementius dixerat. Tertia caussa accessit, quam & observavit Illustris* HUGO GROTIUS: *Joannis Baptistæ multi malebant discipuli dici, quam Christi, ob subterfugiendam crucem. Hujus animi quodammodo*

vero his dictis & factis ſe verum eſ
ſiam declarat, Joanni haud obſcure
cat, ſe ſatis ſcire, quid ſibi agendu
ſe non eſſe miſſum, ut Paranymphum
cum ſuum liberaret e vinculis, ſed ut
lo auxilium ferret ejusque miſerias l
Neque decebat Chriſtum, Prodromum
mortis periculo liberare, quia ſic tr
ſuum, morte violenta terminandum,
diviſſet. Egregie rem ipſam de Jo
meta exponit GREGORIUS NAZIANZE
Orat. funebri Baſilio M. habita, ad fin
Ιησου προδρομος, Ιωαννης, ως Φωνη λ
ως λυχνος Φωτος, ον και προεσκιρτησεν ε
και προεδραμεν εις αδου, δια του Ηρωδ
προπεμφθεις ινα κακει κηρυξει τον
tis eſt præcurſor Jeſu? Joannes; ut
is & ut lucerna lucis, cui etiam pr
tero & præcucurrit in infernum, c
a ... Herodis, ut etiam ibi v
locum debeo JO
notis ad Origenis
33. ubi explic
annem vocat
etiam apud in
dunt, quæ Jeſus
pulis, turbæ de
arundinem
ſpirantem ejus
erat,

...ccederet ut baptizaretur in Jordane. Quam-...lo pergit: *ad quid videndum exiistis? hominem mollibus indutum vestibus; at qui molles gestant, sunt in Regum domibus*: Servatorem videor mi-...i videre exprobrantem Joannis de regno Mes-...iæ præjudicia, quibus vincula & carceres ...huic regno haud convenire arbitrabatur, se-...que liberari cupit a Jesu, si vere sit Christus, ...imo Regis terreni minister ac veluti indutus esse vestibus μαλακοῖς, de quibus conferri velim cl. J. H. SCHACHTIUM *Obs. Phil. in Matthæum*, *Bibl. Brem. Novæ Cl. I. p. 254. s.* His præjudiciis, vult dicere Servator, non videbatur inbutus, quum extraordinario spiritu ductus in deserto adparuit, austeriusque vitæ genus egit, indumentum gerens ex pilis camelinis, lateribus pelliceo cingulo circumdatis, & vos exeuntes illum his vestibus indutum conspexistis. Discessit itaque a se ipso, si velit liberari, ac mollius lautiusque vivere, aut Regi terrestri a ministerio esset. Carceres & vincula [illegible] temporibus haud contrariari regno cælorum, ut potius non nisi per multas [illegible] esset in regnum [illegible] Messias, per [illegible] ad cæleste [illegible]

baptizatum contradicit ex eo, quod præter Jesum & Joannem B. hoc visum nemo conspexerat, hinc nullam, ait, id mereri fidem. *Origenes* respondit: *Jesum nunquam hoc narrasse neque eo provocasse.* Pergit: *Quoniam autem apud Celsum Judæus est, qui, loquens de visione Sp. S. in columbæ specie, sic Jesum adloquitur: Nisi quod Tu ais, unicum testem adducens ex illis, qui Tecum subplicium passi fuerunt; necesse est ostendere, quam hoc quoque inepte affictum sit personæ Judæi;* ὀυδε γαρ συναπτουσι τον Ἰωαννην οἱ Ἰουδαιοι τῳ Ἰησου, και την Ἰωαννου τῃ του Ἰησου κολασει, *nec enim Judæi* JOANNEM CUM JESU CONJUNGUNT, AUT EORUM SUBPLICIA. Licet vero hæc *Origenis* verba nihil solidi habeant ad solvendum Celsi argumentum, quodque a cel. MOSHEMIO optime solutum videas, ostendunt tamen Judæos Jesum inter & Joannem B. insigne fecisse discrimen, interque utrorumque subplicium. *Joannem* sc. *Baptistam* semper honorabant ut Virum pium, ut vatem, ut justum, injuste ab Herode occisum: *Jesum* autem *Nazarenum*, quemadmodum nemini ignotum, ut Blasphemum & Impostorem semper blasphemabant, & juste cruci adfixum esse semper criminati fuerunt. cl. TRIGLANDIUS l. c. p. 168. ait, *Locum Origenis interpretor non tam de laude & vituperio, ut cel. Tanaquillus Faber, quam quod utriusque munus, doctrinam, vitæ*

vitæ genus & *alia* (addere debuisset ex sequentibus verbis, *subplicia*) *quæ perfectissima sibi οἰκονομια conspirant, male maligneque obponerent.*

§. 18.

Pedem nunc promovemus, ac revera fuisse Apostolorum ævo multos Joannis B. discipulos & sectatores ex Actis Apostolicis conficimus. In *Palæstina* quidem Discipulorum horum vestigia nulla reperimus, nec mirum illud esse potest, quum oppido pauca tantum complectuntur his de rebus Actus Apostolici; & verisimile est in festo Pentecostis N. T. primo, illorum multos fidem Christianam professos fuisse, repudiatisque præjudiciis Judaicis Christo nomen dedisse, eorum vero alios cum ceteris Judæis se Christianæ fidei obposuisse, iterumque alios, Joannis B. doctrinam sequentes, alium, quem venturum magister dixerat, Messiam exspectantes, sibi vixisse, austerumque vitæ genus, ut magistrum imitarentur, duxisse, secessisse in loca deserti prope Jordanem, & frequenter baptismi, saltim purificationis solemnia celebrasse. Hos dixeris *Anachoretas* eosque comparaveris cum *Essenis*, quorum plerique, quod facile est creditu, Joannis B. doctrinam amplexi fuerunt.

§. 19.

Sunt vero veſtigia diſcipulorum Joannis B. *extra Palæſtinam* apud Judæos extraneos & diſperſos in Græcia haud obſcura, talium nempe, qui diebus feſtis in Templo Hieroſolymitano more Judaico Sacris interfuerant & a Joanne B., & poſt ejus necem a quopiam ejus diſcipulorum baptizati fuerunt, ejusque doctrinam redeuntes ad concives ſuos propagarunt; qui forſan quoque in patria Baptiſtam aliquem Magiſtrum conſtituerunt, ut, quotquot diſciplinam ſeveriorem amplectebantur, baptismate initiaret. Fuiſſe tales Judæos a Joanne baptizatos, ſaltim baptismi ejus gnaros, conligi quodammodo poteſt ex actis Pauli *Antiochenis* in Piſidia *Act* XIII: 14. *ſq*. Demonſtrabat ibidem Paulus, in Synagoga a Præfectis excitatus, Jeſum Nazarenum verum eſſe Meſſiam, interque alia argumenta ad Joannem B. provocat *vſ*. 24, 25. *Joannes ante Chriſti adventum prædicavit baptismum reſipiſcentiæ toti populo Iſraelis; Quum autem Joannes expleret miniſterium ſuum, dixit: Quem me eſſe ſuſpicamini? non ſum ego Ille, ſed ecce! poſt me venit is, cujus ego non ſum dignus qui ſolvam corrigiam calceamentorum.* Ad Joannis B. autem teſtimonium qui potuiſſet provocare &

ex

ex eo argumentum producere cum successu Apostolus, nisi hisce Judæis Joannnes B. cognitus fuisset, & nisi hi eum ut Divinum vatem venerati fuissent? Eodem testimonio ex eadem caussa Servator ipse usus fuerat *Joa.* V: 33. quod supra illustravimus. Addo, quoniam adprime ad rem nostram facit, quod Apostoli alias nullibi ad convincendos Judæos Joannis B. testimonio usi fuerint.

§. 20.

Verum enim vero si quis forte existimaverit, exemplum hoc non satis in oculos incurrere, ut ex eo convinci possit, duo alia proferam, quæ rem ponunt extra omnem dubitationis aleam. Illa memoriæ prodita legimus *Act.* XVIII: 25. & XIX: 1-7.

Primum concernit *Apollonem*, Alexandrinum, qui absente Paulo pervenit Ephesum. Vocatur Judæus, & hoc ornatur elogio: erat ἀνηρ λογιος & δυνατος ἐν ταις γραφαις. Pergit Lucas: ὀυτος ἠν κατηχημενος την ὁδον του Κυριου, και ζεων τω πνευματι, ἐλαλει και ἐδιδασκεν ἀκριβως τα περι του Κυριου, ἐπισαμενος μονον το βαπτισμα Ἰωαννου. Ουτος δε ἠρξατο παρρησιαζεσθαι ἐν τη συναγωγη, ἀκουσαντες δε ἀυτου Ἀκυλας και Πρισκιλλα, προσελαβοντο ἀυτον, και ἀκριβεστερον ἀυτω ἐξεθεντο την του Θεου ὁδον? Quod tantummodo Joannis baptismum

sciverit Apollos, satis innuit eum fuisse Joannis discipulum, & forsan ab ipso Joanne aut ab ejus Discipulorum aliquo baptizatum. Dubium vero est, num ἡ ὁδὸς τοῦ Κυρίου & τὰ περὶ τοῦ Κυρίου praecise *doctrinam Christianam* indicent, sicuti in Actis religio Christiana saepius ἡ ὁδὸς τοῦ κυρίου vel ὁδὸς σωτηρίας audit; nam vs. 26. dicitur ἡ τοῦ Θεοῦ ὁδὸς, qua phrasi Lucas ait, Aquilam & Priscillam exactius de religione Christiana Apollonem instruxisse. Maluerim generaliori sensu per viam Domini intelligere religionem, ministerio Joannis B, quam Apollos didicerat, reformandam, quaeque parandae viae Messiae inservire debebat. Suadet hoc adjuncta scientiae Apollonis laudatae limitatio, ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. Quid autem Joannis Baptismus aliud docebat, praeter quod Judaeis aeque ac Proselytis ex gentibus lotio animarum a peccatorum sordibus, baptismo figurata, opus, quodque Messias adventurus, contrito corde & fide excipiendus esset. Hunc fuisse baptismi Joannis primarium scopum & cardinem ad convertendum Judaeorum corda ad Patrem Abrahamum, illiusque mox adpariturum benedictum semen, testatur Servator, quando *Matth.* XXI. 32. ait: ἦλθε πρὸς ὑμᾶς Ἰωάννης ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ. *Venit ad vos Joannes in via justitiae*, id est,

est, docebat, Deo & Messiæ solam justitiam & cordis puritatem probari &c. Cel. quidem MICHAËLIS *Introd. in libros N. T. T.* II: *p.* 1415. putat Apollonem quoque ex baptismo Joannis intellexisse Jesum Nazarenum esse promissum Christum; verum satis liquidum est, Joannem B. dum baptizabat, hanc veritatem non docuisse, antequam ipse sibi jussit baptismum conferri. Hoc suadere videntur verba Pauli *Act.* XIII. 25. ὡς δε ἐπληρου ὁ Ἰωαννης τον δρομον, ἐλεγε: τινα με ὑπονοειτε εἰναι κ. τ. λ. *Quum expleret ministerium suum*, id est, cum *instaret finis ministerii sui*, dixit: *Quem me esse suspicamini? Non ego sum ille*, ἀλλ' ἰδου ἐρχεται μετ' ἐμε. Nec satis certum est, Joannem, postquam Jesus baptizatus ab eo discessit, semper Jesum commendasse Judæis ut Messiam. Saltim phrasis, quod tantummodo Joannis Baptismum noverat, nihil aliud indigitare videtur, quam quod Apolloni nondum quicquam certi de Jesu Nazareno, vero Messia, innotuerat, quodque propterea solummodo fervente animo de reformandis corde & moribus Judæis sermones instituerit, & adpropinquantem Messiam Judæis adnunciaverit. Fac vero, haud ignoraverit Apollos quæ de Jesu Nazareno ferebantur, fac etiam illum rescivisse Joannis de Jesu testimonium, a verosimili tamen non abhorret, illius fidem

ex suspenso hac de re Joannis B. captivi animo, de quo supra, & inprimis ex infami Jesu morte defecisse. Hinc minime absona est Cl. MICHAËLIS *l. c. p.* 1414. conjectura, qua putat Apollonem Alexandriæ, ubi *Essenorum* Aegyptiorum secta magnopere florebat; eorum placitis aut austeris eorum moribus ita captum fuisse, ut se iis adgregaverit. Nec tamen cogitemus necesse est, Alexandriæ Apollonem Essenorum se Sectæ adsociasse. Verba enim Αλεξανδρευς τω γενει inferunt solummodo, eum ibidem natum fuisse. Forsan Sacris Judæorum cum interfuisset in Judæa, inciderat in Joannis B. Discipulos, & eorum baptismo initiatus fuerat. Erat igitur Apollos inter Joannis B. discipulos, donec ab Aquila & Priscilla exactius de religione Christiana erudiretur, puta de Christi resurrectione, ejusque deinde adsecuta gloria coelesti, oraculorumque Mosis & Prophetarum in Jesu Nazareno complemento. Tum enim validissime & quidem publice convincebat Judæos, demonstrans ex scripturis ειναι τον χειστον Ἰησουν.

§. 21.

Alterum exemplum occurrit *Act.* XIX: 7. Invenit Paulus, reversus Ephesum, duodecim viros, qui *vs.* 1. μαθηται nomine veniunt.

niunt. Denominationis hujus ratio postulat, ut credamus, quia nondum satis de religione Christiana instructi erant, illos, Apollonis doctrina forte excitatos, petiisse communionem cum coetu Christiano, ejusque se submisisse disciplinæ. Verbo, discipulis Christi adnumerari cupiebant, & eapropter in eorum numerum recepti erant. A Paulo examinati, an Spiritum S. receperint, quum crediderant? ingenue profitebantur, se nihil omnino de Spiritu S. resçivisse aut subaudivisse. Interrogati denuo, in quem baptizati essent? responderunt; in Joannis baptisma. Produnt hæc satis evidenter Joannis discipulos, ipsius baptismate initiatos. Si vero Joannis B. discipuli, unde quæso est? quod dicant, se ne quidem audivisse, *an sit Spiritus S.*? cum tamen Joannes populum baptizans monuisset, ut crederent in venientem post se, quem ut Spiritu S. & igne baptizaturum prædixerat. Dilucide satis, ut opinor, ex his adparet, verba ἐι πνευμα ἁγιον ἐςιν explicanda esse κατα τι, sc.: ipsis quidem satis notam fuisse promissionem Sp. S. effundendi in regno Messiæ, & Joannem B. eandem repetiisse, illos vero ignorasse hucusque, quod *Sp. S. jam datus vel effusus sit*, quodque jam in Ecclesiæ membris operetur. Ita recte statuit cel. MICHAËLIS *l. c. p.* 1413. & omnino placent quæ addit vir ingeniosissi-

mus & Doctissimus p. 1415. mirum nempe esse, quod viri hi, viginti post primam Pentecosten annis, nihil quicquam de effusione Sp. S. resciverint. Ignorantiæ hujus causas in eo ponit, quod viri hi habitaverint in locis incultis ac ab urbibus remotis, & veluti Anachoretæ vixerint. Inde autumat eos fuisse aut Anachoretas *Aegyptios*, Essenos, quemadmodum Apollos, & ad Essenos pertinuisse, qui vel desertum Judææ, ubi Joannes docuerat & baptizaverat, vel loca juxta mare mortuum & Engeddi, ubi juxta *Plinium* Esseni sedes suas fixerant, incolebant. Posterius probabile magis videtur, inprimis quia baptismate Joannis loti erant, & supra jam vidimus, a Joanne B. denominatum fuisse desertum, ibidemque & in ejus vicinia ejus discipulos postea vitam egisse eremiticam, & coenobium construxisse, Joanni B. sacrum. Forte comites fuerant Apollonis, qui, quum erat ἀνὴρ λόγιος & δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, eis Joannis Baptismum adnunciaverat, eoque tingi persuaserat.

§. 22.

Observatu autem maxime dignum esse judico, tot fuisse *Ephesi* Joannis B. discipulos. Ex eo verisimile fit tales ibidem, & postea plures adhuc fuisse discipulos, quorum ali-

qui

qui doctrinam & fidem Christianam amplexi fuerunt, alii vero in errorum præcipitia circa Joannem B. & Jesum Christum ceciderunt, quorum postremorum deinde caput *Cerinthus* fuerit. Probabilis ex eo quam maxime redditur nostra de *Scopo Evangelii Joannis* sententia. Meminisse enim oportet, Joannem Apostolum, unanimi fere omnium priscæ Ecclesiæ Patrum consensu, Evangelium suum ad usum *Ecclesiæ Ephesinæ* scripsisse, & hujus Ecclesiæ Episcopi munere functum fuisse. Convenit itaque scopus, Evangelii hujus, quem supra explicui, cum statu Ecclesiæ Ephesinæ, præcipue si in eadem multæ lites & turbæ circa Joannis B. dignitatem, Christi dignitati æquiparandam aut præferendam, exortæ fuerunt. Inde est, quod Joannis B. dignitatem distinctius proponit, quod negat eum esse ipsum verum Lumen, quod probat eum tantummodo testem fuisse Christi, veri Luminis, Ejus prodromum & ostiarium, ministrum suum, qui sibi ostium caulæ ovium aperuerat *Joa.* X. 3. Inde est, quod Joannes Evang. plus quam ceteri Apostoli ex Jesu doctrina & miraculis Ejus Divinitatem demonstrat, atque adeo Jesu Christi præ Joanne B. excellentiam. Et si conferimus quæ Joannes E. in *primis* suis *Epistolis*, (quæ num ante aut post Evangelium suum scriptæ sint, nunc non disputo) de Pseudo-

docto-

mus
esse,
tecon
Sp.
in e
locis
An
fu
que
ti
am
jux
Pr
ban
inp
&
nat
vic
ere
ni L
lon
nun

quodam, Judæo, in Persia nato ac educato, qui Philosophia Orientali inbutus, ante Christum natum, singularem inter Judæos Sectam condiderit, longe lateque in Oriente diffusam; hanc vero sectam in duas scissam fuisse partes, quarum altera, cum Evangelium Christianum orbi terrarum innotuisset, Jesum Nazarenum pro Christo & Servatore habebat, altera vero Eum cum ceteris Judæis repudiabat & blasphemabat. De Ophitis prioribus loquuntur IRENÆUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, ut & *Origenes* in *Comment. ad Matthæum*. Ex eis quæ CYPRIANUS, AUGUSTINUS, EPHRÆM *Syrus*, HIERONYMUS, PRIMASIUS, alii tradunt, facile conficitur, eos Gnosticorum, Cerinthianorum, Marcionitarum aliorumque erroribus infectos fuisse, & in Asia, præsertim in Syria sedes suas habuisse. Sexto demum seculo eos pedetentim subpressos fuisse & evanuisse docet laudatus *Mosbemius* 5. 19.; licet credibile sit adhuc latere sub jugo Muhammedanorum hæreticorum veterum propagines. Quænam illorum fuere sententiarum in doctrina portenta recensere non adtinet; sufficit ad caussam nostram dixisse, illos, secus ac Judæi, ... 17. Joannem B. cum Christo conjunxisse ... eneratos fuisse, ita tamen ut Christum Jo... ... prætulerint. Statuebant enim Sophiam, ... m Aeonum, a Jaldabaoth., filio suo, cor-

porr

porum Creatore, petiisse, ut immediate ex substantia sua progeneraret duos homines inculpatos & incontaminatos, quorum alter fuerit de sterili Elisabetha, *Joannes*, alter autem ex Maria Virgine, *Jesus*, in qua Christus habitaret, qui tamen præstantior erat Joanne, quippe ex Virgine operante Deo genitus, sapientior, mundior & justior omnibus hominibus. Sophiam vero adnunciasse Christi adventum per Joannem B. & præparasse baptismum pœnitentiæ & ante adaptasse Jesum, ut descendens Christus inveniret vas mundum, & uti per filium ejus Jaldabaoth fœmina a Christo adnunciaretur. Ita habet IRENÆUS *adversus hæreses l.* I: *c.* 34. ex quo *Moshemius* magno & difficili conamine systema Ophitarum composuit, quem vide, ac miraberis Viri summi patientiam. Ex his jam satis liquidum esse puto, *Ophitas*, licet Jesu ut Christo primas tribuerint, attamen Joannem Ipsi æquiparasse in eo, quod, quemadmodum Sophia, genitus vel emissus fuerit extraordinaria ac Divina vi ex Demiurgo & Jaldabaoth. Fortassis hi Ophitæ ad *Valentinianos* pertinebant, de quibus IRENÆUS *l.* III: *c.* II: ait, quod Evangelio, quod est secundum Joannem, plenissime usi fuerint; unde haud poterant inficiari, Joannem B., licet eum ut Prophetam venerarentur, & plus quam Prophetam, minorem tamen esse Jesu

ſu Chriſto; ſaltim locum *Joa.* III: 29. ita explicabant, ut Sophia ſit ſponſa, ſponſus Chriſtus, Joannes ſponſi amicus.

§. 24.

Provoco denique ad nimios Joannis B. cultores & veneratores, a veteribus Ophitis & ex conluvie Gnoſticorum forſitan exortos, qui *Sabeorum* ſive *Diſcipulorum S. Joannis* nomine veniunt. Operæ pretium erit hos paulo adcuratius contemplari, ſive fuerint Chriſtiani, ſive Judæi, ut pateat Joanni B. forte ad hunc usque diem non defuiſſe diſcipulos, qui eum Chriſto Jeſu æquiparabant aut anteferebant. Quum vero ſunt, qui de illorum *exiſtentia* dubitant, illosque, quemadmodum cel. MOSHEMIUS, cum *Hemerobaptiſtis* confundunt, neceſſe eſt ut in hanc rem adcuratius examen inſtituamus. Singularem igitur de *Sabeis*, aut *de Chriſtianis S. Joannis*, *Diatriben* ſcripſi, quam benevolo Lectori Deo volente mox communicabo, ejusque ſubmittam judicio.

T A N T U M.

CON-

CONSPECTUS COMMENTATIONIS.

§. 1. *Prologus agit de vulgari circa scopum Evangelii Joannis sententia, quod contra* Cerinthum *scriptum sit* §. 2. *docet quod specialior scopus adpareat, si Evangelista errorem, quem contundit, adducit & expresse citat* §. 3. scopum *explicat sc.:* solum Jesum Nazarenum esse Messiam, Filium Dei, nullatenus vero Joannem Baptistam, nec huic deferendum esse honorem, qui Messiæ competit. §. 4. *probatur hypothesis ex dictis Joannis Evang. ex Prologo* §. 5. *ex* Joa. IV: 1. §. 6. *ex* Joa. X: 40. §. 7. *ex* 1 Joa. V: 6. §. 8. *ex dictis Joannis B. ex* Joa. I: 15. 30. §. 9. 10. *ex* Joa. I: 19—36. §. 11. *ex* Joa. III: 22—*ubi de* Aenon & Salim *earumque situ* §. 12. *de* simultate *inter Jesu & Joannis B. discipulos* §. 13. *de Joannis B. testimonio* §. 14. 15. *ex dictis ipsius Christi ex* Joa. V: 31—38. §. 16. *ex Joannis B. magna Auctoritate penes Judæos vivente Christo inlustratur* Matth. XIV: 1, 2. XI: 2—13. §. 17. *& quando Christus crucifixus erat, ubi Celsi apud Origenem responsum exponitur* §. 18. 19. *docetur, Apostolorum ævo Joannem B. multos habuisse Discipulos & sectatores, ubi inlustratur locus* Act. XIII: 14. s. §. 20. *probatur ex* Act. XVIII. 25. §. 21. *ex* Act. XIX: 7. §. 22. Ephesi *multi fuere, & ideo conveniebat Joanni hunc scopum intendere, quia ad usum* Ecclesiæ Ephesinæ *Evangelium scripsit. vs.* 23. Ophitæ *Joannem B. plus quam par erat venerabantur* §. 24. & Discipuli S. Joannis *vel* Sabei.

V.

V.

JOANNIS CORNELII VALK,

Inter Remonstrantes Leidenses V. D. Ministri,

OBSERVATIONES

AD

Venerandi Basileënsis Ordinis Theologici Declarationem

De Novo Testamento Wetsteniano, Anno 1757 compositam & hactenus ineditam;

Quæ inserta est Bibliothecæ Haganæ Classis tertiæ Fasciculo primo, pag. 1 & seqq. (*)

Qui factum esse dicamus, ut *declarationis* hujus titulus ejus Scriptionem referat ad annum hujus seculi 57, quem sibi natalem fuisse ipsum hoc scriptum aperte inficiatur? Ab initio enim auctor *N. Testa-*

(*) Quum *Venerandi* ORDINIS THEOLOGICI BASI-LEËN-

Teſtamentum Wetſtenianum commemorat ut nuper in Helvetiam delatum, & ignarum ſe præbet mortis *Wetſtenii*, quem plus ſemel alloquitur, & cui ſub finem „ſeriam reſipi-„ſcentiam" precatur. Attamen ipſe in limine notavit *N. Teſtamentum Wetſtenianum* in lucem prodiiſſe annis 1751 & 1752. *Wetſtenius* vero mortuus eſt anno 1754, menſe Martio; *Krighoutius ſermonem ſuum funebrem in Wetſtenii obitum* eodem anno habuit menſe Julio; eodemque anno de hoc ſermone, mox typis edito, *Joh. Ludovicus Frey*, Facultatis Theologicæ Baſileënſis tunc temporis Senior, *Krighoutium* edita *epiſtola* compellavit; cui ſcripto *Krighoutius* anno ſequenti *Memoriam Wetſtenianam vindicatam* oppoſuit. Ignorata igitur anno 1757 *Ordini Theologico Baſileënſi* minime fuit mors *Wetſtenii* nec tum de-

LEËNSIS *Declaratio de Novo Teſtamento Wetſteniano* primum Claſſis hujus Tertiæ locum occupat, jus & æquum poſtulat, ut ſcripto viri pl. Reverendi & Doctiſſimi *Valkii*, quo *Wetſtenii*, Præceptoris ſui, cauſſam vindicare voluit, in hac ipſa Claſſi locum demus. Idem jus & æquum flagitat, ut ſi quid Vindiciarum parabit *Venerandus Ordo Baſileënſis*, aut qui ejus nomine Declarationem compoſuit, Bibliothecam hanc illi ſemper patentem reperiat. N. B.

demum opus *Wetstenianum* in Helvetiæ oras delatum est vel ad Theologos Basileënses pervenit.

Cui anno nativitatem suam debeat, ipsum hoc scriptum luculenter demonstrat; exaratum quippe est anno hujus seculi 53. Pag. enim 4. *Jac. Christophorus Iselius* dicitur mortuus fuisse triennio post annum 1734, quod incidit in annum 1737. Pag. 5. eundem *Iselium* auctor nuncupat *virum egregium ante hos XVI annos defunctum.* Sedecim hisce annis adde 37, prodibit annus hujus seculi 53, qui inter editum opus *Wetstenii* & ejus mortem medius prioribus observatis omnino respondet. – Pag. 6 *Declaratio* hæc conscripta dicitur *juniorum* — *qui res ante* XXII *jam annos gestas haud cognoverunt*, — *causa.* Hæc autem anno 1757 neutiquam conveniunt, dum duobus illis & viginti annis hinc retro numeratis ad nullam temporis notam ducimur, quam hic respexerit auctor, finita prorsus lite Wetsteniana biennio minimum ante annum, qui ex hoc calculo provenit, 1735, quod ipsum hoc scriptum agnoscit, causam Wetstenianam *anno* 1733 *finitam* fuisse totidem verbis declarans pag. 22. Immo jam anni superioris ineunte vere *omnes functiones sacras, quæ V. D. Ministro competunt, exercendi facultatem* Senatus Basileënsis *Wetstenio*

 red-

reddidit (*a*); neque Hic operæ pretium duxit litis fuæ cum Theologis hiftoriam longius pertexere. Ab ineunte igitur anni 1753 vere annus vertebatur fecundus & vicefimus poft illud de *Wetftenio* reftituendo Senatusconfultum, quo calculo ad idem confcriptæ hujus *Declarationis* tempus ducimur, quod fupra invenimus.

Minime igitur Oedipo conjectore opus eft, qui nos doceat, quale fcriptum hæc declaratio fit: variis enim indiciis probatu facile eft, idem illud fcriptum effe, quod *Epiftolæ* fuæ ad *Krigboutium* pag. 7 & 8 *Freyus* jam laudavit *Conventus noftri* nomine, quem *ex Paftoribus urbis & Theol. Profefforibus omnibus conftare* fecit pag. 6.

Ipfum hoc fcriptum hac *declaratione* nobis exhiberi demonftrat 1[mo] ipfe Titulus. Diverfus enim non eft *Ordo Theologicus Bafileënfis* ab illo *Conventu*, quem conftituunt Bafileæ quatuor urbis Paftores, titulo & auctoritate fupra reliquos verbi Divini Miniftros, qui Diaconorum nomen gerunt, pofiti, & Theol. Profeffores. Sic illa *Ordinis Theol. in Acad. Bafil. Epiftola Apologetica ad Ven. Fratres Helvetios* &c. anno 1734 in lucem edita, quæ de-

(*a*) V. *Mem. Wetft. Vind.* in *append. Scripto II.* p. 6. & *Wetft.* in *Proleg.* pag. 215.

declarationis hujus pag. 4. in partes vocatur, *Conventus*, immo jam *Conbentus*, jam vero *Ordinis noſtri* titulo venit apud *Freyum Epiſt. ad Krigb.* pag. 26, 33, 37. Crebra in hac ipſa declaratione *Conventus* & *Conventus Eccleſiaſtici* fit mentio; Conventus hic eodem modo, quo *Freyus* illum deſcripſit (*b*), *ex Paſtoribus urbis & Theol. Profeſſoribus componi* dicitur pag. 21 & 22, & illius res eſt, quæ hac *declaratione* agitur, neque aliter libellus hic loquitur, quam ſcriptum *Conventus* juſſu & nomine compoſitum loqui debuit; exemplo ſit pag. 9. „ Iſta defendere non magis il„ lius eſt, quam cujusvis e Conventu noſtro" & pag. 10. „ Noſtrum eſt heic publice & „ coram omni Eccleſia declarare, temerita„ tem *Wetſtenii* in Collegam & Seniorem „ noſtrum graſſandi, omnem Conventum „ vehementiſſime, ita ut decet, afficere." 2do Declarationis hujus argumentum idem eſt ac propoſitum illius ſcripti, de quo locutus eſt *Freyus*, ſcil. *Scripto publico ſcripta ejus* (Wetſtenii) *infamia refellere*. 3tio Ex illis, quæ ſupra notavimus de tempore conſcriptæ hujus *declarationis*, patet, illam exaratam

(*b*) Conf. pag. 6 & 29 — 32. *Epiſt. ad Krigb*. Legantur vero quæ de legitimo Conventu Eccleſiaſtico *Krigboutius* ſcripſit *Mem Wetſt. Vind.* a pag. 76 ad 88.

tam esse eodem temporis intervallo, quo compositum fuit scriptum illud, de quo loquitur *Frey*, scilicet post editum & in Helvetiam delatum *N. Testamentum Wetstenianum*, & aliquo jam tempore ante conscriptam a *Freyo* epistolam, quod vix & ne vix quidem convenit nisi in annum, quem supra invenimus, 1753. Eodem hoc temporis intervallo bina ejusmodi scripta, ad eandem Collegii sui causam agendam, a *Conventu* sive *Ordine Theologica* imperata fuisse, omni verisimilitudine caret, quod si factum fuerit, unum scriptum altero non magis ignorari potuit a Facultatis Theologicæ Seniore, qui tamen non nisi de unico locutus fuit, quod, licet jam per aliquod tempus exaratum, ipso tamen teste, ne tunc quidem, cum epistolam suam scriberet, Conventui *moram trahenti* prælectum fuit.

Hæc quidem manifestum faciunt; *declarationem* hanc idem illud scriptum esse, quod *Conventus nostri* nomine jam laudavit *Freyus*. Quis vero ex illis, qui anno hujus seculi 53 Pastorum & Theol. Professorum cœtum constituebant, libelli hujus proprie auctor fuerit, non æque clarum est; lubet tamen sequentia notare. *Declaratio hæc* composita est, quod ipsa testatur pag. 9, dum solus *Joh. Ludov. Frey* de *Veteri Conventu*, qui cum *Wetstenio* lis

fuit,

fuit, ſuperérat, præcipuus *Wetſtenii* adverſarius, cujus res præ cæteris omnibus hac declaratione agitur, & cujus maxime interesset ſcriptum hoc a Conventu edi, quod tamen obtinere nunquam potuit. Narrat ipſe in ſua *ad Krighoutium epiſtola* pag. 7. a *Conventu decretum* fuiſſe, *ſcripto publico ſcripta ejus* (Wetſtenii) *infamia refellere.* Paulo inferius autem ſic pergit ,, Dictum factum:
,, Suſcepit hanc Provinciam, a Conv. impo-
,, ſitam; vir quidam Ven. & membrum hu-
,, jus Conv. feliciterque executus eſt: nihil
,, reſtabat quam ut ſcriptum ejus Conv. præ-
,, legeretur, & plane ad mentem ejus exa-
,, ſciaretur: verum inciderunt ea tempora,
,, quibus, occupato Conv. aliis negotiis in
,, primis ob ſeparatismum nonnullorum,
,, huic rei pro merito vacare haudquaquam
,, poterat. Noli credere V. R. factum hoc
,, eſſe ex negligentia aut defectu zeli in cau-
,, ſa juſtiſſima; aut ſtudio otii quietisque,
,, aut metu hominum: reſumetur iſtud ne-
,, gotium, quando Ven. Præſidi, per con-
,, catenatos labores facultas nos convocandi
,, concedetur. Dum ita moram trahit, aſ-
,, fertur ad nos Oratio Tua" &c. Ex illis, quæ *Krighoutius* a pag. 3 ad 5. *Mem. Wetſt. Vind.* ad hanc narrationem notavit, duo ſequentia hic memorabo. Scribit Vir Clar. pag. 4, §. ultimo, ad Celeb. Freyum ,, Ra-

 ,, tio

„ tio tibi fuit, Vir Ven., cur sub Conven-
„ tus nomine latere, quam ipse in publicum
„ prodire maluëris. Sic fieri potest, ut ex-
„ perimentum capere volueris, an Conven-
„ tum in partes tuas trahere posses, sed dum
„ ejus membra sint Viri, quibus de meliore
„ luto præcordia ficta sunt, quam tibi, at-
„ que Acta Prædecessorum non probant &
„ proinde sententiæ tuæ calculum adjicere
„ recusarunt, hoc forte vocasti *moram tra-*
„ *here.* Dum itaque hanc moram trahit
„ Conventus, Tu Tui non amplius potens
„ ipse in Viri innocentissimi manes sacrilego
„ ausu quidvis Tibi promisisti." Haec ultima verba respiciunt ipsam *Freyi* epistolam, ad Krighoutium, conventu moram trahente, datam. Alter locus, quem huc transscribam, est nota, quæ ad calcem pag. 3. reperitur, qua *Krighoutius* laudem scripto, ad jussum Conventus parato, sed eidem cunctanti nondum prælecto, a *Freyo* jam publice datam hunc in modum perstringit. „ Hoc itaque
„ scriptum legit Cl. Frey, antequam Con-
„ ventui prælectum sit: cæteroquin enim,
„ ut Conventui suggereret, quodnam judi-
„ cium (si scriptum illud aliquando præle-
„ geretur) suo tempore ferendum esset, non
„ in antecessum pronunciasset, Virum illum
„ Ven. Decretum Conventus *feliciter exsecu-*
„ *tum esse.* Et quidni legisset? imo cur

„ Viro

„ Viro illi Ven. operam in exarando illo „ scripto non navasset? Ejus enim præci- „ pue res agenda erat, reliquis veteris Con- „ ventus membris e vita sublatis." Hisce addam hanc observationem singularem Declarationis hujus pag. 2. Theologi Basileënses lectori proponunt, quænam ipsorum animos erigerent, *putidas hominis impudentis Wetstenii) calumnias ut contemnere possent*; horum vero enumerationem ordiuntur his verbis. „ Nostra „ enim recte factorum conscientia." Hæc certe conveniebant in neminem nisi solum *Freyum*. Vel sic autem patet, hæc ab ipso hoc homine profecta vel dictata fuisse, vel insignis apparet fallacia, qua Cœtui tribuitur unius hominis *conscientia*, dum præter illum unum ne cæterorum quidem aliquis ullam, quam tamen nonnullorum saltem fuisse oportuerat, *conscientiam* habebat vel habere poterat earum rerum, quarum, ipsa hac declaratione teste, pars nulla fuerant.

Quanam vero auctoritate declaratio hæc e latebris suis tandem prodiit (c), Venerandi

(c) Quæ hoc paragrapho & seq. de editione hujus declarationis dicuntur, dicta & intellecta volo de illis, qui libellum hunc ad clariss. Bibliothecæ hujus conditorem deferendum curaverunt & editionis jam factæ auctores fuerunt; nequaquam vero de clariss. Barkey, qui ho-

 rum

di Basileënsis Ordinis Theologici nomine insignita? Primum de illa Orbem Eruditum monuit summe Venerandus Bibliothecæ hujus editor anno 1768 in proöemio, quod Classis primæ fasciculo primo præfixit. Hinc patet Clariss. Virum jam ab aliquo tempore libellum hunc in manibus habuisse, & ipsum, quod ingenue professus est, *vehementer animi pependisse, num Declaratio hæc publici juris facienda esset.* Attamen non nisi post plurium annorum ab ejus scriptione moram ad illum pervenit, quod vel hinc a quovis intelligi potest, quod in *Bibliotheca Bremensi nova* nusquam apparuit, neque Bibliothecæ hujus idem, qui Haganæ est, conditor ullam libelli hujus mentionem in illa vel uspiam alibi movit. An igitur Vener. ordo Theol. Basileënsis declarationem hanc *aliquando tandem* suam fecit & oculos hominum subire voluit? An vero putidum hoc scriptum, nulla unquam eorum, quorum mandato compositum olim fuerat, approbatione munitum, nullove ad editionem jussu ab illis dato, clanculum nobis obtruditur? Hoc si verum est, ut profecto

rum opera, scriptum hoc Bibliothecæ suæ inserendum aliunde accepit, & consilium suum in illo edendo, laudato proœmio pag. X & seqq. aperuit; his autem observationibus similiter locum concedere minime detrectavit.

fecto veri videtur simillimum, scriptum hoc pro spurio haberi debet, a titulo, quem præfert, diversissimum: nam si res aliter se haberet, & scriptum inscriptioni conveniret, quis non miraretur nullam, quæ Ven. Ordinis approbationem testetur, subscriptionem, vel aliud quodvis γνησιότητος documentum hic apparere! Immo cur Ven. Ordo, si nomine suo honestandum e tenebris prodire tandem voluit hoc scriptum, illud ipse non edidit, atque adeo auctoritatem suam plenissime huic libello conciliavit? vel, si hac via uti placuit, cur non ipse ad Clar. Bibliothecæ hujus editorem illum misit, vel suo nomine mittendum curavit? Nequaquam hoc factum esse vel hinc intelligere licet, quod summe Vener. *Barkey* testetur, declarationem hanc suas *in manus incidisse*, laudato Proœmio pag. X.

Quicunque vero libellum hunc e latebris suis protractum in Clar. Viri manus deferendum curaverint & edendi auctores fuerint, næ illi sic agendo ipsam causam turpissime prodiderunt. Quid demum erit *mortuo insultare Leoni*, nisi hoc sit? Quanam fronte jam ipsum *Wetstenium* super hoc ipso hæc declaratio tanta verborum asperitate, pag. 5, 8 & 9, exagitat, propter illa quæ de *Uelia scripsit*, quantumvis inter hanc & illam causam intersit, & licet solido responso sese jam præmu-

niviſſet *Wetſtenius?* Longe aliter Hic, quem mortalium candidiſſimum novimus, egit. Ipſum *Freyum*, *Iſelii* collegam, & in cauſa Wetſteniana non ſocium tantum, ſed & præcipuum litis auctorem, dum adhuc in vivis erat Homo, & ad ſemet ipſum & defunctum ſuum Collegam, ſi aliquis defenſioni locus ſupereſſet, ſatis firmum, ut ipſe ſua ad *Krigboutium* epiſtola abunde probavit, aperto Marte & præ cæteris omnibus aggreſſus eſt; immo ut reſponſum ſi quid haberet, tum in *Iſelii*, tum in ſui ipſius defenſionem & pro tota cauſa daret, diſertis verbis & publice provocavit. Rectiſſime igitur ad *Freyum* jam ante quindecim annos ſcripſit *Krigboutius*. „ Imo non ſolum *Wetſtenius* ſe ipſum defen„ dit ante hos tres annos in Prolegomenis, „ contra quæ ne hiſcere quidem auſus fuiſti, „ utut ille, quemadmodum obſervas pag. 53, „ *Te ad pugnam omni ſtimulo laceſſiverit;* Sed „ & alii eum defenderunt in Diario Gallico „ (*d*) jam ante decem annos. Cur & iſti „ defenſioni tunc temporis, vel deinceps te „ non oppoſuiſti? niſi quia *Wetſtenius* in vi„ vis erat, quem Te calumniæ evidentiſſimæ „ convicturum noveras, dum, eo mortuo, „ neminem ejus cauſam ſuſcepturum puta„ veris, quod nonniſi animi eſt infra vilis„ ſimam

(*d*) Bibl. Raiſon. Tom. XXXIV. pag. 458 & ſeqq.

„ ſimam plebeculam depreſſi (*e*)." Jam multo pejus actum eſt ab illis, qui ut declaratio hæc in lucem ederetur effecerunt, quam ante mortem Wetſtenii conſcriptam fuiſſe patet quidem, verum quam illi, quorum partium fuiſſet, approbatione ſua munitam illam edere, in obſcuro deliteſcere ad hunc usque diem maluerunt, vel ſi ipſi hujus editionis auctores fuerunt, quod tamen minus probabile eſt, per plures annos ſcriniis abditam, *clanculum* exire juſſerunt *tandem.*

Digniſſimus profecto eſt hic libellus qui ſic in lucem protrudatur: etenim, ſi ipſum oculis & animo luſtremus, quid demum illud eſt, quod tanto hiatu nobis affertur! Paucis quibusdam levioris momenti adjectis, paucis aliis ſilentio preſſis, totum hoc ſcriptum præcipue in eo verſatur, ut easdem reducat criminationes, ſtrophas & technas, quas in ipſa lite Wetſteniana plus ſemel auditas & retuſas, additis nonnullis, recoxerat *Freyus*, victricibus vero armis profligavit *Krighoutius.* Idem inſuper conviciorum plauſtrum, quæ *Freyus* ſua epiſtola jam effuderat, hic nobis denuo exhibetur, imo obſoleta novis accumulantur. Verum exſtat ipſum *N Teſtamentum Wetſtenianum*, exſtant illi præfixa ipſius *Wetſtenii Prole-*

(*e*) Mem. Wetſt. Vind. pag. 5 & 6.

legomena; quænam fcripferit *Wetftenius*, quænam *folidiffime probaverit*, hinc difcenda meminerit, quicunque æquum de his rebus judicium ferre voluerit. Exftat infuper *Memoria Wetfteniana vindicata feu Jacobi Krighout epiftola refponforia ad Joh. Ludovicum Frey.* Graviffima quæque, quæ in edita jam declaratione occurrunt, hoc fuo fcripto dudum reppulit *Krighoutius*, & pravas ac nefarias artes, quibus oppreffus fuit *Wetftenius*, poft ipfum pleniffime patefecit; quid de *Actis Wetftenianis*, ad quorum fidem hic provocatur, habendum fit, abunde docuit (*f*), & plurimis rebus, variorum fcriptorum authenticorum exemplis fuo fcripto fubjectis, invictam fidem addidit. Si quæ fuperfint in hac declaratione; quæ non attigit *Krighoutius*, de his ex illis judicari poterit, vel ipfa illa, quæ *Wetftenius* literis mandavit, fi cum hac declaratione conferantur; in plerisque facile docebunt, quid rei fit, & viri innocentiffimi veram mentem, hac declaratione multis in locis mifere detortam & obfcuratam, clariffime detegent. Noftrum igitur non erit actum agere, neque Augiæ hoc ftabulum denuo purgare nobis volupe eft. Lectori

(*f*) Pag. 53 & 54, 88—93. de Protocollo interpolato p. 105—107. de teftibus contra *Wetftenium* p. 69—74 &c.

ctori solummodo in memoriam revocabo, & *Wetstenii* adversariorum calumniis opponam (ne de *Semlero* aliisque erectioris animi Theologis aliquid dicam) summe venerandi & eruditissimi *Hermanni Venemae*, nullis partibus addicti, & optimi harum rerum judicis, tum de ipso *Wetstenio*, tum de *operis Wetsteniani* dignitate & pretio judicium, a Viro Celeberrimo latum, quum ipsum suum dissensum a *Wetstenio* in nonnullis publice profiteretur. Vivum nuncupavit *doctissimum*, *cujus*, ait, *eruditionem ego multum veneror* (*g*) mortuo *humanissimi* titulum addidit (*h*), & anno sequenti denuo testatus est, se *Viri eruditionem &* CANDOREM *maximi semper fecisse*; paulo superius autem haec scribit. „ In animo vero habui, cum manus „ huic operi admovi, & exercitationes has „ in publicam sivi ire lucem, non cl. *Wet-* „ *stenio*, ejusque famae, *quam integram cupio*, „ nocere, aut pretio laboris N. T. editioni „ impensi, *quod opus ego quidem aetatem laturum* „ *censeo*, licet multa resecta voluissem & in „ aliam formam concinnatum, de quo hic „ non est differendi locus, aliquid detrahere „ (*i*)." Huic idonei & integerrimi judicis sententiae ego quidem perlibenter calculum ad-

(*g*) Epist. ad celeb. *Wesseling* pag. 2.

(*h*) Epist. ad *Hemsterhusium* p. 46.

(*i*) In praefatione ad exercitat. de vera Christi Divinitate p. 4 & 5.

adjicio. Deſinant autem maledicere, nec Viri egregii, qui de re Chriſtiana optime mereri ſtuduit, oſſa rodant malevoli obtrectatores; nobis vero tum tota lis Wetſteniana, tum hæc declaratio, præter alia centena, ſit documento, quid dirum illud & inexorabile, quod in proverbium dudum abiit, odium Theologicum poſſit.

LEIDÆ
6 Nonas Martii
An. 1771.

